*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31. K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERVDITORVM

ANNO M DC XCIII

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes
& JOH. THOM. FRITSCHIUM.

Typis CHRISTIANI GOEZI.
A. M DC XCIII.

Digitized by Google

ÖFFENTLICHE KOENIGLICHE
WIEN
BIBLIOTHEK

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Januariis Anno M DC XCIII.

Dioptrica nova,

A TREATISE OF DIOPTRICKS IN TVVO parts, vvherein the various effects &c.

hoc eſt:

Tractatus Dioptricus duabus partibus comprehenſus, in quo effectus varii & phænomena vitrorum ſphæricorum, tam concavorum quam convexorum, ſive ſeorſim ſumantur, ſive conjungantur in teleſcopiis & microſcopiis, nec non eorum uſus in variis ad humanam vitam pertinentibus rebus, explicantur a *VVILHELMO MOLINEVSIO*, Dublinenſi, Armigero & Societatis Regiæ Sodali.

Londini apud Benj. Tooke, 1692. 4. Plag. 40. Iconiſm. 43.

NOvæ Dioptricæ titulo inſignivit hoc opus eruditiſſimus ejus Auctor, quia parum ab aliis mutuo ſumtum in illud tranſtulit, methodumque propoſuit Trigonometricam ſupputandi radiorum refractorum progreſſum, quæ nondum edita fuerat in lucem, ſed ex ſchedis Domini *Gaſcoigne* eruta a celeberrimo *Flamſtedio*. *Priori* autem in *libro* Refractionis natura generatim primum explicatur, refertur-que Cl. Nevvtonum accuratiſſimis experimentis cognoviſſe, quod, dum ex aëre per vitrum tendit radius lucis, ſinus anguli incidentiæ ſit ad ſinum anguli refracti, ut 300 ad 193, vel proxime ut 14 ad 9. Quæ doctrina deinde ad vitra ſphærica quæcunque, convexa ſcilicet, concava & meniſca, adplicatur, radiorumque cum parallelo-

Digitized by Google

rum, tum convergentium ac divergentium, viæ indagantur, & ex his diſtantiæ focorum, tam abſolutorum quam reſpectivorum, tam realium quam virtualium ſeu imaginariorum, determinantur. Hinc ad compoſitionem vitrorum tranſitur, eaque demonſtrantur quæ radiis accidunt, cum vitra diverſa ratione inter ſe juncta permeant. Tandem viſio declaratur, cum ſimplex, tum modificata per diaphana variis prædita figuris, ſive ſingula horum genera ſeorſim adhibeantur, ſive ita combinentur, ut teleſcopia aut microſcopia componant, quorum, nec non laternæ magicæ, fabrica & effectus eum cura exponuntur. In his autem omnibus ita verſatus eſt Auctor nobiliſſimus, ut cum perſpicuitate ſumma conjunxerit ἀκρίβειαν, quantam maxime patitur phyſici ſubjecti indoles, & ea quoque attulerit, quæ vel omiſſa, vel perperam ab aliis fuere tradita. Ita v. g. prop. III, ſi plano-convexum vitrum adhibeatur ad inſpicienda aut comburenda objecta, rectius fieri oſtendit, ſi curva ſuperficies objecto perluſtrando, plana concremando obvertatur. In prop. VIII, ubi de inveniendo foco imaginario convexorum vitrorum agitur, quando diſtantia objecti a vitro minor eſt diſtantia foci, errorem a *P. Dechales* prop. 48 ſuæ Dioptricæ admiſſum refellit, indignatus Zahnio, quod illum non ſolum ſuum fecerit, ſed ipſa quoque errata typographica transſcripſerit. Eundem auctorem prop. XVI & XX quoque notat, & prop. XXIX contra *Honoratum Fabri* demonſtrat, objectum per vitrum planum, cujus ſuperficies oppoſitæ parallelæ ſunt, viſum majus adparere, quam ſi nudo adſpiciatur oculo. Porro dum in propoſit. XXXI de apparenti loco objectorum per convexa vitra viſorum agit, cum Barrovio fatetur, locum objecti in majori quam foci diſtantia a vitro ſiti, reſpectu oculi inter baſin diſtinctam & vitrum poſiti, non poſſe determinari; viris tamen ingenio & doctrina valentibus conſiderandum proponit, an non locus apparens talis objecti tantum ab oculo ſit remotus, quantum baſis diſtincta poſt oculum recedit. Illud quoque, quod a plurimis ſcriptoribus dioptricis aſſumtum quidem, a nemine vero illorum rite probatum fuit, non affertur ſolum prop. XLIII, ſed quoque demonſtratur, quod ſcilicet diametralis magnitudo objecti, per teleſcopium Aſtronomicum viſi, ſit ad adparentem diametralem magnitudinem objecti nudo oculo, & in vitri objecti-

Digitized by Google

objectivi loco posito, visi, ut distantia foci in vitro objectivo, ad distantiam foci in vitro oculari.

Posterior liber varia miscellanea Dioptrica continet, & primum quidem caput universale principium Opticæ, Dioptricæ & Catoptricæ celeberrimi *Leibnizii* (cujus etiam de causis finalibus additam meditationem valde probat ingeniosissimus Auctor) ex Actis Eruditorum A. 1682 repetit, eidemque jungit refractionis explicationem Barrovianam, tandemq; lumen corpus esse hinc arguit, quod resistunt eidem media diaphana, quod motum suum non in momento sed in tempore, ut a *Romero* & *Newtono* probatum, absolvit, nec uniformiter augeri potest. Secundo in capite resolvitur problema dioptricum, cur telescopia 4 convexis vitris instructa erecto in situ repræsentent objecta, quod A. 1685 in Ephemeridibus Eruditorum Parisiensibus fuerat propositum. Tertium caput disquirit, quænam vitra defectib9 oculorum medelam afferre possint, *Hoockiiq;* examinans inventum adhibendi myopibus, qui levamen nullum ex concavis vitris sentiunt, vitra convexa, difficultates se huic rei ingerentes ostendit. Quarto capite quæ ad vitra elaboranda, aut elaborata examinanda pertinent, perstringuntur, afferturque methodus non periclitandi solum, (ope reflexi luminis Solaris) utrum centrum lentis se rite habeat, sed, si forte aberratum fuerit, errorem admissum corrigendi. Agitur quoque de fulcris tuborum prægrandium, aliisque ad mechanicam Dioptricam referri solitis. Quintum caput Cl. Auctor ad controversiam inter B. *Hevelium* & *Hoockium* quondam agitatam discutiendam impendit, refellitque non solum Hevelianas rationes, quibus dioptræ telescopicæ impugnantur, sed harum pariter ac micrometri fabricam & usum quoque describit. Sexti capitis pars maxima historica est, de vitrorum agens opticorum inventione, quæ *Rogerio Baconi* asseritur; de primo telescopii auctore, qui Batavus fuisse dicitur; de illis, quæ telescopiorum adminiculo detecta fuerunt in corporibus cœlestibus, aut microscopiorum, in terrestribus. Reliqua vero ostendit, posse telescopium ad propinquas res inspiciendas quoque adhiberi, ac tandem transferri ad usum Geometricum, ex una statione distantiam aliquam dimetiendi. Non dissimulantur vero impedimenta, quæ objicere se possint, ac efficere, ut ipsa praxis non

ſatis accurate reſpondeat theoriæ, quæ rite ſeſe habet. Ultimum caput in declaranda illa viſione verſatur, qua unum objectum geminum nobis adparet. Quod cum tunc demum accidat, cum axes optici non in idem objecti punctum feruntur, Cl. Auctor hinc occaſionem arripit confirmandi, quod objectum nobis poſſit adparere duobus in locis, nec tamen geminum videri, illosque refellendi, qui unum ſolum oculum in objectum eſſe intentum, alterum autem ſemper otiari contendunt. Appendicis loco problema de vitrorum ſphæricorum focis inveniendis adjectum eſt, quod celeberrimus Vir *Edm. Hallejus* erudite reſolvit.

Sed ut ſpecimen quoque afferamus novæ methodi, cujus ſub initium hujus recenſionis facta eſt mentio, inveſtigabimus concurſum radiorum directe incidentium in vitri convexo-plani ſuperficiem gibbam.

TAB. I. Ergo in figura adjecta ſit vitrum convexo-planum afb, radius incidens cd, parallelus axi ez, ſintque data fb vitri craſſities, qf radius convexitatis, & dg diſtantia radii ab axe.

Producatur radius cd indefinite usque ad m, & a puncto d ducatur recta dq ad centrum q. Ex d tanquam centro radio dq ducatur arcus qm, & fiat ut 14 ad 9, ita mn ad op, ducaturque ko. Porro ex k erigatur kx perpendicularis ad planum abb, & ex centro k deſcribatur arcus xf ſecans ko productam in u. Tandem deſcripto ſinu tu, fiat ut 9 ad 14, ita tu ad rf, & ducatur kf, quæ producta ſecet axem in Z. Erit Z punctum concurſus quæſitum.

Quod ut trigonometrice inveniatur, quæratur in triangulo rectangulo qdg, ex datis qd & dg, angulus incidentiæ dqg, & latus qg; eruntque $qf - bf = qb$, & $qg - qb = bg = di$. Fiat deinde, ut 14 ad 9, ita ſinus $dqf = mdq$, ad ſinum $odq = kdl$. Quo angulo cognito innoteſcit etiam angulus $idk = xku$, quia $mdq (= idl) - kdl = idk$. Quapropter in triangulo rectangulo idk, ex noto latere di & angulo idk, inveniri poterit latus ik, eritque $ib (= dg) - ik = kb$. Porro fiat ut 9 ad 14, ita ſinus anguli incidentiæ xku, ad ſinum anguli refracti $xkf = kzb$. Tandem in triangulo rectangulo khz, latus kb & omnes anguli noti ſunt, ut adeo facile inveniri poſſit

TAB. I. ad A 1693.

pag. 4.



Data

$qf = qd = 300$

$fh = 90$

$dg = ih = 120.$

$\angle dqg = mdq = idl = 23^{\circ}.35'$

$\angle qdg = 66^{\circ}.25'.$

$qg = 275.$

$qf - hf = qh = 210.$

$qg - qh = hg = di = 65.$

$\angle Kdl = odq = 14^{\circ}.54'.$

$\angle idl = Kdl = idK = xKu = 8.41'.$

$iK = 10.$

$ih - iK = Kh = 110.$

$\angle xKs = Kzh = 13^{\circ}.33'.$

$\angle zKh = 78^{\circ}.27'$

$zh = 459$

$zh + hf = zf = 549.$

Digitized by Google

poſſit latus hz, & $fz = fh + hz$, diſtantia puncti concurſus z ab f polo lentis convexo-planæ.

AN ESSAY OF TRANSMIGRATION IN DEfence of Pythagoras, or a Diſcourſe of Naturæl Philoſophie. h.e.

Tentamen defendendi Pythagoram, quoad doctrinam de Metempſychoſi, ſeu Diſcurſus Phyſicus.

Londini apud Thom. Baſſet, 1692. 8. plag. 16.

IN vulgus nota eſt, quæ Pythagoræ, Philoſophorum veterum principi, tribuitur, de animarum transmigratione doctrina. Ea vero cum exagitetur paſſim, & ita explicetur, ac ſi Pythagoras mentem hominis, ſeu animam rationalem, modo in hominem, modo in brutum transmigrare tradiderit, vindicandam ſibi ſumſit philoſophi famam auctor hujus tentaminis, qui in dedicationis fine *Whitelocke Bulſtrode* vocatur, conatusque eſt oſtendere, nihil ſe indignum cenſuiſſe Italicæ philoſophiæ conditorem, mentemque illius non eſſe aſſecutos, qui tam abſurdam affinxerint ipſi ſententiam. Perſuaſiſſimus enim eſt, de anima ſenſitiva & vegetativa intelligendum Pythagoram, & hoc ſenſu dogma illud non ad animantia ſolum ſed vegetabilia quoque & mineralia, quæ omnia vitali aliquo communi principio gaudeant, recte translatum eſſe veriſſimum. Id vero ut oſtendat, philoſophiæ naturalis proponit principia, gemina illis, quæ auctor *Enchiridii Phyſicæ reſtitutæ* tradit, & ab Hermeticis philoſophis maxime probantur, eaque deinde latius explicat & defendit. Cenſet autem, Pythagoræos ſecutus, ex corporibus cœleſtibus catholicum emanare in aërem ſpiritum, qui non ad ſublunarium rerum productionem ſolum concurrat, ſed & animæ, vitam illis impertientis, fungatur munere, tandem vero, cum diſſolvuntur illa corpora, redeat in receptaculum illud aëreum, naturaque privatus ſpecifica, & virtute nova imbutus, denuo ad alia corpora animanda adhibeatur. Hoc ergo ſenſu Pythagoram

Auctor asseruisse contendit, Euphorbum se quondam fuisse, cum eodem quasi sensitivo spiritu se agitari deprehenderet; nec ideo a carnibus abstinuisse, ne parentes forte suos devoraret, sed temperantiæ ductum studio, quos facilius digereret, cibos sumsisse. Quum vero negari non possit, docuisse Pythagoræos, animas v. g. lascivorum in sues, homicidarum in lupos &c. transire, id, Timæo teste, ideo factum asserit, ut homines, qui veris admonitionibus locum non relinquerent, fabulosa illa pœnarum recensione a vitiis cohiberent.

HISTOIRE DE L' ESTAT PRESENT DE l'egliſe Grcque & de l' egliſe Armenienne; par Monſieur Ricaut.

Hiſtoria ſtatus præſentis eccleſiæ Græcæ eccleſiæq; Armenicæ: autore *Rycauto; Roſemondo* interprete.

Medioburgi, apud Ægidios Horthemels P. & F. 1692. in 12. Conſtat plag. 20.

TRiplici potissimum opere memoriam suam posteritati commendavit PAULUS RYKAUT, eques Anglus, de quo plura videsis in Actis Eruditorum *A. 1684.* p. 114-121. & *Supplementorum* tomo I. p. 19. 20, ubi duorum ejus librorum mentio injecta fuit. His nunc accedat *Hiſtoria ſtatus præſentis Eccleſiarum Græcæ & Armenicæ*, qualis nempe fuit A. 1677, quo Rycautus opusculum hoc lectu jucundissimum sermone vernaculo concinnavit, quod dein A. 1688 Rosemundus, e Gallia in Angliam profugus, eleganti stylo in suum idioma convertit, Horthemelii autem superiore anno Medioburgi evulgarunt. Duabus partibus absolvitur libellus. Altera describitur Christianorum Græcorum status sub Turcarum imperio, ubi multus est Auctor in deprædicanda eorum constantia. Mox septem ecclesiæ Asiaticæ ex Apocalypsi Joannis recensentur, & eundem fere in modum, ut a Sponio & Whelero in Itinerariis factum est, inscriptionibus illustrantur.

P. I. c. 1. c. 2.

Ex illis est, quod Sardibus reperitur, marmor hoc quantivis pretii:

pretii: ΓΑΙΟΝ ΑΝΤΙΟΝ ΑΥΛΟΝ ΤΟΥΛΛΙΟΝ ΑΥΛΟΥ ΤΙΟΝ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΝ ΔΥΣ (legendum esse δὶς, nemo non videt) ΥΠΑΤΟΝ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΑΣΙΑΣ ΣΕΡΤΕΜΥΙΡΟΝ ΜΕΠΟΥΛΩΝΟΣ (corrigere non dubitamus: σεπτέμυιρον ἐπουλόνων) ΦΡΑΤΡΕΜ ΑΡΟΥΑΛΕΝ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΚΑΙ ΒΕΘΥΝΙΑΣ (fortè βεθυνίας, uti in numo Antinoi; abundat etiam χ) ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΑΣΙΑΣ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΚΑΠΠΑΔΟΚΙΑΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΚΡΗΤΗΣ (legendum videtur: κρήτης καὶ κύπρου, πρεσβευτὴν σεβαστὸν χ στρατηγὸν) ΚΥΠΡΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΛΥΚΙΑΣ ΚΑΙ ΠΑΜΦΙΛΙΑΣ (lege παμφυλίας) ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΝΕΡΩΝΟΣ (legendum Νερουᾶ) ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΔΑΚΙΚΟΥ ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΣΥΡΙΑΣ Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΠΡΟΧΩΡΩΝ ΠΕΡΓΑΜΕΝΩΝ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΑ ΤΗΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ.

Descriptionis extrema ita refingenda videntur: Δακικοῦ, ἡ βουλὴ χ ὁ δῆμος τῶν πρώτων ἐπαρχίας Ἀσίας, νεωκόρων, Περγαμηνῶν, τὸν εὐεργέτην, ἐπιμεληθέντα τῆς ἀναστάσεως τῶν στρατιωτῶν. Rycautus vertit: *Gaium Antium, Aulum Tullium, Auli filium, Quadratum, bis Consulem, Proconsulem Asiæ, Septemvirum Mepulonis, Fratrem Arvalem, Legatum & Propratorem & Bithyniæ Legatum: Asiæ Legatum Imperialem Provinciæ Cappadociæ, Proconsulem Cretæ, Cypri Legatum imperialem, Præfectum belli, Lyciæ & Pamphyliæ Legatum, Propratorem Imperatoris Neronis Traiani Cæsaris Augusti, Germanici Dacici, Provinciæ Syriæ, Senatus & Populus primorum procerum Pergamensium benefactorem, qui curam suscepit reformandæ militiæ.*

At secundum nostras emendationes interpretatio talis emergeret: *Cajum Antium Aulum Tullium, Auli filium, Quadratum, bis Consulem, Proconsulem Asiæ, Septemvirum Epulonum,* (confer *Reinesium* classf. I. inscript. 40.) *Fratrem Arvalem, Legatum & Propratorem Bithyniæ, Legatum Asiæ, Legatum Augusti provinciæ Cappadociæ, Proconsulem Cretæ & Cypri, Legatum Augusti ac Pratorem Lyciæ & Pamphyliæ, Legatum & Propratorem Imperatoris Nervæ Trajani*

Trajani Cæſaris Auguſti, Germanici, Dacici, Senatus Populusque primorum provinciæ Aſiæ, Neocororum, Pergamenorum, ceu Benefactorem, qui militiæ reſtauranda curam geſſit, monumento hoc honorarunt.

Præter prolixam hanc inſcriptionem nonnullæ aliæ hoc capite laudantur, ſed minoris momenti, & nimium quantum temporis injuria corruptæ. Potiores autem ſunt, quibus ſuperbit urbs Ackhiſar, non procul a Lyco flumine diſſita, utpote ex quibus patet, eam eſſe veterem *Thyatyram*.

Diſſerit deinceps c. 3. Rykautus de patriarchis Græcorum, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Hieroſolymitano, Antiocheno, quorum nomina A. 1678. fuere *Dionyſius*, *Paiſius*, *Theolytus* & *Macarius*. *Conſtantinopolitanorum* Patriarcharum ſeriem poſt *Philippum Cyprium* contexere ſtuduit *Henricus Hilarius*, Supplementorum noſtrorum T. I. p. 391. memoratus. Huic in recentiorum temporum hiſtoria memoriis ſatis copioſis deſtituto addere licet ex Rycauto, quod A. quidem 1670. *Mythodius* (vel potius *Methodius*) ſedem tenuerit, ſed, quum exiguo temporis intervallo dignitate illa gaviſus eſſet, a *Parthenio* coactus ſit, patriarchale ſolium derepente relinquere, ac in ædibus Britannici ad Portam Ottomannicam Legati aſylum quærere. Parthenius ante annum finitum, locum cedere juſſus eſt *Dionyſio*, Epiſcopo Lariſſæo, qui anteceſſorem in inſulam Rhodum deportari, quin & decreto Concilii Conſtantinopolin convocati eccleſiæ communione excludi curavit. Quum autem *Panajoti*, hominis Græci ac interpretis Magni Vezirii, *uxor*, matronarum Chriſtianarum primiceria, divitiis potentiaque mariti fiſa, Patriarcham contemptim habuiſſet, eaque propter indignationem illius meruiſſet, vindictæ cupida conjugem ſuum induxit, ut Turcis autor eſſet, *Geraſimum* Epiſcopum Turnovæ, in Valachorum finibus, ſubſtituendi Dionyſio, quem tum oportuit contentum eſſe epiſcopatu Philippopolitano & titulo ΠΡΟΕΔΡΟΥ ſive Expatriarchæ. Vertente tempore, *Parthenius*, qui adhuc apud Rhodios exul commorabatur, de *Panajoti* obitu certior factus, largitionibus profuſiſſimis Turcas propitios ſibi reddens, Patriarchatum ambiit obtinuitque, ſed poſt brevem axiomatis male parti uſuram ſede dejectus eſt a *Dionyſio* ſupra dicto, iisdem plane artibus ad faſtigium iſtud ſacrum graſſato. Is

to. Is anno adhuc 1678, quo Rycautus operi ultimam manum imposuit, axiomate illo fruebatur.

Jus canonizandi, sive in album sanctorum referendi homines pios, Patriarchæ quidem Constantinopolitani sibi vindicant, sed raro hodie exercent, quia mille testes actionum Beati requiruntur, antequam canonizatione dignus reputetur; pauci etiam singulari probitate id honoris mereri student, vel adeo divites relinquunt hæredes, ut tot sumptus, quibus ad hoc negotium opus est, memoriæ cognati impendere cupiant. cap. 6. Dum septem Græcorum *mysteria* sive sacramenta enarrat Rykautus, de Georgianis observat, quod non nisi *octennes* hodienum ad S. Baptismum admittant. c. 7. Sacrificii Missatici ceremonias sedulo describit, & μετανοίωσεως vocem a Græcis in Italia studiis sacris operatis in Græcam ecclesiam hoc sæculo introductam, non diffitetur, qua de re pluribus disseruimus ex Th. Smitho & Rich. Simone in Actis A. 1687. p. 92. & Suppl. T. I. p. 75. Relatio de viginti cœnobiis in monte *Atho* singularia non pauca complectitur, quæ non temere in aliis itinerariis offendas. c. 9. c. 11. Eorum catalogum excerpere non erit dividiæ.

Nomen, plerumque barbarum.	*Census annuus Turcis solvendus:* Joachimici	*Patronus.*
I. Ἁγία Λαύρα.	110.	S. Athanasius, cœnobii extructor, ineunte Sæc. IX. clarus.
II. Καρακάλ.	25.	SS. Petrus & Paulus.
III. Φιλοθέυ.	*Kesim*	Annunciatio Mariæ.
IV. Ἰβέρο, conditum a Joh. *Turnicio*, Ibero.	85.	Assumtio B. Virginis.
V. Σταυρονικήτας.	18.	S. Nicolaus.
VI. Παντοκράτορα, a Theodosio conditum.	57.	Transfiguratio J. C.
VII. Κονταλομύσες, Andron. Pastæologi opus.	55.	Tranfiguratio J. C.
VIII. Βατοπίδι, Constantini M. opus.	100.	Annunciatio Mariæ.
IX. Σιμήνο.	25.	Ascensio J. C.
X. Χιλιαδάρ, a Sabba, Simeonis Bulgariæ principis F. extructum.	100.	Præsentatio J. C. in templo.

XI. Ζωγράφ.	35.	S. Georgius.
XII. Καρυομενικὸ.	*Keſim*	S. Stephanus.
XIII. Δ[illegible]ρείς.	30.	S. Michael Archang.
XIV. Ξενοφ.	30.	S. Georgius.
XV. Ῥῶσικο.	*Keſim.*	S. Pantalimon.
XVI. Ξηροποτάμη. Andronicus Palæologus condidit. Corruiſſe traduntGræci, cum Joh. Palæologus miſſam Latinam ibi cantari permiſiſſet.	56	SS. XL. Martyres.
XVII. Γρηγορίς.	25.	S. Nicolaus.
XVIII. Σιμόπετρα.	54.	Nativitas J. C.
XIX. Διονυσίς, qui cœnobium condidit tempore Alexii Comneni.	60.	S. Joh. Baptiſta.
XX. Ἁγίς Παύλς, conditoris, S Athanaſio coætanei.	35.	S. Georgius.

Summa : 900 ſcutati ſive Joachimici.

Quia vero Φιλοθέϊς, (itemque Καρυομενικὸ ac Ῥῶσικο,) *Keſim* (h. e. ob paupertatem immune ab oneribus) factum eſt, cætera cœnobia, qnæ maximam partem ſunt ditiſſima, illorum vices ſubire & tantum pecuniæ conferre oportet in cenſum illum annuum, ut vetus mille Joachimicorum ſumma compleatur.

c.14. De Purgatorio animarum, in diſpoſitione quadam ad pœnitentiam corpore ſolutarum, ita ſentiunt Græci. Carcer iſte non differt localiter ab inferno. Animæ illæ pœnam patiuntur non ſenſus, ſed damni, neque igne aliquo purgatorio purificantur. Nec quatuor Patriarchæ, neque aliquis epiſcopus univerſalis, indulgentiam poſſunt dare animabus, carcere ſuo egrediendi. Quod ſi miſericordia divina illas in die pantocritico ex loco illo in cœlum beatorum transferendas eſſe decernat, tum hujus participes fient gratiæ, tanquam membra eccleſiæ militantis, cujus precibus, piis operibus & ſacrificiis incruentis juvari creduntur.

c.15. Quum olim in *Romania*, ſive *Romelia* Turcica, fœminæ Chriſtianæ Muhammedanis viris frequenter nupſiſſent, anno demum 1672. adiit Patriarcha Conſtantinopolitanꝰ ſummum Turcarum pontificem, genu-

geminamque propoſuit quæſtionem: *Num liceret Turcæ jungi fœminæ, quæ ſuilla veſceretur vinumque biberet? Et annon liberi, ex ejusmodi conjugio procreati, ab utero matris immundi, ac Muſulmanorum nomine indigni eſſent?* Reſpondit Mufti: *Matrimonia id genus eſſe illegitima.* Tum Patriarcha: *Ergo prohibete illa in Romelia, ubi nimis frequentia exiſtunt.* Conſenſit alter, ac magno Vezirio perſuaſit, ut legem ferret, ne Turca Chriſtianam duceret uxorem, niſi illa avitam antea religionem ejuraverit. Sic Patriarcha cavere ſtuduit, ne Chriſtianæ cultores gignerent Muhammedi. Quoad cultum imaginum, ex parte, quoad cultum Angelorum & Beatorum hominum, ex aſſe conſpirant moderni Græci cum Romanenſibus. Ut Græci Latinos tum A. 1664. jure epiſcopali in inſula Chio, tum A. 1674 cuſtodia ſacri ſepulcri Hieroſolymitani, (Turcarum conſenſum multo ære emercati,) privarint, fuſius apud Rykautum deſcriptum invenies. Numerus virorum, fœminarum atque infantum, qui cenſum ſolvunt Turcis in inſulis Archipelagi, adſurgere fertur ad centum quadraginta quinque millia. c. 17. 18. c. 19.

Miris ſuperſtitionibus faſcinari ſe patiuntur Orientales, quod vel exemplo patet ænei vaſis non magni, aqua repleti e *Zimzam*, fonte apud Arabes ſacro. Hanc putant virtute eſſe præditam teleſmatica, alliciendi certum avium genus, cui nomen *Smirmar*, quodque locuſtas, quibus Syria maximopere affligitur, devorare ac extirpare ſolet. Iſtam autem aquam nec per portam, nec ſub tecto portari fas eſt, donec ad templum, quo transfertur, deventum fuerit. Hinc cum A. 1671. d. 15. Aprilis *Alepum* magna cum pompa ac frequentia Muhammedanorum, Chriſtianorum atque Judæorum adportaretur vas ejusmodi, tunc ſuper portam, qua Damaſcum itur, ac dein ſuper muros arcis ſublatum fuit, donec in Moſcheam arcis modo dictæ inferretur, in qua illud trium iſtarum religionum aſſeclæ, in ſuperſtitionem tam puerilem ac Chriſtianis præcipue indignam mirifice conſentientes, inter hymnos & preces repoſuerunt.

Accedamus nunc ad alteram voluminis partem, *de ſtatu præſenti Armenorum.* Obſervat hic Rykautus ante omnia, Armenos modernos tantum non omnes corpore robuſto, vultu decoro & gravi, at ſimul neſcio quid melancholici ſpirante præditos eſſe. Incuſat eos avaritiæ ſordidiſſimæ, contumaciæque nulla ratione P. II. c. 1.

Digitized by Google

vincibilis: nec ulla in re, niſi in mercatura facienda, ſapere pronunciat, adeo ut nullum ſe noſſe dicat, qui aut Poeſi, aut fabula amatoria ingenii ſpecimen ediderit. Quæ ad ſuperiorum temporum Armenos trahenda non exiſtimamus, cum vel ex Clemente Galano dubio procul Rycauto innotuerit *Nierſes* Ghelaienſis Armenus, carminibus hiſtoricis famam immortalem meritus. Stuporis hujus rationem arceſſit Noſter ab aëre ſpiſſo regionis inter ſylvas denſiſſimas latentis, qui vaporibus paludum, ventis e mari Caſpio ortis, & fumo lebetum, in quibus feres araneos incolæ coquunt, magis magisque corrumpatur. Inter fœminas vix milleſimam mediocriter formoſam eſſe, omnes autem naſis longiuſculis deturpari, Rykautus adſerit.

cap. 2. Armenia quatuor ſubeſt Patriarchis, quorum primus eſt *Etſchmeaſinenſis*, *Siſenſis* alter, tertius *Canſchaharenſis*, quartus denique *Achtamarenſis*. *Conſtantinopolitanus* & *Hieroſolymitanus* ſunt tantum titulares. Armeni a lepore æque abhorrent, ac a porco Judæi. *Etſchmeaſinenſe* templum, Sultani permiſſu, *campanis* gaudet, quo privilegio ſub Turcarum ditione nulla præter eam eccleſia fruitur, niſi illæ ſolum, quas in Valachia Moldaviaque inque monte Atho reperire eſt. Dein ex *Acutanghio* hiſtoriam narrat de *Savorich*, *Rupſameh* & *Gayeneh*, quibus apud Symeonem Metaphraſtem, ac ex eo apud Galanum nomina ſunt ſancti *Gregorii* (primi Armenorum Patriarchæ) & ſanctarum *Ripſimis* & *Cajanæ*. Addit, & recte quidem, a Gregorio *Tiridatem* Regem cum Armenis ad Chriſtianam fidem perductum; at, dum a tempore illius converſionis epocham Armeniacam, (qua annus e. c. 1688. æræ Dionyſianæ ſit annus Armeniacus 1137.) incipere ait, grandiuſculus ei obrepſit parachroniſmus. Etenim ſi ab A. 1688. ſubtraxeris 1137, habebis annum Chriſti 551. Atqui Gregorius (ut Noſtratium quidam in *Hiſtoria*, quam molitur, *Arſacidarum* probabit,) Tiridatem convertit anno Chriſti 306. ſive A. XV. Tiridatis, mortuus A. C. 335, Tiridatis XLIV. unde liquet, annis demum 245 poſt converſionem Armeniæ initium ſtatuendum eſſe epochæ Armeniacæ. Eccleſiam

c. 4. Armenicam omnes articulos fidei in concilio Nicæno approbatos amplecti, *Rykautus*, *ſymbolo* eorum integro producto, ſtatuminat. Eutychianiſmi vulgo rea creditur, eo quod in ſymbolo iſto

legitur

legitur: *Credo, quod ex tribus illis perſonis una genita ſit a Patre ante omnem æternitatem, in tempore autem deſcenderit e cœlo in Mariam, e qua accepit ſanguinem, formatus in ejus utero; ubi Deitas mixta fuit cum natura humana, abſque ulla macula aut ſorde.* Verum Rykautus monet, *mixtionem* idem hic notare ac *unionem*, quemadmodum & Græci in confeſſione Anatolica Græco-Barbara vocent membra corporea Chriſti ἑσμιμένα μὲ τὴν θεότητα, *mixta cum Deitate.* Ne nimium ſimus prolixi, ex fine tantum libelli repetere juvat argumenta, quibus probatum ivit Rykautus, ab homine Romano-catholico, non ab Armenis ipſis, compoſitam eſſe *confeſſionem* illam *fidei*, quam Dominus *de Nointel*, Legatus Galliarum Regis ad Turcarum Imperatorem, A. 1674 a Patriarcha ſubſcriptione confirmari curavit. Notat ſcilicet, quod ibi *Sacramenti* notio adhibeatur, quæ captum Armenorum ſuperet, & apud illos ignota ſit; quod hoc ſymbolum in cœlo totidem fere ſanctos collocet, quot Romana eccleſia, quum Armeni vulgo ſolam B. Virginem & Eliam prophetam ante diem extremum in cœlo eſſe, perſuaſi ſint; quod denique in eo tradi videatur, confuſionis evitandæ cauſſa epiſcopum Romanum pro capite univerſalis eccleſiæ agnoſcendum. Jam alterius argumenti libro manum admovebimus. c. 12.

LES OEUVRES D' ANACREON ET DE Sapho. i. e.
Opera Anacreontis & Sapphus, editore Domino de Longepierre.

Pariſiis apud Carolum Clouzier 1692. in 12. ch. maj.
Conſtant plag. 17.

SOlent jam bibliopolæ Batavi, dum per bellum eis non licet editiones librorum Gallicanas ſibi comparare, *Pariſiorum* nomen præfigere operibus Gallorum in Belgio impreſſis. Hujus notæ eſt libellus, cujus titulum repræſentamus: *Comedies Grecques d' Ariſtophane, traduites en François, avec des notes critiques & un examen de chaque piece ſelon les regles du theatre, par Madame DACIER. A Paris, chez Denys Thierry, ruë St. Jaques, & Claude Barbin,*

Digitized by Google

Barbin, au palais, 1692. avec privilege du Roy. Sunt nempe nonnisi duæ Aristophanis fabulæ, *Plutus* & *Nubes*, ad exemplum illius editionis, quam in Actis Eruditorum A. 1685. p. 302. recensuimus, recusæ, non *Lutetiæ* sane, sed, ut vel ex catalogo librorum novorum subnexo colligere est, *Amstelodami.*

Idem sentiendum de *Anacreontis* & *Sapphus* poëmatibus, Parisiis, si titulo fides, nuperrime editus. Nam hic ipse Domini de *Longepierre de Reicquelaine,* Nobilis Burgundi, labor lucem pridem vidit Lutetiæ A. 1684. Id quod nobis jam olim innotuit ex *Petri Bælii* Novellis Reip. Literariæ, m. Nov. 1684. p. 392. & *Hadriani Bailleti* judiciis eruditorum de Poëtis modernis, num. 1557. Ejusdem mentionem injecimus *Tomo I. Supplementorum*, Sect. II. p. 100. cum ejusdem Longapetræi *Moschum* & *Bionem* recensebimus. Cæterum hoc volumine continentur primum *præfatio*, qua, quantum sua ab *Annæ T. Fabri F. Daceriæ* editione (de qua vide ſis *Acta Eruditorum A. 1683.* p. 402.) discrepet, edisserit; dein *vita* Anacreontis & *carmen* encomiasticum Longapetræi in eundem; mox Teji illius senis *odæ* LXXVI. *epigrammataque* VII. cum *epigrammate* incerti vatis in Anacreontem. Omnia Græce, adjecta e regione *versione* Gallica metrica, tersa adeo ac nitida, ut, si quid judicamus, non raro prototypum ab ectypo elegantia superetur, interspersis etiam ubivis *notis* eruditis, quibus versionis ratio redditur, & Græca Anacreontis non raro emendantur. Succedunt *vita* Sapphus, *elogium* illius a Longapetræo decantatum, tum τὰ σωζόμενα poetriæ ipsius, *Hymnus* nempe unus, *oda* una, sex *fragmenta*, *epigrammata* deniq; bina. Universa similibus *versionibus* ac *notis* stipantur, qualibus, quem modo diximus, Anacreon.

MISCELLANEOVS DISCOVRSES CONCERNING the dissolution and changes of the VVorld, &c.

hoc est:

Discursus miscellanei de dissolutione seu mutationibus mundi, in quibus chaos primitivum & creatio, generale diluvium, fontes, lapides figuris præditi, conchylia in terra reperta, montes, terræ motus, Vulcani,

Digitized by Google

cani, univerſalisque conflagratio & ſtatus mundi futurus fuſe diſcutiuntur & examinantur, a Johanne Rajo, Societatis Regiæ ſodali.

Londini, apud Sam. Smith a. 1692 in 8.

Conſtat plag. 18.

QUamvis olim extiterint in populo Judaico viri divino afflati Spiritu, quos Prophetas vocamus, ac prædictio & præſenſio rerum futurarum, qua illi pollebant, viguerit aliquamdiu etiam in Chriſtianæ primordiis eccleſiæ, hodie tamen ceſſaſſe illa penitus videtur, eaque poſſumus eo facilius carere, quod, quæ nobis cognitu ſunt neceſſaria, in ſacras extant relata literas, ex quibus rerum futurarum, quanta nobis expedit, ſcientia unice eſt haurienda. In quibus cum conſideratione maxime digna ſit totius hujus univerſi cataſtrophe, non alio ex fonte, quam ſacro, & divini quidem Petri 2. Epiſt. 3. v. 11, ejus notitiam hauriendam eſſe cenſuit Clariſſimus Rajus. Cujus commatis verba priora cum admodum evidenter agant de mundi interitu, hinc ſenſus ejusdem primum explicatur, & aliis Scripturæ teſtimoniis munitur, vindicaturque ab Hammondi interpretatione, qui omnia Nov. Teſt. loca, (excepto 2. Pet. 3. 7.) quæ vulgo de mundi explicantur deſtructione, ad excidium Hieroſolymorum & Reipublicæ Judaicæ pertinere contendit. His adduntur veterum eccleſiæ doctorum ſuffragia, & luculenter ex Juſtino Martyre, Irenæo, Lactantio, aliisque oſtenditur, in ea fuiſſe illos ſententia, inſtare decretorium diem circa ſexti millenarii finem; ex Euſebio vero, Cyrillo Hieroſolymitano, Oecumenio & Hieronymo probatur, illos non perditionem totalem hujus univerſi, ſed mutationem in melius olim futuram ſtatuiſſe. Accedunt tandem ethnicorum philoſophorum opiniones, quorum duæ præcipue ſectæ, Epicurea nimirum atque Stoica, diſſolvendum aliquando mundum tradiderunt, ridiculis tamen & nullius pretii argumentis doctrinam ſuam propugnantes. Verum quia longe his ſectis vetuſtiores tum philoſophi, (Empedocles nimirum & Heraclitus), tum poëtæ, (Sophocles atque Diphilus) eandem ſententiam a majoribus acceptam ſuam fecerunt, probabile admodum Cl. Auctori videtur, eandem a Noacho ejusque filiis, humani generis reſtauratoribus, poſteris quaſi per

manus

manus traditam fuiſſe, præcipue cum demonſtrari poſſit, Gallos, Chaldæos, Indos &c. quibus nihil erat cum Græcis philoſophis aut poëtis commercii, hac quoque opinione imbutos fuiſſe. Porro tota ut res manifeſtior evadat, *ſeptem* proponuntur *quæſtiones*, præcipuas argumenti de quo agitur complexæ circumſtantias, & erudite reſolvuntur.

Ac *primum* quidem *quæritur*, num quid in natura detur, ex quo futura illa diſſolutio probabiliter colligi poſſit. Licet enim mundus ſenio nequaquam corrumpatur, ſed, judicio Cl. Auctoris, poſito ordinario Dei concurſu durare poſſit in æternum, negari tamen nequit, fingi poſſe accidentia quædam haut abſurda, quæ ſi contingerent, poſt ſe traherent terræ interitum. Horum quatuor commemorantur: diluvium ſcilicet univerſale, extinctio Solis, eruptio ignis in centro terræ concluſi, ſiccitas & inflammatio terræ in Zona torrida, conjuncta cum omnium ignivomorum montium furore. Affore autem aliquando tempus illud, quo rurſus aquæ terram ſint inundaturæ, hinc probabiliter concludi poſſe videtur, quod imbrium aquæ, terram ex montibus deferentes, ſenſim non ſolum horum altitudinem minuunt, ſed partim eam ad oſtia ſua deponunt, eaque altiora reddunt, partim in medium maris alveum provolvunt, ejusque minuunt profunditatem. Huic ſi addas, quod fluctus ſenſim exedant ſcopulos in littore maris extantes, ut ſubſidere tandem illos ac replere maris alveum neceſſe ſit, facile colliges, fore ut, abolita declivitate omni, ſtagnent fluminum aquæ, ipſumque mare, nullis amplius limitibus coercitum, terras omnes denuo inundet. Hanc tamen ſententiam, quæ a nonnullis, qui terræ altitudinem augeri potius quam minui ſtatuunt, fruſtra oppugnetur, immenſum ſupponere annorum ſpatium, ac, ſi vaſtiſſima ſpectes montium, quibus continentes cinguntur, juga, vix ac ne vix quidem locum habere poſſe, cenſet Cl. Auctor, nec unquam hoc modo periturum terrarum orbem, quem flammis exurendum diſertis verbis Apoſtolus aſſerat. Porro ſi, quod aliis fixis ſtellis Aſtronomi accidiſſe putant, Sol maculis ita involveretur, ut in planetam degeneraret, omnia in terra perpetuo gelu rigente interitura, quis eſt qui non intelligat? Contra vero ſi, quem in terræ meditullio poſitum exiſtimant Carteſiani, ignis perrumperet corticem, quo continetur, toti procul dubio terræ circum-

Digitized by Google

circumfuſus exureret omnia & devaſtaret, quod in Caſſiopeæ ſidere factum quidam augurantur, cum circa præcedentis ſeculi finem illuſtri admodum, ſed brevi duraturo, ſplendore fulgeret. Verum quia ſententia, quæ gelu periturum orbem aſſerit, Apoſtolo, qui ignem nominat, e diametro repugnat; ignis vero exiſtentia in centro terræ precaria ſolum eſt, prætereaque, ſi quis ex terra erumperet, niſi forſan illum flumen aliquod metalli liquefacti eſſe ponas, in auras ſubito evaneſceret; patet neque illis conjecturis eſſe aliquid dandum. Omnium autem minimam veri habet ſpeciem, terram æſtu Solis in zona torrida aliquando exarſuram, aut montes Vulcanios terræ illaturos vaſtitatem. Neque enim huc usque notabile quoddam incendium a montibus illis ortum fuit, nec ullum comparet indicium, pauciori jam tellurem imbutam eſſe humore in calidis illis regionibus, quam olim fuit; ſed vaſtiſſimi montes, qui ab oriente verſus occidentem per terras illas ſunt protenſi, nec non venti a mari ordinarie ſpirantes, efficiunt ut vapores in aërem elati non poſſint ſeptentrionem aut meridiem verſus evagari, ſed condenſati in terras, ex quibus extracti, denuo recidant. *Secunda quæſtio*, utrum deſtructio mundi per ordinaria, an per extraordinaria media facienda ſit, ita reſolvitur, ut medium quidem naturale, ignem ſcilicet, futurum, ſed accenſionem ejus repentinam, & diffuſionem, quaqua patet orbis, extraordinariam ſeu miraculoſum Dei opus fore aſſeratur. Ad *tertiam quæſtionem*, num gradualis & ſucceſſiva, an vero ſubita & momentanea futura ſit illa diſſolutio, reſpondetur, non ſubitaneam illam ſolum, ſed & improviſam mortalibus & inopinatam fore, ex multis S. Scripturæ conſtare locis, niſi forte illa cum Hammondo ad interitum & exitium urbis & reipublicæ Judaicæ referre velis. *Quarta* de ſignis extremi diei agit, quæ cum vel naturalia poſſint eſſe, vel arbitraria, negat Auctor priora hac in re dari, cum diſſipatio mundi non pendeat ex cauſis naturalibus; poſteriora dari poſſe concedit, Scripturamque S. ad illa digitum intendiſſe videri, cum ſigna in Sole, Luna, ſtellisque futura Luc. 21, 25. commemorat. Verum cum hæc ſigna homines in timorem & rerum futurarum expectationem conjectura dicantur, vix illa loca, ſi literali in ſenſu accipiantur, cum inexſpectato & repentino Chriſti adventu conciliari poſſe autumat, ac proinde accipienda potius

potius ea in ſenſu figurato & metaphorico, de ruinis & devaſtationibus urbium & provinciarum, converſionibus imperiorum, caſibus regum atque principum &c. quæ licet contingant, atque de fine mundi imminente moneant pios, non tamen prohibeant, quo minus impii ſecure in utramque dormiant aurem, ſecus ac facerent, ſi Sol aut Luna ſuum amitterent ſplendorem, & ſtellæ de cœlo caderent. *Quintæ* quæſtioni, quæ de tempore hujus deſtructionis agit, ea ſubjicitur reſponſio, quæ non ſolum incertum plane eſſe illud tempus confirmat, ſed & vanas quorundam divinationes, certum annum mundi conflagrationi præfinientes, refellit, & veterum quoque opinionem ſupra recenſitam non multum habere momenti oſtendit, æque ac alteram illam, qua Chriſtiani veteres proxime inſtare diem extremum putarunt, inducti Scripturæ locis, quæ de adventu Chriſti ad populum Judaicum perdendum loquuntur. In *ſexta* quæſtione, quid illo fatali conſumendum ſit incendio, diſquiritur, utrum ſcilicet illud globum duntaxat terraqueum peremturum ſit, an vero ſimul quoque cœlum ætherenm, cum Sole, Luna, reliquisque ſideribus, quod innuere videntur dicta quædam Scripturæ Sacræ, v. g. Pſalm. 102, 25.26. Matth. 24, 35. &c. Atque hic quidem Cl. Auctor in ea eſt ſententia, ignem, qui globum telluris corripiet, non deprædaturum, ob immenſam illam diſtantiam, ætheream quoque regionem, neque tamen negat cœleſtia quoque corpora corruptioni eſſe obnoxia, & peritura eo tempore illisque mediis, quibus uti Deo viſum fuerit. *Tandem* num in nihilum redigendus ſit mundus, an vero purificandus & tandem reſtaurandus, diſputatur, videturque Auctori poſterior pars quæſtionis maxime probabilis, & conformis Scripturæ, rationi, & antiquitati. Scriptura enim *ἀποκατάστασιν* & *παλιγγενεσίαν* mundi pollicetur Act. 3, 21. Matth. 19, 28. 29. mutationemque, non vero annihilationem vocat, Pſalm. 102, 26. Heb. 1, 12. & frequentem novi cœli & terræ injicit mentionem. Patres vero plerique omnes ſuam fecerunt hanc ſententiam, eamque Græci æque ac Barbarorum philoſophi, traditione procul dubio ab antiquis acceptam, docuerunt. Præterea ſi annihilandus mundus, quid conflagratione opus eſt, quæ ad hunc finem non ſatis accommodata videtur? quippe cum ignis corpora in particulas quidem minores dividere, non autem in nihilum redigere poſſit.

Quod

Digitized by Google

Quod autem objicitur a ſecus ſentientibus, finem hujus univerſi a Deo conditi eſſe partim Creatoris gloriam, partim hominis utilitatem, ac proinde, cum illa ex mirabili univerſi hujus fabrica innoteſcere amplius nequeat homini in beatorum locum translato, nec alia detur creatura, cui illa hinc manifeſta fieri debeat, nullumque præterea poſſit inde commodum derivari in homines æternis jam bonis affluentes, non apparere, quamobrem inſtauranda ſit vaſta hæc machina; id ita refellit Auctor: Forte in ſcenam prodituram novam rationalium animantium ſpeciem, quæ plus gloriæ & honoris datura Deo, quam unquam factum ab homine. Et licet nullæ forent tales creaturæ viſibiles, fortaſſis tamen entia quædam intelligentia operam navatura perſcrutandis & contemplandis operibus divinis novi mundi, atque ſapientiam æque ac potentiam majori longe, quam homines, celebratura præconio. Quæ conjecturæ licet verum non aſſequantur, cum fines, quos ſibi Deus præfixit, percontando ſemper aſſequi datum nobis non ſit, non tamen hinc effici, nullos plane fines eſſe, ſed illos ambitioſos eſſe nimis, qui ſui gratia ſolum conditum mundum exiſtimant, nec Deum poſſe rite, niſi ab hominibus glorificari. Quando autem inſtant & quærunt, utrum omnia vegetabilia & bruta ſint reſtituenda, quotquot unquam fuerunt, an quædam ſolum, & quænam præ reliquis? Item, utrum propagatio ſpecierum reſtauratarum in infinitum proceſſura, an vero miraculo quodam cohibenda, & corporibus illis concedenda ſit immortalitas? reſpondet clariſſimus Rajus, dubium eſſe nullum, fore ut bruta æque ac vegetabilia omnia cum ſeminibus ſuis vi ignis deſtruantur, nec ſubeſſe cauſam, cur credamus, ea reſuſcitanda, ſed vero eſſe ſimilius, producenda nova eſſe corpora, vel ejusdem, ſi Deo placuerit, cum prioribus illis ſpeciei, vel diverſæ, atque eum quidem in finem atque uſum, quem Deus ipſis præfiniverit.

Ab his quæſtionibus acceditur ad poſteriorem commatis explicati partem, & oſtenditur, recte Apoſtolum concludere, ſanctitati & pietati Chriſtianos operam dare debere, ne forte dies Domini imparatos occupet, & terribile judicium in illo celebrandum omnium hominum expoſitos opprobrio æternis addicat pœnis, ſed potius participes fiant novi cœli & terræ, in quibus juſtitia inhabitat. Ne autem Epicurei in dubium voçare poſſint futurum illum

æternæ vel felicitatis vel miſeriæ ſtatum, ex Scripturis pariter ſacris ac traditione univerſali, ethnicis quoque recepta, eum confirmat doctiſſimus Auctor; æternitatis vocem non diuturnum, ſed perpetuo duraturum tempus denotare probat; illos, qui aut minas divinas non ſerias, ſed terriculamentorum inſtar eſſe putant, quibus in officio contineantur homines, aut infinitam pœnam cum juſtitia ac bonitate Dei conciliari poſſe negant, graviter confutat; tandemque ad ſanctitatem homines modis omnibus adhortatur.

Cæterum capitibus hactenus recenſitis paſſim admiſtæ ſunt digreſſiones & diſcurſus, ut vocantur, occaſionales, quibus varia ſcitu non injucunda explicantur. Ac primum quidem de *univerſali diluvio* multa erudite commemorantur, dum & ex ſcriptoribus gentilibus proferuntur teſtimonia, hiſtoriæ in Scriptura ſacra relatæ veritatem corroborantia, & cauſæ deinde conſiderantur naturales, quibus illud effectum eſſe videtur. Licet enim non valde abſurda ſit illorum opinio, qui totum ſpatium aëreum in aquas converſum fuiſſe aſſerunt; ſatius tamen eſſe cenſetur, inhærere Codicis ſacri literæ, quæ tale quid comminiſcendi nullam nobis ſuppeditat occaſionem, ſed ſolum teſtatur, ruptos omnes fontes abyſſi magnæ, & feneſtras cœli fuiſſe apertas. Quæ verba commodam admittunt interpretationem, ita ut per feneſtras cœli apertas intelligere liceat condenſationem omnis illius aquæ in pluviam, quæ in aere non illo ſolum, qui continenti, ſed etiam qui oceano circumfuſus eſt, hærebat: cujus maximam fuiſſe copiam, vel ex imbre 40 dies durante, & oppoſitione aquarum inferiorum & ſuperiorum, Gen. 1, 6. eſt manifeſtum. Rupti autem fuiſſe fontes abyſſi magnæ dici poſſunt, dum meatus aperti fuerunt ſeu canales, per quos maxima vi eruperunt aquæ ſubterraneæ cum mari communicantes, vel quia (ſi Americam a diluvio immunem fuiſſe ponas) centrum gravitatis globi terraquei a Deo propius admotum fuit continenti noſtræ, vel quia (ſi univerſaliſſimum facias diluvium) Deus agente quodam naturali, nobis licet ignoto uſus, ita ſuperficiem totius oceani depreſſit, ut horrendum in modum aquas evomeret ſubterraneas. Hinc autem porro facile colligitur, non potuiſſe non modis illis tantam congeri aquarum vim, quæ toti telluri cooperiendæ ſufficiebat. Quod ſi enim cum quibusdam ſcriptoribus ponas, quotidie ab omnibus fluviis

Digitized by Google

viis tantum aquæ in mare devolvi, quantum dimidius capit oceanus, eamque a pluvia illis ſuppeditari, ſequitur, quia communium annorum vix quarta pars imbribus fœda eſt, ſi ſine intermiſſione plueret, fore ut ſingulis diebus duo oceani quaſi in mare effluerent, atque adeo 40 dierum continua pluvia 80 oceani in terram effunderentur. His ſi accedant fluctus ex abyſſo proſilientes, manifeſtum eſt, non potuiſſe aquas, anguſtiis montium hinc inde præpeditas, tanta celeritate deferri in oceanum, quanta terram inundaverant, præſertim ſi ventum ponas a Deo forte eum in finem excitatum fuiſſe, ut curſum aquarum ſufflaminaret.

Porro dum de fontibus abyſſi magnæ agit Auctor, occaſionem arripit de *fontium origine* diſſerendi, quos ex oceano per cœcos ductus derivari negat, ſed potius oriri contendit ex vaporibus, dum illi vel in pluviam abeunt aut rorem, præcipue cum æſtivo tempore adpellunt ad juga montium, vel in nivem denſantur, quæ ſoluta terram penetrat. Neque enim Cl. Hallejo adſtipulatur, qui ex ſolis vaporibus ad vertices montium in guttulas coeuntibus omnes deducit: quia, licet id æſtate fieri poſſit & calidis in regionibus, Alpium tamen, qui principes Europæ fluvios conſtanter emittunt, vertices continuos ſex menſes nive tecti ſunt, ita ut non poſſint eo pertingentes vapores in aquam, ſed in nivem potius, abire; imo noſtris in regionibus qui ad tantam altitudinem evehuntur vapores, ſæpiſſime ob aëris ambientis frigiditatem in nivem concreſcunt. Neque obſtare ſuæ ſententiæ putat, quod quidam nec perennes fontes a pluviis incertis derivari poſſe autumant, nec illos, quorum ſcaturigines paulo ſunt profundiores, cum imbrium aquæ non altius terram penetrent, quam ad decem circiter pedes. Nam perpetuos fontes tunc oriri dicit, cum orificia fontium nimis ſunt anguſta, nec omnem conceptam aquam poſſunt effundere; aquam pluviam vero plusquam centenos pedes terram ſubire luculentis exemplis probat, quorum haut poſtremum eſt, quod in cuniculos nonnullos ſatis profundos, ex quibus lithanthraces effodiuntur, guttulæ defluunt eo copioſiores, quo imbres ſunt frequentiores.

Ad *effectus diluvii* quod attinet, quilibet eos magnos fuiſſe facile conjiciet, ejusque ope peninſulas v. g. in inſulas converſas,

inſulas vero additas continenti, alveos fluminum mutatos, montes hic accumulatos, illic vero abreptos fuiſſe. Quo pertinet etiam, quod vitæ humanæ ſpatium poſt diluvium contractum valde fuit, ob mutationem vel in aëris temperie, vel in rebus, quibus veſcimur, exortam; quamvis liquido non conſtet, qua ratione hic effectus ab aquis in aëre, aut terra naſcentibus, productus fuerit. Id quoque a quamplurimis doctiſſimis viris refertur ad diluvii effecta, quod *teſtæ conchyliorum* hinc inde diſperſæ viſuntur, non in convallibus ſolum, ſed altiſſimis quoque montibus, Apennino ſcilicet ipſisque Alpibus; quia forte ex mari cum aquis ſubterraneis conchylia varii generis provenerunt, non ſecus ac in lacu Lugeo Carniolæ piſces cum aquis ſingulis annis redeuntibus. Horum opinioni quamvis haut obſcure faveat Rajus noſter, & corporum illorum nonnulla pro veris teſtis adhuc incorruptis, alia pro teſtis petrefactis, quædam pro lapidibus in teſtis animalium tanquam modulis elaboratis, habeat; non diſſimulat tamen eorum, qui teſtas illas non exuvias animalium, ſed naturæ teſtas imitantis luſum eſſe ſentiunt, rationes, ex quibus illa præcipua eſt, quod obſerventur inter conchylia putrefacta variæ aliæ corporum ſpecies, v. g. cornua Ammonis, quibus hodie nulla reſpondent animalia marina, ita ut integras illas ſpecies interiiſſe ſit neceſſe; quod abſurdum.

Tandem de *Chao* quoque primitivo ſententiam ſuam dicit Cl. Auctor. Supponit autem, in principio rerum a Deo conditam maſſam, terræ nomine Gen. I. 1. 2. indicatam, quæ principia ſeminaque rerum ſublunarium varie miſta complexa fuerit, & partim ex ſolidis gravibusque partibus, partim ex fluidis levioribusque conſtiterit. Quo factum, ut graviores partes primum ſubſederint, leviores vero ſeu fluidæ ſupernatarint, atque ita tellus aqua tecta fuerit. Hinc aquam virtute divina in peculiare collectam fuiſſe receptaculum, quod, qua ratione factum, determinare quamvis foret temerarium, non eſſe tamen improbabile, Deum uſum cauſis naturalibus, quæ terræ motus ſolent efficere, atque ita in altum ſuſtuliſſe *montes*, eoque forte reſpicere Davidem Pſalm. 104. 7. Terræ motus enim montibus dare poſſe originem, vel Puteolos teſtari, propter quos anno 1538, 29. Sept. mons, qui Italis *Monte di cenere* vocatur, cujusque altitudo perpendicularis 100. pedum eſſe fertur, terræ motu

fuit

fuit excitatus. Hac ergo ratione factum, ut continens ex mediis quasi aquis tertio creationis die emerserit, ea quidem proportione, ut quantum terra firma a littoribus versus mediterranea loca assurgit, tantum etiam maris alveus sensim, usque ad medii oceani loca, deprimatur. Quod opus manifeste arguit mentem, summa pariter sapientia & potentia instructam. Quamvis enim rem ipsam non rite perpendentibus, terra videri possit informis quasi ruinarum & ruderum acervus, & confusa illa vastorum montium dispositio & figura nihil præ se ferre artis aut dignum Dei providentia, quem ἀεὶ γεωμέτρην gentiles quoque philosophi prædicarunt; revera tamen ipsa varietas, quam montes, promontoria scopulique crudes ac indigesti, cum vallibus suis, ostendunt, magis jucunda oculis accidit, quam adspectus superficiei perfecte planæ, variasque montes utilitates præbent humano generi. Neque enim omnis fert omnia tellus, sed ut bruta quædam, sic plantæ quoque, altissima amant montium cacumina. Recondunt etiam in se montes metalla, quæ si vel maxime in vallibus essent abdita, erui tamen non possent, ob affluentis aquæ copiam, quæ ad decliviora loca non posset derivari. Huc accedit, quod fontibus quoque dent originem, & vastissima illa juga, quæ caput inter nubila condunt, nulliusque videntur esse usus, non solum repellant vapores in calidis regionibus a Sole elevatos, ne ad septentrionem possint divertere, sed & limites regionum & provinciarum constituant.

SYNODICON IN GALLIA REFORMATA: or, the acts, decisions, decrees and canons of those famous National Councils of the Reformed Churches in France.

hoc est:

Acta, decisiones, decreta, canonesque famigerabilium illorum *Conciliorum Nationalium* Ecclesiarum Reformatarum in Gallia. Ex *autographis Synodalibus* collecta a *JOANNE QUICK*, Ministro Evangelii Londinensi.

Londini

Londini, impensis T. Parkhurst & J. Robinson, A. 1692.
Volumina II. in Folio.
Constant alphabetis 14, plagulisque duabus.

SYnodos veteres *Gallicanas*, sub Romanis Principibus a Constantini Magni tempore, & post Romanos sub Burgundionib9, Gothis, Francis e prima & secunda Regum stirpe habitas, *tres* in *tomos* digessit, ac Parisiis A. 1639 Cramoysianis typis in Folio excudi curavit *Jacobus Sirmondus*, S. I. Presbyter. Recentiorum, a Romanæ religionis patribus agitatarum, non paucas recenset *collectio Conciliorum regia* A. C. 1644 Parisiis impressa. Plures tamen petere licebit e tomis Conciliorum *Philippi Labbei* & *Gabrielis Cossartii*, ibidem A. 1672. editis, qua de re confer sis *Acta Eruditorum* A. 1684. p. 350. Ut autem illas taceamus, quæ ætate antevertunt reformationem, divino beneficio, ministerioque *Martini Lutheri* & μαχαίρᾳ, A. 1517. cœptam, videas *tomo* Duumvirorum istorum clarissimorum *decimo quarto*, repræsentari concilium *Bituricense* anni 1528, *columna 426.* & *Parisiense* sive *Senonense* anni ejusdem, *col. 432*: *sequenti* vero eoque ultimo *tomo* concilia,

Narbonense,	a. 1551.	*col. 3.*
Remense,	a. 1564.	*col. 43.*
Rotomagense,	a. 1581.	*col. 821.*
Remense,	a. 1583.	*col. 884.*
Burdegalense,	a. 1583.	*col. 944.*
Turonense,	a. 1583.	*col. 1001.*
Bituricense,	a. 1584.	*col. 1067.*
Aquense,	a. 1585.	*col. 1119.*
Tolosanum,	a. 1590.	*col. 1378.*
Avenionense,	a. 1594.	*col. 1434.*
Narbonense,	a. 1609.	*col. 1573.*
Senonense,	a. 1612.	*col. 1628.*
Burdegalense,	a. 1624.	*col. 1632.*

At Synodos a *Reformatis Gallis*, qui Calvini se discipulos profitentur, habitas, non modo *Pontificii* æternis tenebris dignas putarant, sed & *Protestantes* publici in orbe literario juris facere hucusque

usque neglexerant ; quanquam nonnulli , ac cumprimis *Blondellus, Gualterius* & *Catelanus*, canones Synodales in juſtum corpus redegerant, Synodus etiam *Lausdunenſis* a. 1659 Salmurienſem Profeſſorem, Moſen *Amyraldum*, juſſerat idem facere, abhibitis in ſubſidium operibus triumvirorum modo laudatorum. Hinc integra relicta eſt Synodica meſis Eccleſiaſtæ Londinenſi *Joanni Quick*, Viro doctiſſimo, qui opus ſuum e MSCtis authenticis congeſtum haud ita pridem in lucem emiſit, *ſextuplicis* generis contenta in libri frontiſpicio lectori pollicitus, nimirum (1) *Fideliſſimam ac a partium ſtudio alienam* hiſtoriam *de Reformationis Gallicanæ ortu, incrementis, perfectione, ac fatali cataſtrophe per revocationem edicti Nametenſis A. 1685. factam.* (2) Confeſſionem *Fidei & Diſciplinæ in his eccleſiis.* (3) Collectionem *orationum, epiſtolarum, artium politicarum circa ſacra, caſuum conſcientiæ, & controverſiarum theologicarum in his conventibus ventilatarum ac deciſarum.* (4) *Egregia* remedia, *quibus ſchiſmata præveniri tollive, & Proteſtantium diſſentientium concordia reſarciri queat.* (5) Leges, *ſtatuta regiminisque rationem in Gallorum reformatorum ſcholis, academiis miniſteriisque eccleſiaſticis receptam, cum exemplis pœnarum eccleſiaſticarum miniſtris membrisq; eccleſiarum delinquentibus inflictarum.* (6) Notitiam *quamplurimorum eventuum illuſtrium, qui, Divina Providentia ita volente, eccleſiis ſæpe dictis obtigere.* Atque hæc ſunt, quæ præſtare ſtuduit *Collector* diligentiſſimus, qui & *Introductionem* ſatis prolixam, at lectu perquam dignam Actis ſuis præfixit.

In ea refert, evangelii lucem poſt tenebras papatus Gallis primum illuxiſſe, ſæculo XII, adminiſtro *Petro Waldo* Lugdunenſi. Porro, qui hinc orti, quosque Papæ Romani fruſtra tentarint extirpare, *Albigenſes Waldenſesque* proluſiſſe *Reformationi* perfectiori, cujus poſt *Wilhelmum Briſſonetum*, epiſcopum Meldenſem, *Jacobum Fabrum Stapulenſem* Picardum, *Martinum Lutherum*, *Huldricumque Zwinglium*, *Joannes Calvinus* primarium fuerit inſtrumentum. Huic jungendos *Olivetanum*, miniſtrum verbi Pedemontanum, antiquæ verſionis Bibliorum Gallicæ autorem, *Clementem*que *Marotum* & *Theodorum Bezam*, qui Pſalmos Davidis vernaculis carminibus extulere, ac *Ludovicum Guadimellum*, qui melodias ſuaviſſimas iisdem adjecit. His ſubſidiis ad religionem reformatam

perductos viros fœminasque ſummæ, mediæ, infimæque fortunæ, etſi igni & ferro in illius adſeclas ſævirent Romanenſes. Ut vero *Henricus II.* Galliæ Rex injuriam Reformatis fieri intelligeret, in Synodo *Pariſienſi* A. 1559 *articulos Confeſſionis Fidei* (in Syntagmate etiam Confeſſionum Genevenſi reperiundæ, ac tum Henrici II. præpropero fato abrepti ſucceſſori *Franciſco II*, tum *Carolo IX*, Regibus Galliæ, oblatæ,) ut & *Canones diſciplinæ eccleſiaſticæ*, (quorum ſimul varias lectiones ex editionibus quinque conquiſitas heic illic affert *Quiccius*,) in chartam conjectos. Nec defuiſſe divinam benedictionem amplificando fidelium cœtui. Anno enim 1571. in Synodo Rupellenſi a Theodoro *Beza* oſtenſum, eccleſias reformatas in Gallia tunc fuiſſe 2150 circiter: ut adeo fidem facile inveniat, quod refertur, intra decennium plus quam ducenta millia Reformatorum violentam pro fide mortem ſubiiſſe, præſertim in Laniena illa Pariſienſi, quæ A. 1572. contigit. At in Synodo *Montepeſſulana* A. 1598. numerus eccleſiarum fuit 760. In *Gargogilenſi* A. 1601. non niſi *753*. In *Vapingenſi* A. 1603. circiter *485*. Excrevit in Syn. *Rupellenſi II.* A. 1607. ad *578*. In Syn. ad *S. Maxentium* A. 1609. invenias *762*. Porro Synodus *Caſtrenſis* A. 1626. enumerat eccleſias 624, non computatis *Bearnenſibus*, quæ demum A. 1637. in Synodo *Alenconienſi* eccleſiis Franciæ Reformatæ Regis permiſſione ſpeciali *incorporatæ* fuerunt; tametſi prioribus temporibus eorum quoque *deputatis* (ceu hoſpitibus) Synodum adire licuit, quum id vel ipſis Genevenſibus olim integrum fuerit, e quibus Joh. *Calvinus* in Synodo Vertolienſi caſus nonnullos matrimoniales ſcripto peculiari actis inſerto decidit, quin ipſius *Moderatoris* munus in Rupellenſi prima geſſit Theodorus *Beza*. Ἀκμὴν florentiſſimumque Reformationis ſtatum Quiccius reperit in intervallo temporis, quod annis 1572 & 1594 interceſſit; at vacillare tunc ait incepiſſe, quum *Henricus IV.* R. G. religionem reformatam cum corona Gallorum regia commutaret. Aliquid firmitatis ei iterum acceſſiſſe ex edicto *Nannetenſi*, in quo exarando per trienniuſn integrum deſudarunt Senatus Pariſienſis Præſes, Jacobus Auguſtus *Thuanus*, & Cancellarius regni Navarræ Dominus de *Calignon*, religioni reformatæ addictus. Subſcripſit Rex *Henricus IV.* Nanneti in Britannia Aremorica menſe Aprili 1598. & in Parlamento publicari juſſit ultimo Martii 1599. Huc etiam feciſſe

edictum

edictum *Nemauſenſe* a *Ludovico XIII.* R. G. datum menſe Julio a. 1629, quum ſtatim poſt Henrici IV. extrema fata variis, contra edictum Nannetenſe, ſubjecti fuiſſent injuriis: imo & declarationem *Ludovici XIV.* datam ad *S. Germani in Laia* d. 21. Maji 1652. His prolixam ſubjungit narrationem, quanto primum aſtu, ac qua tandem violentia edicta illa revocata fuerint ac ſubverſa. Sed quum hæc maximam partem variis libellis Gallicis deſcripta Lectorem vix fugiant, id unum adhuc addere juvat, *Quiccium*, antequam *Introductioni* finem imponat, commemorare, quibus ad *Synodicon* ſuum concinnandum MSCtis uſus ſit. Primum fuerat *Forcni*, Paſtoris Sionæi in Aremoricis. Quinque codices ſuppeditavit *Conſiſtorium* veteris eccleſiæ Anglo-Gallicæ *Londinenſis*. Alios ſuggeſſerunt *Miſſonius* Niortenſis, *Bagnoſius* (Baignoux) Pictavienſis & *Meſtayerus* ad D. Quintini, quondam Paſtores. Addit obſervationem geminam, quod *XXIX.* illæ *Synodi Nationales* intra ſæculi ſpatium celebratæ, quodque trigeſima *Nemauſi* habenda decreta quidem, nunquam tamen habita fuerit. His præmiſſis, in tabula repræſentabimus Synodorum illarum *numerum*, *tempus*, *locum* & *moderatorem*, qui una cum *aſſeſſore* & duobus *ſcribis* e cœtu *Deputatorum* provincialium, ſub cujusvis Synodi auſpicia, communi conſenſu eligi ſolebat.

	TEMPVS.	LOCVS.	MODERATOR.
I.	25. Maji 1559.	*Lutetia Pariſiorum*; (Paris).	Franc. *Morellus*, Dn. de Callonges, miniſter Pariſienſis.
II.	10. Mart. 1560.	*Pictavium*, (Poitiers).	*Le Bailleur.*
III.	25. Apr. 1562.	*Aurelianum*, (Orleans).	Ant. *Chandieu*, (Hebraice *Sadeel*,) Dn. de la Roche, miniſter Pariſienſis.
IV.	10. Aug. 1563.	*Lugdunum*, (Lyon).	Petrus *Viretus*, eccleſiaſtes Lugdunenſis.
V.	25. Dec. 1565.	*Lutetia Pariſiorum*, ubi & Syn. I.	Nicolaus de *Galars*, miniſter Aurelianenſis.

	TEMPUS.	LOCUS.	MODERATOR.
VI.	1. Sept. 1567.	*Vertolium* in prov. Engoliſmenſi ; (Verteuil).	*De l' Eſtre.*
VII.	2. Apr. 1571.	*Rupellæ* , (la Rochelle).	Theodorus *Beza* , Genevenſis miniſter.
VIII.	6. Maji 1572.	*Nemauſus* , (Niſmes).	Joannes de la *Place.*
IX.	2. Febr. 1578.	*Fanum S. Fidei* , in prov. Petrocorienſi ; (S. Foy).	Petrus *Merlinus* , paſtor domeſticus Guidonis, Comitis Lavallii.
X.	2. Aug. 1579.	*Figeacum*, in prov. Cadurcenſi ; (Figeac).	*Fayus* , Pariſienſis miniſter.
XI.	21. Jun. 1581.	*Rupellæ* , ubi & Syn. VII. XIIX.	*Nortius* , Rupellenſis miſter.
XII.	15. Maji 1583.	*Vitræum* , in Aremoricis (Vitré).	Petrus *Merlinus* , idem, qui Synodo IX.
XIII.	15. Jun. 1594.	*Montalbanum* , (Montauban).	Michael *Beraltus* , paſtor Montalbanenſis.
XIV.	5. Jun. 1596.	*Salmurium* , (Saumur).	Dominicus Losſius, Dn. de la *Touche*, Paſtor in Mouchant & Fano S. Fulgentii in prov. Pictavienſi.
XV.	26. Maji 1598.	*Mons Peſſulanus* , (Mompellier).	Mich. *Beraltus* , de quo Syn. XIII.
XVI.	9. Maji 1601.	*Gargogilum*, (Gergeau) in finibus Carnutum, & diœc. Aurelianenſi.	Georg. *Pacardus* , paſtor Rupifucaldienſis , (Rochefoucaud).
XVII.	1. Octob. 1603.	*Vapingum*, (Gap) in Delphinatu.	Daniel *Chamier*, paſtor eo tempore Montelimarienſis.
XVIII.	1. Mart. 1607.	*Rupellæ*, ubi & Syn. VII. XI.	*Beraltus*, idem qui Synodo XIII. & XV.

XIX.

Digitized by Google

	TEMPUS.	LOCUS.	MODERATOR.
XIX.	25. Maji 1609.	*Fanum S.Maxentii* (S. Maixant) in prov. Pictavienſi.	Joannes *Merlinus*, paſtor Rupellenſis.
XX.	14. Maji 1612.	*Privatium*, (Privas) in prov. Vivarienſi.	Daniel *Chamier*, idem qui Syn. XVII.
XXI.	3. Junii 1614.	*Toninii villa inferior*, (Tonneins), in Aquitania inferiori.	Joh. *Gigordus*, Paſtor & Profeſſor Montis Peſſulani.
XXII.	18. Maji 1617.	*Vitræum*, ubi & Synodus XII.	Andreas *Rivetus*, Paſtor Toarcienſis, (Thouars).
XXIII.	1. Oct. 1620.	*Aleſia*, in prov. Gebennenſi; (Alez).	Petrus *Molinæus* (du Moulin) Paſtor Pariſienſis.
XXIV.	1. Sept. 1623.	*Carentonium*, prope Lutetiam; (Charenton Saint Maurice).	Samuel *Durandus*, paſtor Pariſienſis.
XXV.	16. Sept. 1626.	*Caſtra* (Caſtres) in comitatu Albigenſi.	Iſaac *Chauve*, paſtor Sumerenſis, (Sommiers) in Occitania inferiori.
XXVI.	1. Sept. 1631.	*Carentonium*, ubi & Syn. XXIV. XXIIX.	Joannes *Meſtrezatus*, Paſtor Pariſienſis.
XXVII.	9. Jul. 1637.	*Alenconium*, in Normandia; (Alençon).	Benjamin *Baſnagius*, Paſtor in oppido *S. Matris Eccleſiæ*, in Normandia.
XXVIII.	26. Dec. 1644.	*Carentonium*, ubi & Syn. XXIV. XXVI.	Antonius *Garriſſolius*, Paſtor & Prof. Montalbanenſis.
XXIX.	10. Nov. 1659.	*Lausdunum* (Loudun) in Andegavorum & Pictonum confinio.	Johannes *Dallæus*, Paſtor Pariſienſis.

In his igitur Synodis Nationalibus ea omnia deciſa ſunt, quæ in Synodis provincialibus indeciſa remanſerant. Illa autem, quæ vel *fidem* vel *diſciplinam* eccleſiæ Calvinianæ ſpectant, ſatis pridem nota ſunt, ut heic repetere ſupervacaneum ſit. Plerique etiam caſus miniſtrorum eccleſiæ promotorum, aut cenſuris eccleſiaſticis ſubjectorum, non admodum faciunt ad hiſtoriam literariam, de qua nos unice heic ſoliciti ſumus. Non dividiæ tamen erit, huc transferre miſcellam obſervationum variarum ex hoc opere excerptarum.

Ad Synodos has e ſingulis Franciæ reformatæ *provinciis* (quarum primo *undecim*, mox *plures*, tandem *quindecim* fuere,) *deputabantur* tum *theologi*, tum *ſeniores* eccleſiæ ſæculares, *unus* aut *duo*. His ſolis ſuffragia ferre licebat. Cæteris theologis auſcultandi tantum ac parendi gloria relinquebatur. Etſi vero præter *deputatos* nulli ſæculares e nobilibus urbiumve incolis in Synodum admiſſi ſint, ut conſultationibus intereſſent, id tamen honoris principibus quoque viris quandoque datum reperimus. Sic enim in Synodo *Rupellenſi* prima a. 1571. præſentes fuere *Joanna*, Navarræ Regina, *Henricus*, Navarræ Princeps, *Henricus Borbonius*, Princeps Condæus, *Ludovicus*, Comes Naſſovius, *Gaſpar Colinius*, Thalaſſiarchus, Franciæ, alii.

a. 1572. In *Nemauſenſi*, cap. VII. art. 6. imponitur Mich. *Beralto* provincia, ut *Comerardi* Toloſani hiſtoriam Albigenſium e lingua Albigenſi in Gallicam transferri & prælo ſubjici curet.

a. 1578. In Synodo *ad* Fanum *S. Fidei* (St. Foy) prima *appellatio* facta eſt, quales in recentioribus quamplurimæ reperiuntur. Provocavit tunc ad Synodum Princeps *Condæus* a conſiſtorio *Rupellenſi*, quum ab euchariſtia arceretur ob deprædationes maritimas hoſtium poſt pacificationem; ſed injuſtam cauſam habere edoctus eſt.

a. 1581. In *Rupellenſi II.* condemnatur commentarius Latinus in Geneſin Jacobi *Brocardi*, Pedemontani.

a. 1583. In *Vitræenſi* (vel Vitriacenſi aut Victoriacenſi,) cap. IV. art. 14. approbatur *Harmonia Confeſſionum*, impreſſa Genevæ apud Petrum Santandreanum, a. 1581. in 4. Hujus auctorem ignorabamus. A Synodo vocatur *Salnar, miniſter eccleſiæ Caſtrenſis*, (de Caſtres). Notat autem *Quiccius*, quod in MSC. uno legatur *Halnar*, in duobus *Saluart*. Poſteriori modo idem nomen exaratum vidimus in Actis Synodi *Gargogilenſis*, cap. 6. art. 8.

In

In *Salmurienſi* ab officio deponitur *Petrus Cabier*, eccleſiaſtes ex inſula Franciæ, ob libros duos editos pro *neceſſitate publicorum lupanarium*. Hic poſtmodum Pontificiorum partibus acceſſit. a.1596.

In *Vapingenſi* decernitur cap. 2. art. 4. quod Reformatores primi auctoritatem prædicandi evangelium habuerint, non e vocatione & ordinatione priſtina in eccleſia Romana, ſed e ſola vocatione extraordinaria & interno impulſu divini Numinis. a.1603.

Synodo *Tominienſi* ſubnectitur diploma excommunicationis, quo *Jeremias Ferrerius*, Paſtor quondam & Profeſſor Nemauſenſis, d. 15. Jul. 1613. *Satanæ* poteſtati traditur, & anathemate feritur ab eccleſia Nemauſenſi. Confer *Syn. Aleſienſem* cap. 10. art. 21. a.1614.

In eadem *Aleſienſi*, univerſi canones concilii Dordraceni prælecti, approbati & canonibus eccleſiarum Francicarum adjuncti ſunt, uti videre eſt *cap. 10. art. 23.* Joh. Paulo *Perrino*, Miniſtro Nionenſi in Delphinatu, applaudit Synodus c. 13. art. 3. ob conſcriptam & typis evulgatam *Hiſtoriam Waldenſium & Albigenſium*. Nihilominus Jacobus *Capellus* Tillæus (du Tilloy,) paſtor Sedanenſis, invitatur in Synodo *Carentonenſi I.* c. 10. art. 12. ad conſcribendum *Hiſtoriam Albigenſium*. (Inſerit huic Synodo Carentonenſi I. c. XVII. *Quiccius* digreſſionem de libris Petri *Molinæi* Paſtoris & Profeſſoris Sedanenſis, mortui a. C. 1650. ætat. 90, quorum *ſeptuaginta quinque* longa ſerie enumerantur.) a.1620.

Synodus illa *Carentonenſis I.* omnium prima fuit, in qua Commiſſarius Regis (Reformatæ religioni addictus,) comparuit, curaturus, ne aliæ, quam eccleſiaſticæ res in ejusmodi conventibus pertractarentur. Is tum & in ſequentibus duabus fuit Auguſtus *Gallandus*, JCtus & Antiquarius celeberrimus, cujus *Hiſtoriam Navarræ & Flandriæ* edidit Guillemotius Pariſiis 1648. a.1623.

In *Alenconienſi* Synodo *Teſtardus*, paſtor Bleſenſis, & *Amyraldus*, P. & Prof. Salmurienſis, prolixe probare ſategerunt, ſe in doctrina de univerſalitate meriti Chriſti, abſoluto decreto aliisque, cæteris Galliarum doctoribus reformatis conſentire; ideoque tandem pro ſociis agniti ſunt. Lectu etiam digna eſt epiſtola *Diodati* Genevenſis ad Synodum modo dictam pro verſione ſua Bibliorum Gallica. a.1637.

In Synodo *Carentonenſi III.* formulæ extant *baptizandi* Judæos, Muhammedanos, Gentiles & Anabaptiſtas; item a Quiccio adjecta a.1644.

jecta *capita concordiæ Presbyterianorum Anglorum* cum aliis Protestantibus, anno circiter 1690. scripto consignata.

Hactenus e *Quiccii* opere excerpta. Non abs re forsan esset, si prælo committerentur ipsa *MSCta Gallica* Synodorum, quum Gallica lingua plerisque exterorum eruditorum magis sit nota, quam Anglica. Possent tunc addi scholia *Quicciana*, sed diverso charactere, cum in hac Anglica editione ipsi Actorum contextui ita quandoque inserantur, ut pro essentiali eorum parte a lectore minus attento facile haberi possint. Tandem nec hoc silentio obliterandum, quod ab eodem *Quiccio* ICONES DOCTORUM VIRORUM promittantur iis passim locis, ubi *Chamierii*, *Dallæi*, *Amyraldi*, *Drelincurtii*, *Homelii*, &c. mentionem *Acta* injiciunt. Nam quanquam a. 1691, cum ultimam manum *Synodico* imponeret, annos jam *quinquaginta quinque* natus fuerit, spem tamen fecit, (utpote non otio, sed nunquam interrumpendis erga literatos officiis reliquum vitæ tempus transacturus,) magni, quod diximus, operis, laborem sibi ea ratione non leviorem imponens, quam qualem jamjam accurata hac Synodorum Gallicanarum editione feliciter exantlavit.

MEMOIRS OF VVHAT PAST IN CHRISTENdom, from the VVar begun 1672, to the Peace concluded 1679.

The second edition. London. Printed for Nic. Chisvvell, 1692. 12. Alphab. 1.

MEMOIRES DE CE QVI S' EST PASSÉ DANS la Chrestienté, depuis le commencement de la Guerre en 1672, jusqu' à la Paix concluë en 1679. Par Monsieur le Chevalier Temple. Traduit de l' Anglois.

A la Haye, chez Adrian Moetjens, 1692. 12. Plag. 21.

i. e.

Commentarii de his, quæ acta sunt in Republica Christiana, post ortum bellum a. 1672, usque ad pacem sancitam a. 1679.

DUplici habitu prodiit eodem fere tempore scriptum, quod ab Illustri Auctore splendorem insignem consecutum est, & ipsi

& ipſi viciſſim impertivit. Etiamſi enim prorſus diſſimularit nomen ſuum, non ſolum iſtud editionibus, quæ in Anglia prodierunt, non præfigens; verum etiam, cum duplici vice in ipſo libello mentio ſui injicienda eſſet, de ſe tanquam alieno loquens: diſſimulare tamen munus haud potuit, quo in negotio quod deſcribit, functus eſt. In quo cum prudentiam ſuam & in rebus agendis dexteritatem adeo omnibus probarit, ut vix aula aut politicus eſſet, qui ipſum Auctoris nomen non magni faceret; fieri vix potuit, quin ſtatim lectores cognoſcerent ex ſcripto auctorem. Atque hoc forte interpretem Gallum etiam movit, ut Auctoris nomen ſuæ verſioni præfixerit, quo operi ipſi inſignius indè pretium accederet; niſi etiam id egit, quod ipſe in dedicatione innuit, ut publicum primo ſtatim intuitu cognoſceret, cui tam inſigne opus debeat. Ut vero quæ in eodem expectanda habeat, itidem colligere poſſit, paucis eadem indicabimus. Exponit nimirum Auctor, titulo etiam indice, ea, quæ durante bello, quod ab anno 1672. ad annum uſque 79. Rempubl. Chriſtianam afflixit, in ea geſta ſunt. Non deſcribit prolixe prælia, urbium expugnationes, conflictus ſingulares, militumque artes & inſidias, ſed penetrat ad conſiliorum intimiora, ac detegit rationes, quæ tantam negotiorum machinam direxerunt, ac toties externam rerum faciem permutarunt. A bello itaque ordiens, quod Galliarum atque Angliæ Reges Belgio Fœderato intulerunt, quodque mox univerſam fere Europam ad arma provocavit, breviter exponit, tum ipſius originem, tum ex parte Anglorum feſtinatum finem. Iſtam quidem, quomodo miniſterio ac conſilio debeatur virorum, quos communiter la *Cabale* appellarint, voce, quæ primam cujusque nominis literam refert, nimirum, Clifford, Arlington, Buckingam, Askley, & Lauderdale; hunc vero, quomodo urgente neceſſitate, ab Anglis particulari pacis fœdere impetratus fuerit. Ex quo tempore, cum Anglorum Rex Mediatoris partes inter Galliæ Regem, & Belgium Fœderatum Cæſaremque ac Principes alios Belgis belli fœdere junctos ſuſcepiſſet, factum eſt, ut Illuſtris Auctor ad tantum negotium expediundum adhibitus, & primum quidem in Belgium extraordinarii, poſtea autem ordinarii Legati titulo Neomagum miſſus, intimiora rerum, quas exponit, cognoverit. Inter ea vero, quæ geſta memorat, priusquam ad ipſum pacis negotium propius accederetur, (id quod

c. 1. agit) insigniora hæc videntur, quæ observat de Hispanorum ac Belgarum belligerandi fervore, quem in ipsis senserit, cum ad pacem conciliandam adveniſſet; quæ item de Principis Arausionensis, nunc potentissimi Angliæ Regis magnanima constantia adfert, qua non solum bellum strenue aggressus & prosecutus fuerit, verum etiam nec pinguissimis Gallorum oblationibus, nec variis Anglorum persuasoriis dimoveri se passus sit, ut de pace agendum susciperet, ex qua aut patriæ securitati, aut Fœderatorum existimationi periculum potuisset imminere. Ubi tamen semper Auctor inspergit, ex quibus facile cognoscere datur, quæ ad variata consilia ineunda Partes impulerint. Cumque adhuc in eodem capite exposuisset, quomodo Neomagum tandem pacis negotio tractando destinata fuerit, in capite secundo persequitur, quæ ibidem agitata fuerint, priusquam ad ipsum pacis negotium tractandum potuerint accedere, & quæ non minus Legatorum, qui a Fœderatis mittendi erant, adventum retardarint, quam maturarint. Ubi prætereunda non sunt, quæ de pacis conditionum systemate habet, ab Angliæ Rege Belgis proposito, & quomodo hi, invito Principe, privatim cum Gallorum Legatis Neomagi de pace particulari agere susceperint. Inter alia vero in capite 3. quod & ultimum est, jucundum est lectu, quomodo nuptiis inter modernum Angliæ Regem & Reginam ex improviso celebratis, de pacis generalis conditionibus inter Regem & Principem convenerit; quæ intercesserint, priusquam eo pervenire datum fuerit, & spes sese porro ostenderit, fore ut Anglia bello contra Gallum se immisceret, pacem extortura; quomodo sæpius rerum facies in Anglia mutata fuerit, & ad hujus rationem vicissim negotia variam formam induerint; quomodo tandem Belgæ ad particularem pacem cum Gallo ineundam inducti, hinc Germania ad pacis conditiones propositas suscipiendas compulsa, & ipsa denique pax Neomagensis sancita sit. His nihil addimus, nisi quod illustris Auctor, sub finem hujus opusculi, tertiam quoque ipsius partem polliceatur; primam autem Bibliopola pridem ab Auctoris amicis flagitarit. De secundæ autem partis, cujus titulum exhibuimus, versione Gallica id asserere licet, quod tersa sit, sensum scite potissimum exprimat, & quandoque duorum aut trium verborum supplemento, rem ipsam ita illustret, ut brevis Commentarii vicem subire etiam possit. *AD*

Digitized by Google

AD VIRVM ILLVSTREM, GEORGIVM ADAMVM STRVVIVM, JCtum Saxonicum, Epiſtola CHRISTFRIEDI VVÆCHTLERI, D.

Dresdæ apud Imman. Berger. 1692. fol.
Conſtat plag. 4.

TErtia, quam nunc recenſemus, (de prima A.1690.p.183.ſqq.de altera A.1692.p.124.ſqq.diximus)epiſtola ejusdem conſultiſſimi Autoris, doctrinam de Sabbato ita exhibet, ut reſpondeatur primo Didaco Covarruviæ,JC. Hiſpano, qui inſtitutum iſtud ad cultum tantum externum nos obligare pridem exiſtimavit. Laudata inde ſententia celeberrimi JC. ad quem epiſtola ſcripta eſt, Struvii, *νῦν ἐν ἁγίοις*, ex commentario nuper recognito de Delictis, varias opiniones variorum, Hieronymi Zanchii, Saliani, Hermanni Witſii, Sebaſtiani Barradii,Hugonis Grotii, Pauli Sherlogi, de prima inſtitutione Sabbati ejusque ſenſu adducit Autor; verba autem Ludovici de Dieu perplacent ei, *quietem Dei ab operibus ſuis eſſe fontem & originem noſtræ... Ergo, quod nos quieſcimus a noſtris, ſequi ingreſſum in requiem Dei.* Dicit igitur, ſi quies noſtra ſequitur ingreſſum in requiem Dei, eſſentiam præcepti hujus non abſolvi ceſſatione noſtra aut qualicunque otio horarum aliquot. Atque adeo inde ad examinandam ſententiam Johannis Spenceri digreditur, cujus argumenta pene ſingula ex libri primi cap. 4. ſectione ſeptima & ſequentibus, uſque ad finem capitis tangit, monetque, Spencerum ipſum non idem ubique ſenſiſſe, & ab otio illo corporali ad genuinum cultum Sabbaticum non ſemel rediiſſe. Inprimis excutiuntur loca quædam Euſebii, ad quem ille provocaverat. Nam Henricus Valeſius verba ejus ita putavit ſcribenda, libro primo Hiſt. Eccleſ. c. 2: *τούτοις γὰρ ὡσανεὶ πλήθεσιν ἔθη πάτρια παλαιᾶς ἀγωγῆς ἐκδεδιητημένοις*; ut ſenſus emergat, Hebræos veteres ac probos ſub tempora Moſis labe ſuperſtitionum gentilium adhuc corruptos ſimul fuiſſe. Annotavit vero Autor epiſtolæ, cohærentiam totius orationis id non ferre, putatque adeo præſtare, ut retineatur lectio hactenus recepta, *ἐκδεδιητημένοις*, exponatur autem eo modo, *Hebræos illos moribus patrum ſuorum re-*

ctissimis jamjam imbutos & adhuc tenaces fuisse, ut nimirum per gradus ascendat oratio Eusebii. Alter locus paulo insignior Eusebii depromptus est ex capite 17. orationis de laudibus Constantini: Καὶ αὐτὰ σώματα παύειν, τὰς δὲ ψυχὰς ἐνθέοις παιδεύμασιν ἀναζωπυρεῖν παρεσκεύασε. Quæ cum sic transtulisset Valesius, *nec corpora sua saginarent, sed animos divinis præceptionibus refocillarent*, nec dubitasset in annotationibus ad hunc locum, Eusebium scripsisse, καὶ οὐ τὰ σώματα, pro αὐτὰ, respondet Autor Epistolæ, τὸ παύειν non accipiendum esse de excessu saginationis, sed respicere ad id quod antecedit. Ibi enim dici, diem septimum, sive dominicum, fuisse hactenus χρηματίζουσαν ἡμέραν, quæ vox in translatione Valesii plane non exprimatur. Eam vero innuere, Eusebium de quiete corporis & abstinentia ab omni negotio quæstuario locutum, per quam & corpus quodammodo pascatur ac pinguefiat, & animus ad divinas doctrinas præparetur. Porro quum ad Seldeni libros remittat lectorem Spencerus, ejusque serinia intacta se ei tradere, velut ex confidentia causæ dicat, tangenda illa sibi decrevit clarissimus Autor, ac primum laudat observationem Seldeni circa sensum verborum Philonis, *diem septimum esse festum*, non toti mundo, & omnibus populis, sed *totius mundi*, & πάντες, *velut natalem in eo celebrasse Judæos*. Communem etiam versionem Philonis & Josephi emendasse H. Grotium, & Seldenum, si quidem pungere eum hic recte voluisset, rationem ejus vix habuisse satis idoneam. Ceterum operosa illa diligentia Seldeni, qua libro 3. de J. N. & G. per aliquot capita docet, Josephum hoc voluisse, non exiguum zelum penes gentiles fuisse ἐκ μακρᾶς τῆς ἡμετέρας ἐυσεβείας, *a longe nostri cultus*, i. e. *nimium exorbitasse a nostro cultu*, Autori epistolæ non satisfacit. Putat enim, Josephum hic non exprobrare gentilibus quidquam voluisse, sed blanda potius imitationis laude commendare institutum eorum, quos mores & ritus Hebræorum *passim & pridem*, ἐκ μακρᾶ, in qualemcunque imitationem rapuerint. Observat porro, Petri Petiti Misc. l. 3. c. 3. censuram de loco quodam Hieronymi esse paulo acriorem, creditque, in illo aut nihil esse emendandum, aut verba Hieronymi eodem jure rectius ita poni: *at obscurissimus Platonis liber, Timæus est, quin Ciceronis quidem aureo ore fit planior*. Illud autem esse egre-

Digitized by Google

gie dictum a Platone: *pater ille, qui genuit pulchrum hoc ſimulacrum, delectatus eſt opere, & hac ductus latitia opus ſuum multo etiam magis primo illi exemplari ſimile reddere cogitavit.* Et ex his lucem aliquam opinatur Autor accipere verba Ptolemæi Hephæſtionis apud Photium, *Jovem ſtatim a nativitate ſeptem dies continuos riſiſſe, ob eamque cauſam perfectum habitum fuiſſe numerum ſeptenarium.* Nam γελᾶν non *ridendi* ſemper, ſed & *delectandi* ſignificationem habere. Et potuiſſe adeo hic ſubeſſe quædam veſtigia veri. Sic Conſtantinum L' Empereur in notis ad Itinerar. Benjam. tentaſſe quodammodo, an naturalis quædam ratio poſſit allegari circa amnem illum, quem vocant, Sabbaticum. Quanquam enim ſabbatiſmus fabuloſe ſit ſuperadjectus; certe tamen Joſephum Plinio hic non eſſe contrarium, ſi τὸ ἐξ ἡμερῶν exponatur *poſt ſex dies*, ad mentem Buxtorfii Lex. Talmud. fol. 1421. Et fontem Dodonis ἀναπαυόμενον, *requieſcentem*, appellatum, non reluctante Salmaſio in Solinum.

GVNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI, Med. D. & Prof. Publ. de genuina Febres curandi Methodo Diſſertatio,

Jenæ, apud Joh. Bielckium. 1693. in 4.
Conſtat plagulis 3i.

MAgnum Medicinæ Practicæ opprobrium eſſe febres, ita ut in proverbium abiverit dudum,

Hydrops, Quartana, Medicorum ſcandala plana,

vulgo notum eſt. At non minus rationali ejus parti quam πρακτικῇ inde labis adfricari, quod haut ſint in cauſis & methodo medendi exponenda, quam in hac, Medici feliciores, non omnibus, ſed illis demum eſt obvium, qui ultra ea ſapiunt, quæ in ſenſus incurrunt. Periculum itaque facere Auctor celeberrimus conſtituit, num poſſit remedia illa empirica in ordinem redigere, atque oſtendere, ſimul rectam curandi febres rationem, ſimul etiam qui fiat, ut tam varia, & viribus diverſiſſimis pollentia in eodem morbi genere eundem tamen ſcopum attingant feliciter.

Hinc ſtatim initio docet, morbos non una omnes ratione

ſuperari. Vel enim ſola cauſa ſublata, ceſſare, ut nephritidem, ſi calculum tollas; vel hac neglecta, ſoli morbo applicari remedia; vel denique, ut in atrocioribus, ſi hujus & iſtius rationem habeas diligenter. Quod ergo in omnibus faciendum eſt, primum id quærit, quibus ex his febres adnumerandæ ſint, inque earum naturam ea de cauſa diligentius inquirit, excuſſis veterum recentiorumque ſententiis, tandemque concludit, febris naturam in calore conſiſtere, per omnes corporis partes effuſo; & febres non dari calore omni deſtitutas, variis argumentis probare nititur; in quibus non putat eſſe poſtremum, quod nulla febris concipi poteſt, citra ſanguinis motum ſupra illum gradum, qui ipſi alias familiaris eſt, auctum; ſive inteſtinus ille ſit, ſive etiam localis. At ſanguinem a motu incaleſcere, eſſe manifeſtiſſimum: ergo ubi febris ſeu motus partium ſanguinis ſit auctus, ibi & calorem augeri.

Qua in re mirum quantum a recentiorum ſententiis abit, quibus non placet antiqua illa Philoſophia, ſed eam negligere, & novam fingere, in laude ponitur.

Hæc in prima parte operis continentur. Altera circa cauſas occupata eſt, in quibus eruendis multus eſt Auctor. Primo loco immediatam exponit, eundoq; per ſecula, ab Hippocrate ad noſtra tempora, oſtendit, & a Galeno ipſo, & a ſequentibus omnibus fermentationem in ſanguine pro ea habitam fuiſſe, paucis e recentibus exceptis, ſed qui tamen cum his tandem faciant vel inviti. Et profecto etiam Mortonus, qui pene ſolus eſt quem non vidit, id aliquoties faſſus eſt. Poſt communem conſenſum, etiam rationibus id oſtendere conatur. Itaque ſupponit, cum ſanguine iufluere omnem calorem, adeoque quod calent partes, habere ex ſanguine. Deinde, per motum unice ſanguinis calorem augeri aptum natum eſſe. Porro tam a cordis pulſu factum, quam inteſtinum quoque id præſtare, idque omne experimentis quotidianis manifeſtum eſſe evincit. Tum ſolum externum a corde & motu membrorum non eſſe febrilis caloris cauſam, ſed inteſtinum, aſſerit. Denique hunc ipſum inteſtinum motum nihil aliud eſſe quam fermentationem, eoque nomine recte appellari, docet, dilutis iis quæ hodie a nonnullis objiciuntur.

His

His peractis, & nonnullis de natura fermentationis interpoſitis, in ipſam ejus cauſam, & qui ſit primus motor hujus inteſtinæ agitationis, inquirit, & neque acidum eſſe, quod voluit Plato, nec acidi cum alcali pugnam, nec fermentum peregrinum, nec pororum ſanguinis turbationem contendit: poros nullos in fluidis agnoſcens, quia porum putat eſſe rem ſtabilem, non momentaneum quid & fluxile, nitens fortaſſe recepto uſu vocabuli; ut fere ſolet acriter contra hodiernam nonnullorum conſuetudinem, qua verborum uſum pro lubitu torquent, diſputare.

Hic quis forte adverterit, ab accurata illa ratione, qua alias ſolet ſuo quæque loco proponere, unumque ex altero quaſi manu educere, nonnihil Auctorem deflexiſſe: nam ubi agit de fermento peregrino, cum de fermentatione in univerſum agere ſuſcepiſſet, tranſit ad ſpeciem, fermentationem febrilem. Sed pergamus.

Deinceps igitur ſuam nobis impertit ſententiam, & primum id poſtulat ſibi concedi, omne quod ſegne eſt, & grave, adeoque natura ſua ſibique relictum quieti aptius quam motui, non poſſe fermentationem concitare. Hoc poſito, neque aerem eſſe, neque ei innatantes particulas, (quantumvis etiam fermentativas) neque ſpiritum nitro-aereum, neque Archeum oſtendit, & tandem, cum nihil velocius ſit particulis igneis, neque etiam levius, aptiusque ad motum, has ipſas eſſe, quæ, utcunque tandem p. n. afficiantur, vel irritentur, fermentationem incipiant, concludit, &, quod attendendum eſt, materiam ſubtilem Carteſianorum, a quorum dogmatis alias paulo videtur alienior, hoc ſenſu admittit, cum iis in eo amice conſpirans.

Sequitur in ſectione altera partis hujus ſecundæ de cauſa προηγουμένη, & procatarctica diſceptatio, qua nondum perſpecta, non poſſe ad curationem exponendam inoffenſo pede accedi arbitratur. Itaque examinatis variis, procatarcticam, (de qua primo loco agit) non unius generis eſſe exiſtimat, ſed admodum variam: motum corporis & animi, generoſum potum, craſſum & tenaci ſero ſcatentem aut cogulatum quocunque modo ſanguinem. Et hanc cauſam eſſe febrium cum rigore, opinatur, ejusq; phænomeni rationē reddit §. VIII. Ulterius accuſat fermenta in corpore ſubito nata, ſanguinem coagulantia, dein aerem, & tandem quoque miaſmata in eo natantia, unde

epide-

epidemicæ oriantur. Pernegat tamen in his esse vim seipsa movendi, sed a calore vult & perfici & agitari in nobis materiam febrilem, coagulandi vero sanguinem virtutem iis concedit. Et his quidem primarias febres concitari, at symptomaticas alio modo, neque protenus eodem. Denique hæc duplicem redigit in classem, eorum quæ intercludunt particulas subtiles igneas, & eorum quæ nimis commovent, ac in motum eas præcipitant. Hæc de procatarctica. Προηγουμένην rursum constituit duplicem, bilem & pituitam seu serum crassius, & sanguinem incendio aptiorem. Deinde omnes febrium differentias ex his causis earumque varietate deducit, multasque observationes curiosas immiscet, & tandem iterum ad consensum omnium provocare, vel saltim non esse difficile omnium, qui de Febribus scripserint, auctorum sententias conciliare, promittere audet: obiter in fine nuperum de Vienna scriptum notans. Sciendum autem, longe alio sensu Auctorem προηγουμένην, & procatarcticam accipere, quam hodie a plerisque fieri solet. Sequitur enim Sennerti & veterum de his doctrinam, quam recentes scriptores, non satis versati in eorum lectione, negligentius habent.

Pars tertia, eaque & maxima & præcipua supereſt, ipsa medendi methodus, in quatuor sectiones divisa. In prima non pauca ex methodo universali immiscet, & ad febres applicat. In recentibus scriptoribus plurima taxat, maxime vero illud, quod materiam morbificam & febrilem in scholas introduxerint, qua valde esse conturbatam doctrinam medicam arbitratur, multasque esse febres illa materia carentes, nominatim ephemeram, hecticam, & symptomaticas, illarumque tradit curationem. In altera sectione de intermittentibus agit, in tertia de acutis; quartam denique malignæ occupant. Omnia autem remedia percurrit, eorumque rationes, & quomodo juvent, ipsam etiam Chinchinam, & quando recte & ex ratione omnia ac singula usurpentur, perspicue ex propositis principiis docere annititur, de quibus recte an secus se gesserit, non nisi eruditi & longo rerum usu subacti medici forte poterunt judicare.

PROTOGÆA AVTORE G. G. L.

HUic meditationi inquisitio in regionem intra Hercynios montes & Oceanum sitarum indolem facta, occasionem dedit.

Autor

Autor arbitratur, globum terræ multo majores paſſum mutationes quam quisquam facile ſuſpicetur. Et primum materiæ ejus partem maximam igne flagraſſe conjicit, in illo præſertim Moſaico generali lucis & tenebrarum divortio. Et ſic interpretandum, quod quidam putant, opacâ corpora ſeu planetas (quorum in numero hanc terram eſſe veri ſimillimum habent) ex fixis ſeu lucidis factos, maculis ſcilicet velut cruſta poſt deflagrationem obductos. Cruſtam autem eſſe vitrificationis genus: hinc & baſis terræ vitrum, cujus fragmina arenæ; unde poſtea demum admiſtione ſalium & circulatione aquarum atque vaporum varia genera terrarum ſint nata. Porro humorem vi ignium in aëra expulſum deinde refrigerata cruſta rurſus ſe collegiſſe, eo fere modo, quo calcinata humiditatem attrahunt, & inde natum eſſe lixivii, vel (Chymica voce) olei per deliquium genus, quod empyreuma ſuperficiei terreſtris abluens originem dederit maris, ſale fixo fœti. Itaque divinus Moſes primum lucis & tenebrarum, id eſt activi principii, nempe ignis, a cæteris magis patientibus elementis ſeparationem poſuit; deinde ipſa paſſiva corpora gradu reſiſtentiæ diverſa, fluida ſcilicet & ſolida diſpeſcendo, aquam a terra ſejunxit. Porro mare magnam olim terræ nunc detectæ partem texiſſe, & aliquando in altis montibus fuiſſe, credit Autor, donec cruſta illa telluris paſſim cava, ſuo aquarumque pondere, forte & terræ motu, confracta ſit; ex quo inclinata inter montes ſtrata ruinarum reperiantur, plena non raro conchyliis, gloſſopetris aliisque ſpoliis maris defluentis, cum limo (mox indurato) deprehenſis. Mare autem arbitratur, cum ante in ſummos montes aſcendiſſet, mox per ruptos apertosque hiatus in interiora abyſſi penetraſſe, atque ita magnam ſuperficiei terræ partem rurſus ſiccam deſtituiſſe. Aliqua autem non tantum univerſali diluvio, ſed & magnis quibusdam inundationibus privatis eſſe attribuenda. Porro inter ignis indicia habet non tantum ſalem fixum maris, ſed & multiplicia naturæ ſubterranea opera, effectis laboratoriorum Chemicorum gemina; fuſioni, ſublimationi, ſolutioni, præcipitationi Vulcaniæ tribuenda. Aquarum autem ſedimenta indicari ſtratis terram diſtinguentibus immiſtisque rebus mari terrave advectis, tum & figuris corporum cryſtalliſmo quodam congelatorum. In effectibus tamen ignis & aquæ diſtinguendis, cauto

opus esse. Easdem enim fere res sicca vel humida via præstari aliquando a natura; nec minus post fusionem aut sublimationem refrigerata, quam post solutionem ac præcipitationem coagulata, figuris decircinari.

ADDITIO G. G. L. AD SOLVTIONEM PROBLEMATIS in Actis A. 1692, pag. 274. propositi.

SOlutioni Ænigmatis Florentini adjectum est ultimo articulo, posse adhuc aliis infinitis modis quæsitum obtineri; sed in exemplorum aliquo irrepsit sphalma ex calculi errore festinanti natum, quemadmodum admonuit Cl. Jac. Bernoullius, quo nomine Autor ei agit gratias. Nam ipse per alia distractissimus, nunquam fortasse mentem eo rursus sponte advertisset. Sphalma autem qualecunque sic emendabitur. §. 9. lin. 8. post verba *portio PλzL2NP* ponatur: æquabitur spatio plano hyperbolico, quod facile determinari potest ex notissimis. Nam hæc differentia in elementum arcus, est ut differentia radii a secante ducta in elementum sinus versi, quam ex hyperbolæ quadratura pendere constat. Sed si PB fiat ad QF ut QK ad SF, dicta portio æquabitur dimidio quadrato QF, *& tota* &c. & sequitur *linea 9. seqq. dicti articuli.* Addi & hoc non inutile erit, posse etiam simili methodo quæri KB pro KPB, sic ut portiones potius versus æquatorem quam versus polum quadrentur; posse etiam in unum addi areolas, non ut hactenus inter duos meridianos, sed inter duos parallelos comprehensas, & zonam elementarem sphæricam fore vdx, & inde quadrabilem carbasum orituram, prout arcus QS in rectam extensus, & in B ipsi PK normaliter applicatus, figuram quadrabilem præbet. Sed hæc atque similia ex positis comminisci facile est, unde fieri potest, ut constructiones etiam elegantes nascantur.

HISTOIRE DES PRINCES D' ORANGE de la Maison de Nassau.

h. e.

Historia Principum Arausionensium e Domo Nassovica.

Amste-

Amſtelodami apud Paulum Marret, 1692. in 12. Plag. 21.

ANno 1689. lucem publicam aſpexit liber, cui titulus: *Hiſtoire de Guillaume I. Prince d' Orange, deſcendu des premiers Fondateurs de l' ancienne Maiſon de Naſſau, avec les actions les plus remarquables de Guillaume III Roi de la Grande Bretagne; & une Relation de ſa deſcente en Angleterre, de ſa reception à Londres, & de ſon élection à la Royauté.* h. e. Hiſtoria Wilhelmi I. Principis Auriaci a primis Naſſovicæ Domus fundatoribus oriundi; cui junguntur notabiliores res geſtæ Wilhelmi III Magnæ Britanniæ Regis, quomodo in littoribus Anglicanis expoſitus, Londini receptus, & tandem in Regem electus fuerit. Quo in Libro, cum alia eſſent ſuperflua, alia omiſſa, Anonymus hujus Hiſtoriæ conditor id egit, ut illa quidem reſcinderet; hæc vero ſuppleret: quod eo ſucceſſu aſe præſtitum prædicat in præfatione, ut non tam nova editio, quam novum prorſus opuſculum dici mereatur.

Tot autem ſunt hujus Libri partes, quot in Belgio inclaruerunt Principes Arauſionenſes: quibus enim nihil negotii cum rebus Belgicis interceſſit, eorum vitas pro ratione inſtituti ſui, non tangit Autor. Occurrit igitur in hoc libro (1) Hiſtoria WILHELMI I. (2) Hiſtoria PHILIPPI WILHELMI. (3) Hiſtoria MAURITII. (4) Hiſtoria FRIDERICI HENRICI. (5) Hiſtoria WILHELMI II, cujus modernus Angliæ Rex Wilhelmus eſt filius poſthumus. Sicut autem Wilhelmi I. vitam a prima juventute ad funeſtam usque tragicæ mortis diem ita recenſuit, ut ſimul non contemnenda notitia naſcentis Reipublicæ Hollandicæ exinde hauriri poſſit: ita ſequentium Principum Hiſtoriam breviori utique filo pertexuit, quam ut rerum geſtarum & multitudo & magnitudo requirere videbatur. Sequitur tandem (6) Hiſtoria WILHELMI III. in Regem Angliæ evecti, cui potiorem libri partem conſecravit. Nihil enim omittit rerum ab incomparabili hoc Heroë, tum ſuperiori tum præſenti bello, usque ad A. M DC XCI. in Belgio, in Anglia & in Hibernia geſtarum.

Cæterum, cum circumſtantiæ, quas ſpeciales vocamus, ubique

ſint adjectæ, curioſum Lectoris animum omnino explere poterit ſuccincta hæc Principum Arauſionenſium Hiſtoria. Unum eſt, quod Autorem rerum Germanicarum non ſatis gnarum eſſe arguit, quod p. 127. Sereniſſimum Principem Anhaltinum JOH. GEORGIUM Comitis tantum titulo mactavit.

HISTOIRE DE GVILLAVME III. ROY DE LA GRANDE BRETAGNE.

h. e.

Hiſtoria Wilhelmi III. Magnæ Britanniæ Regis.

Amſtelodami apud Petrum Brunel, 1692. 12. Plag. 32.

NOn multum differt hæc hiſtoria ab illa, quæ proxime recenſiti Libri partem potiſſimam conſtituit. Addita tamen nonnulla ſunt in fine; aliqua inſperſa hinc inde; multa vero latius diducta. Imprimis commendari meretur ob ordinem, quem ita obſervavit Autor anonymus, ut adjecta in margine annorum ſeries Lectorem haud parum ſublevare poſſit.

Duos autem tomos habet hæc hiſtoria, quorum prior tribus; poſterior duobus libris abſolvitur. Lib. I. continentur ea, quæ contigerunt a nativitate Principis ad annum uſque 1672, quo Gubernator Hollandiæ, ſublata, quam vocabant, mortificatione, conſtitutus eſt. Lib. II. recenſentur ea, quæ a ſuſceptis Reipublicæ gubernaculis, uſque ad pacem Noviomagenſem A. 1678. ab Hollandis concluſam geſta ſunt. Lib. III. exhibentur ea, quæ a pace Noviomagenſi usque ad ſuſceptam Magnæ Britanniæ coronam memoratu digna acciderunt. Libr. IV. narrantur ea, quæ poſt coronationem annos 1689 & 1690 reddiderunt notabiles. Lib. V. tandem ea comprehenduntur, quæ anno 1691 usque ad conventum Principum Fœderatorum Hagæ Comitum celebratum, evenerunt.

Hæc ſunt contenta Libri, quæ cum recenti adhuc memoria teneantur a ſingulis, plura excerpere haud neceſſarium eſſe duximus.

NOVA

NOVA LITERARIA.

IN Italia novum non ita pridem Diarium Eruditorum, & Latino quidem ſermone, P. *Petrus Paulus Manzani* Parmæ auſpicatus fertur. Alterum vero, quod ibidem Italico idiomate a *P. Benedicto Bacchino* & *P. Gaudentio Roberto* A. 1686 adornari cœpit, cum anno 1690 finitum poteſt videri. Certe anno 1691 a viris hiſce doctis nihil eo quidem in genere elaboratum eſt, aut publici juris factum. Aſt redintegrarunt laborem illum anno ſuperiori 1692, novumque orſi ſunt volumen, cujus ſectiones ſeptem jam ad nos pervenerunt, non Parmæ tamen, ſed Mutinæ excuſæ, qua in urbe abſolutum illud jam eſſe, aut abſolutum certe iri propediem, non dubitamus. Deinceps vero, ut ex illuſtris *Magliabechii* litteris accepimus, Diarium iſtud Bononiæ continuabitur, poſtquam in Academiam illam ad Lecturam, quam vocant, ſeu Profeſſionem S. Scripturæ P. *Bacchinus* vocatus eſt, proditurum, ut veroſimile eſt, multo locupletius, quandoquidem P. Bacchinus, quod univerſo operi per novam functionem haud fideret parem ſe futurum, laboris ſibi ſocios *Dominicum Gulielminum*, *Bernardinum Ramazzinum*, clarosque forte viros alios adſciſcere conſtituit. Itaque, cum & in Hollandia, anno ſuperiore, menſe Julio, Belgico ſermone Diarium ejusmodi, ſub titulo Bibliothecæ Europæ (*de Boekſaal van Europe*) edi fuerit cœptum, metuendum non videtur, ut novorum, qui in lucem prodeunt, librorum notitia quemquam inpoſterum vel mediocriter curioſum fugiat.

Maximilianus Deza propediem prælo ſubjiciet hiſtoriam genealogicam Illuſtriſſimæ Domus Spinolarum. Romæ Abbas *Nazarius* notas *Azouti* in Vitruvium & Frontinum editurus eſt. Ibidem e typographia Collegii de Propaganda Fide, *Bartoloccii* Bibliothecæ Rabbinicæ Tomus IV, nec non vaſti operis Eccleſiaſticarum Antiquitatum *Emanuelis a Schelſtraten*, ſed cui Auctor, non minus ac Bartoloccius ſuo, immortuus eſt, Tomus II. proxime prodibit. Neapoli P. *Nicolaus Parthenius Giannetaſius* Poema de negotiis Bellicis componit, geminum illis, quibus Piſcatoria & Nautica magno omnium cum applauſu pertractavit. Patavii, ut ajunt, excu-

ditur Alcoranus Arabice, cum verſione Latina & confutatione P. *Ludovici Maracci*, cujus Prodromum in Actis ſuperioris anni recenſuimus. Venetiis ſub prælo ſudant Abbatis *Malegonnelli* Orationes omnes, quarum una Innocentii XII. Romani Pontificis elogium complectitur.

In Gallia *Hadrianus Valeſius*: in Holſatia *Jo. Nicolaus Pechlinus* ſuperiore anno mortui ſunt; viri non ſemel in Actis noſtris laudati. Aſt Saxoniæ inprimis noſtræ elapſus proxime annus, per doctorum illuſtriumque virorum obitum, funeſtus obtigit. Wittebergæ die 21. Januarii *Michael Waltherus*, Mathematum olim, poſtremo S. Theologiæ Profeſſor longe celeberrimus, ætatis anno quinquageſimo quarto mortem cum vita commutavit. Lipſiæ amiſimus *Tilemannum Andream Rivinum*, Orientalium in hac Academia Profeſſorem publicum & Eccleſiæ D. Thomæ Archidiaconum, de utraq; cathedra optime meritum, die 24. Januarii, cum ætatis annum trigeſimum ſeptimum quatuor fere menſibus ſuperaſſet, defunctum: nec non *Chriſtophorum Pinckerum*, Senatorii in hac urbe ordinis Virum, JCtum πολυμαθέστατον, Actisque hiſce noſtris ornandis ſtrenue, dum viveret, operatum, qui Dreſdam, ut ſupremo Tribunali in jure reddendo adſideret, evocatus, ibidem die 22. Septembris, cum dexteritatem ſuam Illuſtriſſimo Collegio abunde probaſſet, nondum omnino expleto trigeſimo quarto ætatis anno, e vivis exceſſit. Et illius quidem ſacrarum Concionum volumen ſub prælo eſt, quod propediem in lucem prodibit: hic vero Roberti Hookii Micrographiam, Londini A. 1665. editam, ex Anglico idiomate, quo conſignatum ab auctore ſuo fuit, in Latinum perſpicue ac eleganter tranſtulit, ut pollebat profecto in vertendis Latine, quæ exoticis linguis ſcripta erant, mira felicitate; quod opus omnibus numeris abſolutum in hæredum manibus verſatur, digniſſimumque eſt, ut in eorum gratiam, qui Anglici ſermonis periti non ſunt, & Latinum tamen callent, typis exſcribatur, publiciq; adeo omnium juris fiat. Jenæ mortalitatem die 16. Decembris, annis tribus & ſeptuaginta major, explevit JCtus celeberrimus ſummæque auctoritatis, *Georgius Adam Struvius*, Conſiliarius Saxonicus & Haſſo-Darmſtadinus intimus, & juris in Academia Jenenſi Profeſſorum primicerius totiusq; Univerſitatis Senior: cujus famam tot illuſtres ac præclari viri, per Germaniam

niam omnem diſperſi, & ampliſſimis nunc muneribo fungentes, qui ab ejus ſe olim ore pependiſſe, & ab hoc Doctore juris, qua pollent, ſcientiam hauſiſſe gloriæ ſibi ducunt; tot item libri, quibus Jurisprudentiam ornavit & explanavit, ac inprimis illa multoties typis deſcripta Civilis & Feudalis Juris Syntagmata, nunquam intermori patientur. Halæ Saxonum denique die 18. Decembris, ætatis anno ſexageſimo ſexto, animam cœlo reddidit Dn. *Vitus Ludovicus a Seckendorff*, Eques Francus, Vir non de Principibus tantum iis, quibus a ſanctioribus conſiliis fuit, ſed Eccleſia etiam Evangelica, per incomparabile imprimis illud de Lutheraniſmo opus, immortaliter meritus, certe elogio noſtro major. Cujus obitum luget ſine dubio, præter innumeros alios, Potentiſſimus Elector Brandenburgicus, qui hunc Virum Conſiliarium ſibi intimum non ita pridem adſciverat: ſed & nos lugemus, eoq; vehementius, quod Vir optimus, inter occupationes graviores (quarum in otio etiam illo honeſtiſſimo, quo poſtremis ætatis annis in arce ſua Meuſelvitiana frui ipſi licuit, nunquam fuit expers) dedignatus non eſt, in uſum & ornamentum Actorum noſtrorum, libris novis perluſtrandis & excerpendis pluſculum temporis impendere. Ultro enim & gratiſſima mente profitemur, ſi quid eſt in Opere hoc noſtro, quod applauſum ſeculi mereatur, ejus magnam valde partem Seckendorfianæ induſtriæ & graviſſimo judicio deberi.

LIBRI NOVI.

Philippi a Limborch Hiſtoria Inquiſitionis. Cui ſubjungitur Liber ſententiarum Inquiſitionis Toloſanæ ab A. C. 1307. ad A. 1323. Amſtelod. 1692. fol.

Hiſtoire Critique des principaux Commentateurs du Nouveau Teſtament, par Richard Simon. A Rotterdam 1693. 4.

Le Memorie Breſciane, opera Hiſtorica e Symbolica di Ottavio Roſſi, riveduta da Fortunato Vinacceſi. In Breſcia 1693. 4.

Meſcolanze d' Egidio Menagio. In Rotterdamo 1692. 8.

Della Biblioteca volante di Giovanni Cinelli Calvoli Scanzia Settima e octava. In Parma 1692. 8.

Opera Jacobi Simancæ: de Catholicis inſtitutionibus Liber; Theorice & Praxis Hæreſeos; Annotationes in Zanchinum, & Liber ſingularis de Patre Hæretico. Ferrariæ 1692. fol.

Tomus

Tomus III. Magiſterii Naturæ & Artis, authore P. Franciſco Tertio de Lanis S. I. Parmæ 1692. fol.

L. Cæcilii Firmiani Lactantii de Mortibus Perſecutorum liber, cum notis Baluzii, Cuperi, Columbi, Sparkii, Toinardi, Grævii, Gale, Boherelli &c. Trajecti ad Rhenum 1692. 8.

Collectanea Chymica Leydenſia contracta. Lugd. Bat. 1692. 8.

A. Nuck Operationes & Experimenta Chirurgica. Lugd. Bat. 1692. 8.

État Nouveau d' Angleterre ſous le Regne du Roi Guillaume & la Reine Marie, par Mr. Chamberlain. A Amſt. 1692. 12.

Lettres ſur la vie & ſur la mort de Mr. Louis de Wolzogue. Amſterd. 1692. 12.

Hiſtoire des Empereurs & des autres Princes, qui ont regné durant les ſix premiers Siecles de l' Egliſe. A Paris 1692. 12.

Bernardini Ferrarii de Ritu ſacrarum Eccleſiæ veteris Concionum, cum Præfatione I. G. Grævii. Ultraj. 1692. 8.

Le Dictionnaire Chretien, ou ſur differens tableaux de la Nature, l' on apprend a voir Dieu peint dans tous ſes ouvrages. A Paris 1692. 8.

Les Oeuvres Mélées de Mr. le Chevalier Temple. A Utrecht 1693. in 12.

Titi Petronii Arbitri Satyricon, cum Fragmentis Albæ Græcæ A. 1688. recuperatis nunc demum integrum. Roterod. 1693. 12.

Chronicon Saxonicum ex manuſcriptis codicibus nunc primum edidit ac Latinum fecit Edmundus Gibſon. Oxon. 1692. 4.

Traité Hiſtorique des Monnoies de France avec leurs figures, par Mr. Le Blanc. A Paris 1690. Amſterd. 1692. 4.

Ch. Kortholt de lectione Bibliorum in linguis vulgo cognitis, deque ſacris publicis idiomate populari peragendis. Plœnæ. 1692. 4.

Henrici Dodvvelli Prælectiones Academicæ in Schola Hiſtoricæ Camdeniana. Oxonii 1692. 8.

Joh. Chriſtiani Hartungs Metaphyſica Juridica. Jenæ 1692. 8.

Prodit ſimul cum menſe hoc Actorum noſtrorum Januario, Tomi II. Supplementorum Sectio I.

✱)o(✱

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno M DC XCIII.

AN ENQVIRY INTO FOVR REMARKABLE texts of the New Teſtament.

i. e.

Diſquiſitio de quatuor notabilibꝰ Novi Teſtamenti locis, quæ aliquid habent difficultatis; cum probabili eorum explicatione: Auctore *Joanne Edwards*, SS. Theol. Baccal. Socio quondam Collegii Joannæi Cantabrigienſis.

Cantabrigiæ, impenſis W. Gravii, 1692. in 8. Conſtat plag. 18.

Equatuor, quorum libelli titulus meminit, *Novi Teſtamenti locis*, primus *Matth. II, 23.* docet, *Jeſum Nazarethi in Galilæa habitaſſe, ut impleretur, quod dictum ſit a Prophetis: NAZARENVS VOCABITVR.* Heic poſt rejectas, tum aliorum, tum Grotii Hammondique opiniones, Eduardus probare nititur (1) quod Chriſtus & *vocari debuerit*, & *actu* vocatus fuerit *Nazarenus*, i.e. vir, qui Nazarethæ in Galilæa habitaverit. Ut de priori conſtet, obſervat, Matthæum dicere, prædictum id eſſe non *a propheta* aliquo ex ſcriptoribus V. T. ſed *a prophetis*, ſive a viris, qui publica ad populum verba fecerint de venturo Meſſia, nec minus de loco *habitationis*, quam *nativitatis* aut *crucifixionis* auditores ſuos inſtruxerint, unde per communem *traditionem* ad homines Matthæo coævos propagata fuerit ſententia, *Meſſiam Nazarethæ in Galilæa habitaturum.* Sic *prophetias*, per traditionem propagatas, citari *Judæ verſu 14. & 2. Tim. III, 8.* Porro illud ipſum nomen reapſe Servatori noſtro datum a populo *Luc. XVIII, 37.* ab Apoſtolis

ſtolis *Luc. XXIV, 19. Joh. I, 45. Act. II, 22. IV. 10. X. 38. XXVI. 9.* ab inimicis *Marc. XIV, 67. Joh. XVIII. 5. XIX. 19. Act. VI, 14.* ab angelis *Marc. XVI, 6.* a diabolis *Marc. I, 23. Lucæ IV, 34.* a ſemetipſo denique *Act. XXII, 8.* Et hactenus hoc nomen conſideraverat Edvardus ut tale, quod Jeſum a loco habitationis ſuæ absque conceptu alicujus ignominiæ denominat. In ſequentibus autem idem expendit (2) ut *nomen* ex mente Judæorum *ignominioſum.* Notat igitur, Matthæo quidem h. l. Nazaretham appellari *civitatem*, ſed vix *oppidulum* aut mediocrem *pagum* fuiſſe; quum hæc nomina ſæpe permutentur inter ſe invicem, ut *Joſ. XIX, 7. 1. Chron. IV, 32.* Sic oppidula parvi momenti vocari πόλεις & κωμοπόλεις *Matth. IX, 35. Marc. I, 38.* Bethlehemum dici πόλιν *Luc. II. 4.* at κώμην *Joh. VII. 42.* Bethſuram & πόλιν & κώμην nuncupari in uno eodemque capite *Fl. Joſephi*, libro nempe XII. Antiqu. Jud. c. 14. Nazaretham itaque oppidulum fuiſſe, cujus incolæ non eruditi, ſed ima de plebe fuerint, victumque manuum labore quæſiverint. Unde proverbium: *Quid boni e Nazareth?* Joh. I. 46. Vile ergo ac contemptibile *Nazareni* nomen, qua tale, prædictum eſſe Eduardus dicit *a Prophetis* in ſcriptis quoque canonicis, dum non quidem *ſigillatim* nomen *Nazareni* literis totidem exprimunt, *generatim* tamen prædicunt, variis *ſcommatibus ſarcaſmisque* inſultatum iri Meſſiæ, *Pſal. XXII, 6. 7. LXIX. 7. 9. 12. Eſai. LII. 14. LIII. 2. 3.* His enim generalibus prophetiis tacite includi ſpecialem de ignominioſo *Nazareni* titulo, qui non quoad literas, ſed quoad ſenſum Judaicum in prophetiis V. T. legatur. Sic *Act. X. 42.* Petrum adſerere, de Jeſu teſtari omnes prophetas, quod in ejus nomine remiſſionem peccatorum habeant credentes in eum; id quod in nullo Propheta quoad literam, in omnibus quoad ſenſum reperiatur. Iſthæc vero V. T. vaticinia impleta ſunt, cum Jeſus ipſemet crapulæ, magiæ, rebellionis, & id genus criminum argueretur, quin & in membris ſuis variis obnoxius eſſet ſcommatibus, quæ ex *1. Cor. IV. 12. 13.* & Apologiarum ſcriptoribus *Juſtino, Minutio, Tertulliano*, ſatis nota. Sed & ipſum *Nazarenorum* nomen pro titulo hæretici accipi ſuevit; unde Paulum Tertullus coram Felice accuſaverat ceu facem & tubam *ſectæ* Nazarenæ, *Act. XXIV, 5.* Et *Galilæorum* nomen æquipollebat nomini Chriſtianorum *Luc. XXIII. 6. Act. II. 7.* unde Paulum *Lucianus* in Philopatri-

patride, Chriſtum *Julianus* apoſtata lethali vulnere ictus ita vocavit. Judæis quoque & Muhammedanis Chriſtiani vulgo appellantur *Nazareni*, uti *Druſius Grotiusque* ad *Act. XXIV. 5.* monent.

Alter locus, qui *1. Cor. XI. 14.* extat, Ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνὴρ μὲν ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστι; *Anne* natura *ipſa hoc docet vos, quod viro quidem comatum eſſe probro ſit?* Notat autem φύσις vel naturale lumen internum ſive dictamen rationis connatum, *Rom. II, 14.* vel dictamen naturæ particulare, quoad diſcrimen ſexus utriusque, *Rom. I, 26. 27.* vel cultiorum gentium conſuetudinem, quæ *altera natura* vocitari ſolet. Κομᾶν ſignificat aut nutrire capillos longos, aut calamiſtro adornare, lemniſcis revincire, in ſuggeſtus attollere, ſimilive ratione decus & gratiam iis conciliare. Quod ſi accipias φύσιν tertio & κομᾶν priori ſenſu, concinunt textui mores *Judæorum*, (apud quos longam comam minus uſitatam fuiſſe, inde colligit Eduardus, quod ea character fuerit Naſiræorum) itemque *Arabum*, *Ægyptiorum* & ſaniorum inter Græcos & Romanos, tam gentiles, quam Chriſtianos. Hos comam moderate promiſſam ac detonſam pro ſigno modeſti animi habuiſſe, multis veterum auctorum teſtimoniis confirmat Eduardus. Dein probat, quod coma intonſa ac ultra modum promiſſa τῇ φύσει primo ſenſu acceptæ adverſetur, quia contraria ſit *praxi* ſaniorum gentium, ad internum mentis dictamen compoſitæ, repugnet *decoro*, faciat ad *luxum* & *faſtum*, *impedimento* ſit actionibus virum decentibus, quin & adeo *probroſa*, ut virum indignum reddat ſexu ſuo peculiari, quum ejus nullam rationem ipſemet habeat. His addit, tolli per longam virorum comam diſcrimen ſexuum fœminei & maſculini, unde contraria ſit τῇ φύσει in ſenſu ſecundo. Hactenus de priori acceptione vocis κομᾶν. Quod autem ſecunda etiam heic locum quam maxime habeat, patet, quia coma talis intelligitur, quæ *fœminis* fuit δόξα, id eſt, glorioſa ac decens, *verſu 15.* Atqui non *neglecta*, ſed *culta* ac *ornata* pro *glorioſa* ac decenti habita eſt fœminis Græcis ac Romanis. Nec paſſos capillos, ſed eleganter in nodum & ſuggeſtum revinctos intelligi liquet, quod non illi, ſed hi mulieri eſſe queant ἀντὶ περιβολαίου *loco tegminis* capitis, ſive *veli*. Coma igitur muliebri more adornata Apoſtolo eſſe dicitur contra φύσιν, h. e. (1.) contra *conſuetudinem*. Quan-

quam enim viris Spartanis ac Athenienſibus, quin & Romanorum quibusdam, more eſſet receptum, *comas in ſtatione* quaſi *locare*, easque in *crobylum*, *plegma*, *ſcorpiumve* colligare: hæc tamen ſaniorum *conſuetudini* e diametro repugnabant, uti videre eſt e gentilium ſatyris & comœdiis, ac Chriſtianorum conciliorum decretis. Eadem porro coma eſt adverſus Φύσιν, h. e. (2.) *dictamen rectæ rationis*, quatenus nempe id *quod decet honeſtum eſt*, *& quod honeſtum eſt decet*, (quæ *Ciceronis* verba ſunt:) *forma* autem *viros neglecta decet*, ipſius *Ovidii*, hominis gentilis, judicio. Eſt (3.) adverſus Φύσιν h. e. *diſtinctionem ſexuum*, quo de argumento Salmaſius in *de coma* ex profeſſo egit. Ex dictis patet, *Eduardo* arridere hic ſenſum oraculi Paulini complexum tres ſimul ſenſus vocis Φύσις & duos verbi κομᾶν. Fuſe dein refert, ubinam terrarum operto apertove capite ſacra peragi ſueverint, & quæ id genus alia ſunt ad illuſtrationem textus apprime facientia, at, ne nimium ſimus prolixi, ſilentio heic prætermittenda.

Tertius N. T. textus petitus eſt e *1. Cor. XV. 29.* Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. *Eduardus* τὸ βαπτίζεσθαι accipit de proprie ſic dicta ablutione in aqua ſacramentali. Τῶν ὑπὲρ τῶν νεκρῶν exponit ἕνεκα τῶν νεκρῶν, *mortuorum cauſſa ſeu gratia.* Quodque ὑπὲρ cauſſam *impulſivam*, non finalem, heic notet, loco parallelo *2. Cor. XII. 10.* ὑπὲρ Χριστοῦ, aliisque, ut & harmonia particulæ Hebrææ על, confirmat. Ex articulo τῶν colligit, *certum* mortuorum *genus* ab Apoſtolo indigitari, *martyres* puta, qui in Chriſto obdormierant, verſ. 18. Ἔπειὶ non *alioquin*, ſed (ad inſtar ἔπειτα) *deinde, præterea*, reddi cupit, ut *Pſalm. LXXVIII. 20.* Grotio etiam aſſentitur, καὶ idem eſſe ac οὖν, *ergo*. Senſum itaque poſt *Cloppenburgium* & *Spanhemium*, hunc affert: *Præterea, quid facient illi* e Gentiliſmo & Judaiſmo converſi ac *baptizati iſtorum mortuorum gratia*, quos tot pro fide tormenta ſuſtinere ac in Chriſto obdormire cum admiratione conſpicati, eam ob cauſſam religionem Chriſtianam amplexi ſunt, *ſi mortui plane non reſurgunt? Cur ergo baptizantur intuitu horum mortuorum?*

Ultimus Scripturæ locus e *1. Petri III, 18.19.20.21.* delectus eſt: Χριστὸς -- θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι.

Ev

Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν, κτλ. Sequitur heic *Eduardus* veſtigia cumprimis Simonis *Epiſcopii* l. 4. Inſtitut. c. 30. & Philippi a *Limborch* l. 3. Theol. Chriſtian. cap. 13. Paraphraſis ejus huc fere redit: *Chriſtus ſemel paſſus eſt pro peccatis, trucidatus carne, ſed reſuſcitatus Spiritu* Dei; *per quem*, quatenus hic Spiritus erat Apoſtolis communicatus, *ivit & prædicavit evangelium ſpiritibus* refractariis infidelium Judæorum & gentilium in hoc orbe viventium, verum *in carcere* ignorantiæ & peccatorum vinctis a diabolo: *qui aliquando erant inobedientes*, remanebantque maximam partem in carcere ſpirituali: & hæc ſe habebat *ſicut quando longanimitas Dei expectabat in diebus Noæ, dum præparabatur arca*, *in qua pauca, hoc eſt, octo animæ ſervabantur aqua*; ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, cui ſimilis *figura, baptiſmus puta*, *& nunc ſalvat nos.* Ut enim antediluvianorum plerique quidem Noam, præconem juſtitiæ, ſpernebant, nonnulli tamen, utut pauci, fidem ei adhibentes, ſalutem conſequebantur: ita hodienum plerique Gentilium ac Judæorum ſpernunt Chriſtum, aliqui tamen, qui in ſe ſpectati multi ſunt, at infidelibus comparati, admodum pauci, per aquas baptiſmales, tanquam arcæ antitypum, ſalvi fiunt. Et hoc eſt *magnum* illud *myſterium pietatis:* Deus fuit manifeſtatus in carne, juſtificatus in ſpiritu, prædicatus gentibus, fides illi habita eſt in mundo, 1. *Tim. III. 16.*

Habes in compendio quadruplicem illam *Eduardi* exercitationem, de qua judicium ſit penes Theologos exegeſeos ſacræ peritos.

SAMVELIS VVERENFELSII BASILEENSIS

Diſſertatio de Logomachiis Eruditorum.

Baſileæ apud Jacobum Werenfelſium, 1692.

Conſtat 18. plagulis in 4.

CUm propoſitum habeat doctiſſimus Auctor, morbo graviſſimo, quique diu Rempublicam literariam vehementer afflixit, medicinam facere, atque pro viribus occurrere, evoluto prius nomine *Logomachiæ*, variisque ejus ſignificationibus, deinceps Medicos imitatur, primumq; in quibus potiſſimum reperiatur, quod ipſi ſubjectum morbi vocant, inquirit: mox præcipuas quasdam ſpe-

cies attingit: poſt morbi naturam gravitatemque oſtendit: tum cauſas aperit, & ſigna indicat; denique media præſcribit. Logomachiam, aut potius Philologomachiam, id eſt, ut hoc loco accipit, disputationem hominum eruditorum, qui cum exiſtimant, aut ſaltim videri volunt, ſe de rebus diſputare, nonniſi verbis inter ſe diſſident, non immerito morbum appellat, præeunte Apoſtolo 1. Tim. 6, 4. *Subjectum* morbi demonſtrat exemplis ex omnibus eruditionis partibus. Theologi Patres diſputarunt, ſitne dicendum in Deo eſſe τρεῖς ὑποστάσεις, an unam hypoſtaſin? Prius Græci tenebant, poſterius Latini. In doctrina de Trinitate voces cauſæ & effecti aliqui uſurparunt, aliqui tanquam periculoſas rejecerunt. Ordinem inter Trinitatis perſonas quidam conſtituerunt, alii voces ordinem ſignificantes ferre non potuerunt. Latini ſolum Filium Patris imaginem dixerunt, Græci etiam Spiritum S. ſic vocarunt. Controverſia, quæ tantopere Græcos Latinosque colliſit, de proceſſione Spiritus S. a Patre & Filio, aut a Patre per Filium, plurimum logomachiæ admixtum habet. Inter Neſtorium & orthodoxos diſſenſus, juxta Philoſophum quendam recentiorem (Derodonem) nonniſi in verbis fuit, cui tamen Auctor noſter non ſuffragatur, adjungens aliam logomachiam, tempore Caroli M. excitatam, occaſione Felicis Urgelitani Epiſcopi, qui docebat Chriſtum ſecundum humanam naturam non proprium Patris filium, ſed adoptivum eſſe; cui non diſſimilem putat illam, quæ inter Scholaſticos poſtea eſt mota, an Chriſtus ſecundum humanam naturam ſit Dei ſervus? Scholaſticorum ſæculo multæ inter infinitas Theologorum nominalium & realium, Thomiſtarum & Scotiſtarum controverſias extiterunt logomachiæ, a quibus ne hodie quidem Theologia penitus perpurgata eſt. Immo aliæ quotidie naſcuntur, de quo malo graviſſimorum hominum querelas legimus. Sane ſi in ſingulis Theologiæ capitibus logomachiæ a reliquis controverſiis ſepararentur, quod Henricus Altingius in Theologia fecit, quanquam ſatis perfunctorie, prolixus logomachiarum Catalogus texi poſſet. Jureconſulti, tum inter ſe de vocibus certant, diſputantes, an jus in bruta animantia cadat, item ſitne aliquid, v. g. lex de non furando, juris naturalis; tum aliis ejusmodi lites movent, qui exempli gratia contractum vocant, quod ipſi nudum pactum appellant. Medicis quidem non tam facile accidit λογομαχεῖν,

Digitized by Google

μαχεῖν: aliquando tamen etiam iidem de nomine potius morbi disputant, quam de ejus natura atque medendi ratione. Litigant interdum, ſitne morbus in humoribus, an in partibus, cum ſit in utrisque, in humoribus immediate, & per humores in partibus: de cauſis morbi diſſentiunt, quorum alter proximam, alter remotam & primam cauſam inveſtigat. Chymici nova ſua lingua multis logomachiis occaſionem dederunt. Philoſophia logomachiarum ſemper fuit feracisſima. Olim inter Peripateticos & Stoicos controverſiæ fuerunt, ſitne aliquid præter virtutem, valetudo puta aut divitiæ, aut honor in bonis numerandum? an omnia peccata ſint æqualia? an vitia & virtutes ſint animalia? an vox ſit corpus? an ſapiens affectibus omnino careat? aliæque verbales. Scholaſtici Philoſophi ſolent plerumq; in talibus occupari in diſciplinarum prolegomenis. Eorundem Metaphyſica tota, quanta eſt, ex logomachiis Auctori dicitur confuta, plena item iisdem Phyſica. Recentiores Philoſophi tot inter ſe logomachias non habent, quia Geometras ſecuti ambiguitates vocum removent. Quare propter hoc Carteſius a quibusdam præcipue laudatur. At quanquam ejus ſequaces ipſi inter ſe de verbis raro contendant, tamen hæc ipſa Philoſophia multis inter priſcæ & novæ Philoſophiæ cultores contentionibus occaſionem dedit, quæ nonniſi logomachiæ ſunt; quales, an anima ſit cogitatio? an de omnibus dubitari debeat? an Spiritus ſint in loco, an vero nusquam? an Deus nonniſi per operationem ſit in mundo? an Deus ante conditum mundum fuerit nusquam, aut hodie extra mundum ſit? an error ſit in intellectu, an in voluntate? His de *ſubjecto* morbi traditis, nunc logomachiarum *differentias* præcipuas recenſet.

Prima: *aliquando omnis in verbis eſt diſſenſus, in re prorſus nullus: aliquando eſt quidem aliqua, eaque vera inter diſputantes diſſenſio, ita tamen ut verba longe aliam, eamque in pluribus & gravioribus, præ ſe ferant.* Exempli loco refert diſputationem inter ſummos viros ortam ante luſtra non ita multa, de Sabbati moralitate, & recentiorem aliam, an fideles, qui ante Chriſti mortem vixerunt, obtinuerint ἄφεσιν peccatorum.

Secunda: *alia in uno aut ſaltim paucis vocabulis aut locutionibus, quæ a diſputantibus non eodem ſenſu accipiuntur, conſiſtit: alia in longa verborum, quorum ſingula quandoque ambiguitatem nullam habent*

habent ſerie, atque adeo in ratione tradendi, docendique modo ac methodo rem, de qua convenitur, tota verſatur. Prior logomachia perſpicitur in quæſtione, an voluntas cogi poſſit: poſterioris ſpecimen oſtenditur in bello inter Ariſtotelis interpretes & Petrum Ramum.

Tertia varietas: *Nonnunquam in vocabulis ita diſſentiunt diſputantes, ut in re ipſa conveniant.* v. g. ſi duo Politici, qui probe cognoſcentes Reipublicæ alicujus conſtitutionem & adminiſtrationem, inque ea convenientes, diſputarent, forma ejus ſitne ſimplex an mixta? *aliquando in ſolis quidem verbis diſſenſus eſt, at in re conſenſus nullus;* uti quando non modo alter alterum non intelligit, ſed neuter ſe ipſum. Quo referendæ Scholaſticorum pugnæ de materia prima, quæ eſt neque quid, neque quantum, neque quale; ejusque potentia, ex qua educatur ſubſtantia aliqua, quæ neque eſt ſpiritus, neque corpus, neque omnino per ſe exiſtit, ſed dependet a materia in eſſe, fieri & operari &c.

Quæ certamina levia videri poſſent, ut quæ ab uno atque altero vocabulo non eodem modo intellecto oriuntur: attamen ſi partium ſtudia ſpectantur, ſi contentiones, ſi odia, ſi damna, morbum produnt hunc *gravem* eſſe, periculoſisque ſymptomatibus comitatum. Etenim juxta Apoſtoli obſervationem 1. Tim. 6. v. 4. 5. qui hoc morbo correpti ſunt, non amplius pro veritate, ſed pro victoria, aut quacunque victoriæ umbra pugnant; flagrant invidia, ſpargunt convitia, imputant hæreſes, abſurditates; juvenes in eadem altercandi palæſtra inſtruunt, impediunt ſcientiarum omnium progreſſus, apud multos eruditos Scepticiſmum efficiunt; apud populum literatos literasque omnes in contemtum adducunt: ſi monentur, certamen cum adverſariis de verbis eſſe, tanquam graviſſimo convicio offenſi, incipiunt diſſenſum verum inter ſe & cum quo diſputant, quærere, neque deſinunt, donec aliquem tandem, ubi nullus ante fuit, exſculpſerint. Vocem aut locutionem, quæ in diſputationis æſtu adverſario excidit minus apta, arripiunt, in peſſimum ſenſum detorquent, conſequentias inde faciunt. Alter nolens fateri ſe melius loqui potuiſſe, defendit verba: hinc primo naſcitur logomachia. Dum vero ab adverſario urgetur, qui male locutus eſt, ne male locutus eſſe videatur, male ſentit, ac propugnat denique, quia

quia adverſarius ita vult, ſententiam, de qua ante ne cogitaverat quidem. Hinc iterum vera ex logomachia controverſia. Odium, etiam inter logomachos ejusdem rei cauſa eſſe poteſt, ut nolit aliquis conſentire ei, quem averſatur.

Gravis hujus morbi *cauſæ* ad duo potiſſimum genera referuntur: nimirum vel ad linguas, quibus diſputantes utuntur, vel ad ipſos diſputantes. In linguis ſunt vocum homonymia, & phraſium amphibolia, ſynonymia, termini artium. In ipſis diſputantibus fomites logomachiarum deprehenduntur, vel a parte una, vel utraque. Cum ſcilicet ii, contra quos diſputatur, ſententiam ſuam non recte proponunt: ii vero, qui contra diſputant, ſententiam alterius ſua culpa non recte intelligunt. Priori modo peccatur obſcuritate verborum, quæ nonnunquam involuntaria eſt, cum homines perſpicue loqui non poſſunt: nonnunquam voluntaria & affectata, cum perſpicue loqui nolunt. Poſteriori modo occaſionem logomachiis dantes, alii bona fide agunt, revera eam, quam oppugnant, adverſarii ſententiam eſſe exiſtimantes: in aliis affectatus eſt error, qui nolunt adverſarium intelligere, aut videri volunt non capere, quæ capiunt. In priore claſſe ſunt ingenia volatica ac deſultoria, ſuperficiaria, cujus vitii naturales cauſas Auctor indagat. In poſteriore claſſe ſunt illi, qui contentionibus delectantur, qui aliis invident, qui alios odioſos reddere volunt, qui temere alios condemnant, ſchiſmatici, præceptorum admiratores, antiquitatis cultores, novitatis amatores: qui aliorum ſententias rident, qui lucrum quærunt, qui auram popularem captant in refutandis aliorum ſententiis, quos aliorum dictis ſemel male intellectis pudet logomachos ſe eſſe confiteri.

Pergit ad *ſigna* logomachiæ, inter quæ (1) ſi quis ea oppugnare videtur, in quibus totum genus humanum convenit. (2) Si quis negare videtur rem cognitu facillimam. (3) Si vir ſapiens in diſputatione ſententiam manifeſte abſurdam & ridiculam propugnet. (4) Si ſententia, quæ adverſario adſcribitur, aliis certis & conſtantibus ejusdem opinionibus adverſetur. (5) Si aliquis a ſententia abſurda aut turpi, quæ ei tribuitur, in vita & praxi abhorret. (6) Si tam affirmans quam negans ad ſententias ſuas probandas iisdem utuntur argumentis. (7) Si diſputationes ſint de definitionibus & diviſio-

diviſionibus. (8) Si quis rogatus non poſſit vocabula generalia clarius explicare. (9) Si non intelligis diſputantes de re, quæ captum tuum non ſuperat. (10) Si theſi probe intellecta, opponentis argumentum non capis. (11) Si intellecta theſi & opponentis argumento, reſponſionem defendentis intelligere nequis. (12) Si bene percipienti & reſpondentem & opponentem, in diſputatione ſubito oriuntur tenebræ. Quæ ſigna non æque certa omnia eſſe exiſtimat, neque vult, ut ſi quis unum aut plura ex illis in diſputatione animadvertat, ſine ulteriori examine ſtatim logomachiam eſſe, certe judicet; ſed hoc tantum intendit, ut ſi quis iſta obſervet, de diſſenſu vero diſputantium tantiſper dubitet, donec controverſiæ momenta accuratius excuſſerit.

Subjiciuntur tandem *remedia*, tum morbum, ubi eſt, pellentia, tum, ubi non eſt, prohibentia, quæ vulgo conſueverunt præſervativa nominare. Univerſale remedium eſt (1) Lexicon quoddam univerſale. (2) purgatio artium & diſciplinarum a vocibus & locutionibus obſcuris, confuſis, ambiguis. (3) mutatio pugnarum cum hominibus in pugnas cum ſententiis. (4) translatio diſputationis a genere ad ſpeciem, ab univerſalioribus ad minus univerſalia. Præſto ſunt etiam ſpecialia remedia. Si nos ipſi in logomachias incidimus, oppugnantes aliorum verba non intellecta, cum quibus ſententia convenimus, ante omnia dubitemus, verane controverſia ſit; mentem a pravis affectibus purgemus; monenti adverſario, non id ſe ſentire, quod in diſputando illi tribuimus, injuriam ſibi fieri, haud difficiles nos præbeamus, niſi tamen proteſtatio manifeſto facto eſt contraria; conſequentias vero, quamvis neceſſarias, non imputemus, quas non videt adverſarius. Si nos ipſos petant aliorum logomachiæ, primum ingenue fateamur, nos minus apte eſſe locutos, promittamusque aliter inpoſterum nos locuturos; nunquam malitiæ aut ſtuporis accuſemus eos, quos ſanare cupimus. Si alios aut dictis aut ſcriptis acerrime pugnantes, in re ipſa conſentire obſervamus, conciliaturis eos magna circumſpectione opus eſt, ne utrumque in nos concitemus. Præciduntur vero logomachiæ occaſiones, ſi docentes proponimus non tam verba, quam res, atque diſcipulos in tenera ætate a ſtudio contradicendi avocamus: ſi libros ſcribentes, ante omnia probe tenemus, quid ſentiamus, quomodo ſentiamus, quare ita ſentiamus; deinde omnia ingenue atque perſpicue

ſpicue proferimus : ſi lecturi aliorum libros, afferimus voluntatem intelligendi & facultatem ; in ipſa lectione attenti ſumus & cauti.

DE VISIBILI CONJVNCTIONE INFERIORVM Planetarum cum Sole, *Diſſertatio Aſtronomica, Authore E. HALLEY.*

Tranſcripta ex Actis (Transactionibus) Philoſophicis Anglicanis num. 193, A. 1691, pag. 511 ſqq.

MErcurii Venerisque Sidera Solis diſcum ſubintrare, ac inſtar macularum nigricantium in lucido ejus orbe aliquando conſpici, tam ex verioris Aſtronomiæ principiis, quam ex indubitata obſervantium fide, dudum compertum eſt. Qua vero lege, quibusque conditionibus, quantisque annorum intervallis hæc phænomena nobis ſpectanda præbeantur, neſcio an aliquis ex Aſtronomis hodiernis rite definiverit. Certe nihil hac de re inter typis mandata hucusque mihi viſum eſt. Quapropter non ingratum fore arbitratus, huic inquiſitioni ſerio operam dedi, ac diſſertatione hac rem maxime perplexam paucisque intellectam me plenius enucleaturum confido.

Has Planetarum horum Phaſes ſemper in retrogradientium cum Sole conjunctionibus fieri, cum ſcilicet Sol Nodis eorum adeo vicinus ſit, ut Planetæ Soli juncti latitudo ſemidiametrum Solis non excedat, per ſe ſatis conſpicuum eſt. Quo vero facilius limites ac conditiones harum conjunctionum perveſtigem, cum calculi elementa omnino diverſa ſint, uterque Planeta ſigillatim tractandus eſt : a Mercurio itaque exordiamur.

Hujus Planetæ Nodum Aſcendentem, juxta nuperas & accuratas obſervationes, prope 15°. Tauri, ſeu potius ad 0s. 15°. 44′. a prima ♈, hoc noſtro ſeculo reperiri, pro comperto habemus. Deſcendentem vero oppoſitum ad 6S. 15°. 44′ a 1a ♈. Angulus autem quo Planum Orbitæ Mercurialis ad Eclipticam inclinatur, ſatis bene ſe habet apud *Keplerum*, viz. 6o. 54′. Jam ex probatiſſimis Hypotheſibus conſtat, Mercurii in Nodo Aſcendente conſtituti diſtantiam a Sole eſſe partium 31365 : quarum media Solis di-

ſtantia a Terra ſit 100000 ; dum vero Nodum alterum occupat, diſtantia iſta in iisdem partibus menſurata, fit 45308. Sol vero, Nodo Aſcendenti oppoſitus, diſtat a Terra eidem juncta partibus iſtis 98955 : ad Nodum vero alterum eadem intercapedo fit 101007. Atque id circo Mercurius Soli conjunctus ad Nodum aſcend. diſtat a Terra partibus 67591 : ad Nodum vero Deſcend. partibus 55699. Quæ cum inter ſe valde diſcrepent, ſeparatim etiam conſiderandæ veniunt Conjunctiones illæ, quæ ad diverſos Nodos fiunt, calculi elementis compendii gratia ſynoptice expoſitis.

Conjungatur Mercurius Retrogradus cum Sole *Centraliter ad Nodum Aſcendentem, Menſe* Octobri ; *ac ex prædictis Hypotheſibus habebitur,*

	☉	°	′	″
Longitudo Solis a prima Stella Arietis	6	15	44	00
Longitudo Mercurii ex Sole viſi	0	15	44	00
Diſtantia Mercurii a Sole, partium	31365			
Diſtantia Mercurii a Terra	67591			
Angulus Inclinationis Orbitæ Mercurii		6	54	00
Motus 6. Horar. Mercurii ex Sole viſi		1	30	58
Motus Solis in iisdem ſex horis			15	5
Hinc Motus Mercurii a Sole ; ſex horis		1	15	53
Et Motus ejus a Sole ex Terra viſo, 6 Horis		0	35	12
Et Angulus viæ Mercurii intra Solem viſæ cum Ecliptica		8	15	00
Hinc motus Mercurii in orbita ſua viſibili 6 Horis			′	″
			35	40
Deinde motus Mercurii in Anno Siderio ultra quatuor revolutiones	☉	24	′ 45	″ 8
In Annis tredecim itaque	☉	21	46	44
Deſunt itaque ad Revolutiones 54 integras	0	8	13	16
		d	h	
Quod ſpatium percurrit Mercurius in		2	00	13′
Quibus promovetur Solis locus; ac ☿ in Nodo ſitus, tantundem diſtat a conjunctione Terræ		2°.	1′	00″

At

At arcus iſte ex Terra ſpectatus fit		0	56′	10″
Unde ex dato Angulo viæ viſæ 80. 15′ provenit baſis, ſive diſtantia a conjunctione viſibili		0	55′	34″
Qui arcus percurritur a Mercurio juxta Horariam datam horis			9.	21′
Excedunt vero 13 Anni Siderii totidem Julianos cum intercalationibus tribus, horis			8.	00′
Itaque Mercurius revertitur ad Solem poſt Annos Julianos 13 atque inſuper		2d	17h.	34′
Vel cum quatuor intercalationibus, ſi præcedens annus ſit tertius a Biſſext.		1	17′	34″
Ex arcu vero 56′, 10″, & angulo dato, fit perpendicularis ſive proxima diſtantia ☿ii a Sole		0	8′	3″
Itaque ☿ poſt 13 annos intra Solem conſpicuus 8′. 3″ Borealius incedit.				
Pari Argumento in 46 annis Sideriis movetur	11s	28°	36′	8″
Deſunt itaque ad revolutiones 191 integras	0	1	23′	52″
Hoc eſt in tempore, Horæ		8	12′	
Quibus promovetur Sol		0.	20′	41″
Hinc arcus e Terra viſus fit		0	9′	36″
Baſis vero ei competens		0	9′	30″
Tempus vero quo Mercurius baſin percurrit fit, Hor.			1 36′	00″
Excedunt vero 46 Anni Siderii totidem Julianos cum 11 Intercalationibus, horis			19 3′	00″
Ac Mercurius revertitur ad Solem poſt 46 annos Julianos, atque inſuper		1d.	4h.	51′
Vel cum duodecim intercalationibus, ut fit cum annus præcedens ſit ſecundus vel tertius a Biſſextili		0	4′	51″
Perpendicularis vero, qua Mercurius in Boream provehitur, fit		0.	1′	22″
Periodus vero maxime accurata Mercurii ad Solem abſolvitur annis ſideriis 263 atque inſuper		h 1	 11½	
Hi vero Siderii ſuperant totidem Julianos, cum 66 intercalationibus, horis		10	20′	

Unde post 263 Annos Julianos, Mercurius ad Solem revolvitur, tardius vero		11	31 ½
Quod si præcedens annus Bissextilis fuerit, addantur	1d.	11	31 ½

Post hoc demum intervallum Borealius incedit, non nisi decem minutis secundis.

Cæteræ vero periodi latiores ex jam inventis facili negotio eruuntur, suntque vel sex vel septem Annorum.

Quæ septem annis absolvitur, Mercurium deprimit versus Austrum 22′. 47″, ac septem dies integros minus 9 minutis citius provenit, si duæ fuerint intercalationes. At cum una intercalatione, cum scil. annus prior Bissextilis sit, 6 dies subducendi sunt, additis tantum 9 minutis, ut prius.

Rarius vero post sex Annos in Solis disco conspicitur iterum vagus ille Planeta, qui exacta hac periodo 30′. 50″ Borealius transit; idque tardius 8d. 17h. 25′, si annus præcedens sit secundus vel tertius a Bissextili; aliter 9d. 17h. 25′ addendi sunt.

Pariter si fiat Conjunctio ad Nodum Descendentem Mense Aprili.

	☉	°	′	
Longitudo Solis a prima stella Arietis	0	15	44	00
Mercurii Longitudo ex Sole visa	6	15	44	00
Distantia planetæ a Sole ut prius		45308		
Distantia ejus a Terra		55699		
Motus Mercurii e Sole visus sex horis		0	43	21
Motus Solis in eodem tempore		0	14	29
Motus Mercurii a Sole		0	28	52
Hinc angulus Viæ visæ Mercurii intra Solis discum cum Ecliptica fit		10	18	00
Motus vero visus a Terra in sex horis		0	23	52

Unde sequendo methodum calculi præcedentis, evincitur Mercurium post 13 annos atque insuper 3d. 7h. 37′. ad Solis conjunctionem revolvi; quod si præcedens Annus fuerit tertius a Bissextili, tunc addendi sunt 2d. 7h. 37′. tantum: ac tum Mercurius 16′. 55″ Australius incedere reperietur. Post 46 vero annos, cum 12 intercalationibus addantur 0d. 7h. 14′, & habebitur Mercurius Soli conjunctus in tramite Australiore 2′. 53″. Si vero annus prior Bissextilis fuerit, vel ab eo primus, addendus est 1d. 7h. 14′, ut habeatur accurate Synodus. Similiter post 263 annos,

Digitized by Google

annos, quibus Mercurius in Auſtrum deflectitur 0′. 22″; addendus eſt vel 1d. 11h. 49′, vel 11h. 49′: juxta legem in priori caſu præſcriptam.

At annis ſex vel ſeptem ob viciniam Terræ ac planetæ, atque idcirco ob ampliatos arcus, ad hunc Nodum non revertitur ad Solem, ut intra diſcum appareat. Poſt Annos autem 33 Solem tranſit via magis Boreali 14′. 2″: ac habetur momentum conjunctionis ſubducendo a prioris tempore 3d. 0h. 23′ ſi fuerit in anno tertio a Biſſextili; aliter ſubduc 2d. 0h. 23′ tantum.

His inventis facile erit continuare calculum pro omnibus hiſce conjunctionibus Mercurii cum Sole, idque cum ſumma certitudine: ac ſine ulla hæſitatione, an omnes poſſibiles habeantur, necne; ſola additione obtinentur momenta conjunctionum ac diſtantiæ planetæ a centro Solis, unde etiam ope Tabellæ depromuntur durationes harum, ut ita dicam, Eclipſium: ut nihil ſit, quod in hac re deſiderari videatur.

Epochas vero quod ſpectat, eæ tutius Obſervatorum induſtria comparantur, quam Calculi cujusvis ſubtilitate: adeoque elegimus in primo caſu, notabilem illum tranſitum Mercurii quem ipſe in Inſula *Sanctæ Helenæ* perfectiſſime obſervavi, Octob. 28, Anno 1677, St. Vet. & cujus medium ex initio & fine determinavi in prædicta Inſula quidem 0h. 4′. P. M. *Londini* vero 0h. 28′ P. M. Semita vero qua incedere viſus eſt Planeta 4′. 40″ Borealior erat Solis centro. In altero caſu, viz. cum Mercurius Soli conjungitur Menſe Aprili, Ex Cl. *Hevelii Mercurio in Sole viſo* pag. 72, 75, Epocham deſumere placuit; nempe quod Apr. 23, Anno 1661, St. Vet. 6h. 8′. P. M. *Gedani*, hoc eſt 4h. 52′ *Londini*, Mercurius Solis centro proximus apparuit, utpote in medio tranſitu, ſimulque diſtabat ab eodem centro 4′. 27″, ad Boream. Hinc juxta præcepta præmiſſa, omnes ordine viſibiles conjunctiones Mercurii cum Sole ſimul exhibere, exigui laboris opus erit: ac in exemplum quod cuivis in poſterum imitari licet, accipe, hujus ſeculi ab invento Teleſcopio quotquot uſquam apparuere hujusmodi Phænomena, vel quæ etiam inſequentis ſeculi poſteris apparitura ſunt.

Series momentorum quibus Mercurius Soli conjunctus intra diſcum ejus conſpicitur, per præſens & futurum ſeculum, cum diſtantiis Planetæ a Solis centro.

APRI-

APRILI.

Ann.	Temp. Conj. d.	h.		Dist. a cent. ☉. ′	″	
1615	22	21	38**	7	20	B
1628	25	5	15*	9	35	A
1661	23	4	52*	4	27	B
1674	26	12	29	12	28	A
1707	24	12	6	1	34	B
1720	26	19	43*	15	21	A
1740	21	11	43	15	36	B
1753	24	19	20*	1	19	A
1786	22	18	57*	12	43	B
1799	26	2	34**	4	12	A

OCTOBRI.

Ann.	Temp. Conj. d.	h.		Dist. a centr. ☉. ′	″	
1605	22	8	29	12	48	A
1618	25	2	3*	4	45	A
1631	27	19	37*	3	18	B
1644	30	13	11	11	21	B
1651	23	13	20	11	26	A
1664	25	6	54*	3	23	A
1677	28	0	28**	4	40	B
1690	30	18	2*	12	43	B
1697	23	18	11*	10	4	A
1710	26	11	45	2	1	A
1723	29	5	19*	6	2	B
1730	22	5	28	16	45	A
1736	30	22	53**	14	5	B
1743	24	23	2**	8	42	A
1756	26	16	36	0	39	A
1769	29	10	10	7	24	B
1776	22	10	19	15	23	A
1782	Nov. 1	3	44*	15	27	B
1789	25	3	53*	7	20	A

Transitus qui signo * notantur, Londini ex parte visibiles sunt, qui vero signo **, toti conspici possunt.

Notandum vero est, Solis Diametrum ad Nodum ☊ii Ascendentem Mense *Octobri* occupare 32′.34″; atque adeo maximam durationem centralis transitus esse 5h. 29′: Mense vero *Aprili* Diameter Solis fit 31′.54″; unde ob tardiorem Planetæ motum oritur duratio maxima 8h. 1′. Quod si oblique incidat Mercurius, durationes hæ breviores reddunter pro ratione distantiæ a centro Solis: Quoq; perfectior calculus hic reddatur, sequentes Tabellas adjunxi, quibus exhibentur dimidiatæ durationes harum Eclipsium ad singula minuta distantiæ visæ a centro Solis; quæ additæ ac subla-

ſublatæ a conjunctionis momento in priori Tabula invento, initium ac finem totius Phænomeni deſignant.

Octobri.

Min. Diſt. ′	*Semi-durat.* H.	′
0	2	44 ½
1	2	44
2	2	43
3	2	41 ½
4	2	39 ½
5	2	36 ½
6	2	33
7	2	28 ½
8	2	23
9	2	17
10	2	10
11	2	1
12	1	51
13	1	39
14	1	
15	1	24
15 ½	0	50
16	0	30

Aprili.

Min. Diſt. ′	″	*Semi-durat.* ′
0	4	0 ½
1	4	0
2	3	58 ½
3	3	56
4	3	53
5	3	48 ½
6	3	43
7	3	36
8	3	28
9	3	18 ½
10	3	7
11	2	54
12	2	38
13	2	19
14	1	55
15	[illegible]	21 ½
15 ½	0	56

Obſervationes omnes hucuſq; habitas rite repræſentant hi numeri, nec eſt quod dubitem de futuris, cum ex omnibus Planetis Mercurius Soli proximus ejus centro adeo vicinus ſit, ut aliorum centrorum interventu minime cieatur, nec deviationibus illis quæ a cæterorum ſyſtemate oriuntur, quibusque ſuperiores, præſertim Saturnus, obnoxii ſunt, quod ſentiri poſſit, interturbetur.

Parallaxes conſulto omiſi, ut perexiguas, quæque locis diverſis diverſæ obvenientes, generaliori calculo immiſceri non debent; quodque etiam, quantæ ſint, non ſatis adhuc conſtat, ſed potius ex hujusmodi Obſervatis tutiſſime derivari poſſint. Diametri etiam Mercurii rationem non habui, quia ſupra fidem parvus per paucula ſolum minuta limbo adhærere videtur. Ex obſervatione accuratiſſima deprehendi, vix duo minuta elapſa, dum totus e Sole egrederetur, *Octobr.* 28vo, 1677, unde concluſi Diametrum ejus o′. 11″, ac juxta rationem diſtantiarum a Terra ad Nodum alterum eſſe, o′, 13″ ½ fere, adeoque tunc 3′ ½ temporis minuta inſumi, dum totus planeta Solis limbum directe pervadit. Oblique vero tranſiens paulo diutius hæret, ſecundum ac Secantes angulorum incidentiæ augentur. Æquationes etiam Temporis haud opus eſt ut æſtimemus, quia per plures

dies hinc inde in utroque menſe conſtantes ac quaſi invariatæ perſiſtunt.

De Viſibili Veneris cum Sole *Conjunctione.*

VEnus quamvis ſyderum omnium ſpecioſiſſima, more ſexus ſui, ſine mutuato cultu ac ſplendore aſcititio in conſpectum prodire veretur. Hoc etenim ſpectaculum inter Aſtronomica longe nobiliſſimum, inſtar Ludorum ſecularium, integris ſeculis Mortalibus invident motuum arctæ leges. Unico vero hoc obſervato ſumma cum certitudine diſtantiam Solis a Terra determinari poſſe, quæ ob Parallaxin alias prorſus inſenſibilem vagis terminis hucusque definita eſt, poſthac declarabitur. Periodos vero quod attinet, illæ non adeo accurate ac Mercuriales deſcribi poſſunt, cum Venus ſemel tantum ab Orbe condito, idque ab *Horroxio* noſtro, intra Solis diſcum deprehenſa ſit. Correctis autem motibus, quantum per rudiores Veterum obſervationes licet, accipe jam ſummam Calculi.

	☿	°	′	″
Longitudo Nodi Aſcendentis Veneris a prima Stella Arietis	1	15	16	00
Sol itaque ei jungitur in puncto oppoſito, hoc eſt, per hæc ſecula, circa finem *Novembris*	7	15	16	00
Diſtantia Veneris a Sole partium	71997			
Diſtantia Veneris a Terra	26438			
Inclinatio Orbitæ Veneris ad Eclipticam	3°.	23′		
Motus Veneris in octo Annis ſydereis, ſupra tredecim Revolutiones	0	1	30	28½
Motus Veneris in 235 Annis ſydereis ſupra 381 Revolutiones	11	29	17	39
Motus Veneris in 243 Annis ſydereis ſupra 395 Revolutiones	0	0	48	8

Ex his principiis, inito calculo juxta methodum in Mercurio expoſitam, proveniunt intervalla temporum ac diſtantiarum ut ſequitur.

Poſt octo annos Venus revolvitur ad Solem, ſcilicet ſublatis a prio-

Digitized by Google

a prioris tranſitus momento 2d. 10h. 52′ ½. Incedit vero Planeta ſemita 24′. 41″, priore magis Auſtrali.

Poſt annos 235, additis 2d. 10h. 9′, Venus iterum Solem ingredi poteſt, ſed via 11′. 33″ Borealiori: Quod ſi præcedens annus Biſſextilis fuerit, 3d. 10h. 9′ addendi ſunt.

Poſt annos 243, Venus etiam Solem tranſire poteſt, auferendo tantum 0h. 43′ a prioris tempore; Auſtralius vero incedit 13′. 8″: Quod ſi præcedens annus Biſſextilis fuerit, adde 23h. 17′.

Et in omnibus his appulſibus Veneris ad Solem, Menſe *Novembri*, Angulus viæ viſæ Veneris cum Ecliptica fit 9°. 5′, ac motus ejus Horarius intra Solem 4′. 7″; cumque ſemidiameter Solis ſit 16′. 21″, provenit maxima duratio tranſitus centri Veneris 7h. 56″.

Deinde conjungantur Sol & Venus ad Nodum Deſcendentem Menſe *Majo*; ac juxta numeros eosdem ſupputentur intervalla eadem. Poſt octo Annos auferendi ſunt 2d. 6h. 55″, ac Venus orbita 19′, 58″ Borealiori pertranſibit.

Poſt annos 235 adde 2d. 8h. 18′, vel ſi prior annus Biſſextilis fuerit, 3d. 8h. 18′, & habebis Venerem Auſtraliorem 9′. 21″.

Denique poſt 243 annos, adde 0d. 1h. 23″; vel ſi prior annus Biſſextilis fuerit, 1d. 1h. 23″; & reperietur Venus iterum Soli conjuncta, ſed in tramite 10′. 37″ magis Boreali.

In omni ad hunc Nodum tranſitu intra Solem, angulus viæ viſæ Veneris cum Ecliptica fit 8°. 28′; ac Horarius ejus motus 4′. 00″; ac Solis ſemidiametro ſubtendente 15′. 51″, provenit duratio maxima centralis tranſitus etiam 7h. 56′; præciſe eadem ac ad Nodum alterum.

Quoad Epochas: Ex ingreſſu quem ſolum vidit Horroxius in Sole jamjam occaſuro, concluditur, Venerem Soli junctam fuiſſe Londini 1639, Novembr. 24, 6h. 37′, ſed verſus Auſtrum inceſſiſſe 8′. 30″. Menſe *Majo* vero a nemine Mortalium hucuſque intra Solem viſa eſt, ſed ex numeris meis quos non multum a cœlo abluſuros confido, conſtat Venerem proxima vice Solem ſubituram An. 1761. Maji 25, 17h. 55′, media ſcil. Eclipſi, ac tunc diſtare a centro ejus verſus Auſtrum 4′. 15″.

Hinc & ex præmiſſis revolutionibus facili negotio omnia hujus generis Phænomena per Millennium integrum computavi, ut in ſequenti Tabella exhibentur.

Menſe Novembri.

Ann.	Temp. Conj. d.	h.	′	Diſt. a Cent. ′	″	
918	20	21	53	6	12	B
1161	20	21	10	6	55 ½	A
1396	23	7	20	4	38	B
1631	26	17	29	16	11	B
1639	24	6	37	8	30	A
1874	26	16	46	3	3	B
2109	29	2	56	14	36	B
2117	26	16	3	10	5	A

Menſe Majo.

Ann.	d.	h.	′	′	″	
1048	24	13	45	3	50	B
1283	23	8	14	5	31	A
1291	25	15	9	14	27	B
1518	25	16	32	14	52	A
1526	23	9	37	5	6	B
1761	25	17	55	4	15	A
1769	23	11	00	15	43	B
1996	28	02	13	13	36	A
2004	25	19	18	6	22	B

Durationes harum Veneriarum Eclipſium quod attinet, reſpectu centri eodem modo ſupputari poſſunt ac Mercuriales; ſed cum Diameter Veneris ſatis ampla ſit, cumq; Parallaxes etiam differentiam valde notabilem quoad tempus ingerere poſſint, calculus peculiaris pro locis ſingulis neceſſario ſubeundus eſt.

Veneris autem Diameter tanta eſt, ut dum limbo Solis adhæret, ferme 20 temporis minuta præterfluunt; cum ſcil. Solem directe aggreditur; oblique vero incidens, etiam diutius limbo immoratur. Occupat autem diameter iſta, juxta Horroxii obſervationem 1′. 18″, dum ad Nodum Aſcend. Soli jungitur; ac 1′. 12″ ad Nodum alterum. Præcipuus autem harum conjunctionum uſus eſt, Solis a Terra diſtantiam ſive parallaxin ejus accurate determinare, quam quidem fruſtra variis methodis tentaverunt Aſtronomi; dum inſtrumenta quantumvis ſubtilia angulorum quæſitorum minutiæ facile eludunt. At in obſervando Veneris in Solem ingreſſu & ab eodem egreſſu, ſpatium temporis inter momenta contactuum internorum, ad ipſum temporis minutum ſecundum

cundum, hoc eſt, ad $\frac{1}{15}$ minuti ſecundi ſive $4'''$ arcus obſervati, ope mediocris Teleſcopii, & Horologii Oſcillatorii per 6 vel 8 horas accurate ſibi conſtantis, obtineri poteſt. Ex duabus autem talibus obſervationibus in locis idoneis debite inſtitutis, intra quingenteſimam partem certo concludi Solis diſtantiam, proxima occaſione commonſtrabo.

DIGT-SANG-EN SPEEL-KONST SOO DER OVden, als byſonder der Hebreen, &c.

h. e.

Veterum, inprimis vero Hebræorum, Poëtice & Muſica, tam vocalis quam inſtrumentalis, illuſtrata ſtudio Salomonis van Till, V. D. Miniſtri in Eccleſia Jeſu Chriſti, & Profeſſoris illuſtris Scholæ Dordracenæ.

Dordraci apud D. Goris, A. 1692. 4.
Conſtat plag. 71.

DIvinos Pſalmorum libros interpretaturus Cl. Auctor, inſtar prodromi ſuorum laborum eſſe juſſit de Muſica & Poëtice veterum commentarium, qui lectorum animos ad faciliorem earminum illorum ſacrorum intellectum præpararet. *Tribus* autem ille *partibus* comprehenditur, quarum prima *Muſicæ* pariter ac *Poëſeos originem & incrementa* inveſtigat. Natam igitur oſtendit *artem canendi* primum ex avium concentu, quem imitati fuerint homines primi, quos operam eidem dediſſe probabile ſit, ut lenirent moeſtitiam ex lapſu in peccatum exortam, laborumque moleſtiam fallerent; magis fuiſſe cultam, cum jam in ſocietates coiviſſent, ut ſylveſtres lenirentur animi moresque emollirentur; tandem vero in faſtigium ſummum creviſſe, cum apud varias gentes præmia & honores fuiſſent propoſiti, quos publicis in ſolennitatibus, qui victores in canendo renunciati fuiſſent, conſequebantur. Ut autem adpareat, quibus gradibus ad perfectionem devenerit Muſica, illa deſcribitur quæ penes Græcos veteres in uſu fuit, & quæ a Pythagora, Ariſtoxeno aliisque eidem addita fuerunt, commemorantur: ab

his autem aliisque ad recentiorem canendi rationem, quæ a Guidone Aretino introducta, tranſitur, & de *præſtantia veteris Muſicæ*, ex Joh. Baptiſta Donio & Iſaaco Voſſio, contra Guidonis aſſeclas diſputatur: quæ procul dubio in cauſa fuit, ut non Romani ſolum totos aluerint Muſicorum greges, ſed tanto quoque in pretio habuerint vocis elegantiam, ut ſymphoniaci abſtinerent cibis officientibus, medicina vel conſervandæ vel augendæ vocis cauſa uterentur, nonnullisque fibulæ quandam adhiberent ſpeciem, quæ per ſummam genitalium partem trajecta non ſineret eos, qui illam geſtarent, libidinari eoque pacto vocem corrumpere.

Canendi arti *Poëſis* juncta fuit, & a Lino primum quidem Græcis tradita, ſed longe tamen ante inter Hebræos recepta, cum obitus Moſis, cujus carmen Exod. 15 extat, Lini ætatem 200 annis præcedat. Et priſca quidem carmina pedibus & numeris caruerunt, ſenſim tamen pedes fuerunt reperti majorque cultus illis additus, pleræque etiam gentes rhythmos amplexæ ſunt, ut verſus ſimiliter ſonantibus abſolverent vocabulis: quam conſuetudinem, ſi Voſſio fides, ſervant non Arabes tantum & Perſæ & Afri, ſed & Tartari & Sinenſes, & complures quoque Americanæ gentes, ut dubitari vix poſſit, quin ipſa natura una cum cantu hanc Poëſeos rationem mortalibus tradiderit.

Ad *organicam* quod attinet *muſicam*, quæ odica & poëſi videtur poſterior fuiſſe, ad tria potiſſimum genera inſtrumenta, quibus utitur, non inepte referuntur. Quædam enim flatu animantur, alia fidibus inſtructa tanguntur, nonnulla vero pulſantur. Eorum autem quæ inflantur inventionem Cl. auctor ex Gen. 4. 21. Jubali vendicat, adſtipulatus Chaldæo paraphraſti, qui per אבובא interpretatus eſt vocem עוגב, quam auctor omne fiſtularum, tibiarum tubarumque genus denotare exiſtimat. Fuiſſe autem dicit fiſtularum fabricam initio ſimpliciſſimam ſingularesq; tubulos, mox binos cohærentes, eumque numerum creviſſe ad ſeptenos usque, magnitudine omnes inter ſe impares, ſed proportione certa: hinc nata poſtmodum organa pneumatica, quorum originem Bulengerus ad IV refert ſeculum, Voſſius vero aſcaulas ſeu utricularios veterum eosdem cum organariis hodiernis fuiſſe aſſerens, antiquiorem facit; nec non organa hydraulica a Cteſibio excogitata. Poſt fiſtulas inventæ

inventæ tibiæ, poſtquam animadverſum fuit, cannas foraminibus inſtructas, eodem ſpiritu accepto, alium clauſis, alium apertis foraminibus ſonum edere. Pertinent huc vero μονάυλοι, βόμβυκες, γίγγρωνοι tibiæque duplices, quæ uno animabantur ſpiritu. Organa porro fidibus inſtructa, quarum origo ad Mercurium falſo refertur a gentilibus, Jubalem quoque parentem agnoſcunt, & in duo ſumma genera ab Auctore dividuntur, quorum primum Græcis antiquis uſitatum illa continet, quorum chordæ ab utraque parte tangi poſſunt, alterum, quod ad Græcos ex Oriente traductum, ea complectitur, quorum nervi ab una ſolum parte poſſunt incitari. Ad primum referuntur teſtudo Mercurii, cithara Apollinis, lyra Lesbia Terpandri, &c. in quibus vel dextra plectro utebatur, quod erat foris canere, vel ſiniſtra digitis carpebat chordas, id quod intus canere vocabatur. Ad alterum genus reducuntur pſalterium ſeu magadis, barbitos, pandura, ſambuca, nabla. Tandem inſtrumenta κρουσμάτων nomine comprehenſa, quæ ſcilicet pulſata bombum vel tinnitum edunt, recenſentur, qualia ſunt cymbala, crepitacula ſeu ſiſtra, tympana, & id genus alia. Ita autem verſatur Cl. Auctor in inſtrumentorum jam commemoratorum explicatione, ut icones quoque eorum ex marmoribus aut nummis veteribus afferat, ne quis forte illa cum recentioribus inſtrumentis, quæ apud nos idem nomen gerunt, ſed a figura illorum plane abludunt, confundat.

Porro cum de *efficacia muſicæ veteris* ea prædicentur, quæ incredibilia multis videntur, eis illa ſita fuiſſe conjicitur in apta electione cum modorum, Dorii ſcilicet, Phrygii, Lydii & Mixolydii, tum generum, diatonici nimirum, enarmonici & chromatici, ex quibus tamen enarmonicum ob difficultatem, chromaticum ob mollitiem niniam, ſenſim ab uſu receſſit. Huic accedit, quod congrua ſemper carmina aptata fidibus & cantui fuerunt, multaque adhibita cura, ut canentes diſtincte pronunciarent, nec torquerent aut lacerarent vocabula, ſed brevem ſyllabam uno, longam duobus efferentes temporibus, non multum recederent a communis ſermonis charactere & imagine; quod alternis cecinerunt, & ſymphoniam organorum ita cum voce conjunxerunt, ut tamen multitudine ſonorum, quæ muſicæ hodiernæ labes eſt, cantus non corrumperetur. Neque enim ſymphoniarum expertes plane fuerunt veteres, in quibus conſonantiarum

tiarum non ſolum perfectarum ſed imperfectarum quoque, tertiæ ſcilicet & ſextæ tam majoris quam minoris habita fuit ratio, quamvis monodiis maxime uterentur.

Quemadmodum autem Theologia veterum carminibus fuit comprehenſa, ita *muſicæ* quoque *præcipuus in ſacris uſus* eminuit, & tota illa ſcientia deorum venerationi inſerviit. Nam hymni canebantur, cum rem divinam faciebat ſacerdos, & tubæ tibiæque inflabantur, & canebatur lyra, & tympana cymbalaque pulſabantur, ut ex deſcriptione feſtorum Bacchi & *Cybeles* adparet, de qua ὡς ἐν παρόδῳ ita agit peculiari capite Tillius, ut oſtendat eam Saturni uxorem fuiſſe, Rheæ & magnæ matris nomine vulgo notam, quæ Jovem filium Saturni manibus ereptum Curetibus & Corybantibus, Idæ montis incolis, educandum tradiderit, ejusque cultum porro ex Creta in Phrygiam, & hinc Romam translatum fuiſſe, majorique peractum cerémonia, cum Attalus Rex Phrygiæ A. 550 ab U. C. per legatos a Romanis expetitum idolum Peſſinunte Romam miſiſſet, informem, ſcilicet nigrumq; lapidem, qui deinde ſimulacro mulieris argenteo incluſus anniverſario ritu ad Almonis rivum deducebatur, in eoque abluebatur, non ſine ingenti adparatu, quem prolixius Auctor deſcribit.

Secunda pars ſpeciatim *Ebræorum* pertractat *Muſicam & Poeſin*, in carminibus Davidicis maxime conſpicuam, quæ ideo *Pſalmi* dicta, quod ad muſicum inſtrumentum canebantur, תהלים vero vel hymni, quod ad laudem Dei recitabantur. Quædam ex illis ſpeciali titulo מזמור (pſalmi) gaudent, quod majori artificio melos ipſis erat aptatum; alia nomine שיר (Odes), quorum ſc. ratio canendi a vulgari pronunciatione non multum recedebat; nonnullis שיר מזמור, aliis מזמור שיר tituli loco præfigitur, quia in illis, cenſente beato noſtro Gerhardo, a pſalmodia fiebat initium, & huic poſtremo reſpondebant ſymphoniaci ἀνταφωνῆσες voce, in his vero ab hymno initium ducebatur, cui reſpondebat pſalmorum ἀντιφωνία. Tandem שגיון ſeu odæ erraticæ nomen datum fuit quibusdam, ut innueretur, aberrationem ab incepto tono in illis fieri, ad abreptionem animi & affectuum vehementiam ſignificandam. *Dividitur* autem *pſalmorum* volumen in *quinque libros* ab Hebræis, quorum primus 41, ſecundus 31, tertius 17, quartus 17½, quintus 44 pſalmos continet; unde

& Pen-

& Pentateuchus minor olim dictum, conſcriptumque fuit eo tempore, quo muſica & poeſis maxime floruit apud Hebræos, illuſtresque ejus magiſtri in ſocietatem ſanctiſſimam coiverant, cujus caput ipſe Rex David fuit, membra vero Heman, Samuelis prophetæ nepos, qui Pſal. 88 Ezrachites a natali ſolo quoque nominatur, Aſſaph, & Ethan, qui, recte cenſente Tremellio, non differt a Jeduthun. Præcipuus enim pſalmorum *auctor* David ipſe fuit, eique omnes Pſalmi primi & quarti libri ſunt tribuendi; in ſecundo alii principibus poëtarum, alii Davidi adſcribuntur; tertii quoque libri auctores ſunt Aſſaph, Heman & Ethan; ſed quintus collectio eſt hymnorum a variis conſcriptorum, quorum tamen nomina diſerte non ſemper exprimuntur. Nulli vero ante Davidis tempora ab Adamo, Abrahamo, Melchiſedeco, Moſe, ut Judæi fingunt, ſunt conſcripti, nec poſt Davidis ævum, ſi Pſalm. 127 excipias, a Salomone, & Pſal. 137 a Jeremia elaboratum. Quamvis enim in LXX verſione, cui in rebus, quæ ex traditione innoteſcere poſſunt, plurimum tribuit Auctor, aliorum quoque virorum mentio fiat in Pſalmorum nonnullorum inſcriptionibus, illique Davidi jungantur; non tamen hinc colligere ſtatim licet, illos pro auctoribus ab interpretibus LXX habitos fuiſſe, cum ideo commemorati forſan fuerint, quia inſtituerunt, ut Pſalmi illi certis quibusdam temporibus a populo canerentur. Quod autem Pſalm. 72 preces Davidis finiri dicuntur, duplicem recipit explicationem, nimirum vel claudi hic ſeriem Pſalmorum Davidicorum in ſecundum librum congeſtorum, vel revera Pſalm. 72. ultimum fuiſſe Davidis carmen, licet non ultimo loco fuerit repoſitum. *Occaſionem* ſi quæras, qua uſi fuere ſancti vates ad hymnos illos pangendos, dedit eam ipſis œconomia veteris teſtamenti, quæ requirebat, ut hoc tempore major lux affunderetur umbris legis ceremonialis, nec non animo concepta a Davide templi fabrica, & propoſitum hymnis illuſtriorem reddendi cultum divinum. Amplam quoque *materiam* ſuppeditabant ſcripta Moſaica, typorumque & antityporum convenientia, quam illi fidei oculis uſurpabant. Calcar etiam addidit ipſis amor, quo in Deum pariter & proximum ferebantur, ſtudium munus propheticum ſibi demandatum rite obeundi, & quod Davidem attinet, cui promiſſio facta de Meſſia ex ſemine ſuo orituro, votum quo ſe obſtrinxerat, Pſalm. 57, 9. Neque vero ſacra hæc ſcri-

Digitized by Google

pta numeris coërcita & hymnis incluſa perperam fuerunt, cum nihil aptius his ſit, ad revocandum intra ſe animum, & ſacro quodam motu replendum. Sancte proinde in Eccleſia Judaica ſemper fuere Pſalmi cuſtoditi a Levitis, quibus erant concrediti copioſeque deſcripti, ita ut Babylonem etiam cantica Sionis, Pſalm. 137. ſimul cum ipſis commigrarint. Ubi, cum ante, ut veroſimile eſt, ſingulis membranis ſinguli inſcripti fuiſſent, a Cantoribus ſacris unum *in volumen collecti* fuerunt pſalmi, nulla temporum, quibus conſcripti, nec ordinis, quo cantari ſolebant, ratione habita, ſed prout quisque primum in manus inciderat. Cur autem *in quinque libros* digeſti fuerint, non ſatis conſtat, niſi dicere velis, quinque colonias Judaicas in Chaldæam deductas, atque adeo quinque diverſis vicibus collectionem pſalmorum fuiſſe inſtitutam. Cæterum *Poëſis Ebræorum* æſtimanda non eſt ad normam Graji Latinique metri, nec ex rhythmis, quos fruſtra ὁ δεῖνα in Pſalmis quæſivit, ſed, judice Cl. Borrichio, ex vocum ſymmetria, ſyllabarum numero & accentuum ratione, nec non auguſta illa & a plebe ſubmota dictione ſacrorum vatum. Commendat etiam Poëſin Hebræorum in Pſalmis conſpicuam, quod non ſolum in materia verſatur nobiliſſima, ſecus ac Poëtis ethnicis ſolenne eſt, ſed figuras quoque continet non affectatas, ſed genuinas, Deoque auctore ſuo dignas; ſingulares caſus & eventa refert; varietate gaudet gratiſſima, graviſſimoque ſtylo. Maximam etiam dignitatem pſalmorum codici conciliat ſumma divinaque ſapientia, quam undiquaque ſpirat, dum vel credenda inculcat, vel mores corrigit, vel præterita repetit facta, vel futura prædicit. Divino enim inſtinctu pſalmi ſunt conſcripti, idque doctiſſimus Auctor non ſolum Eccleſiæ Judaicæ, ſed ipſius quoque Chriſti & Apoſtolorum teſtimonio, prophetiarum complemento, aliisque rationibus probat, eorumque θεοπνευστίαν, contra Samaritanos pariter ac Atheos, defendit.

In *parte tertia* de *Levitis muſicis*, & *ordine* agitur, quo cultus, quem pſallendo exercebant, peractus fuit. Quamvis enim in tribubus reliquis cantores ac cantatrices fuerint, præſertim Davidis temporibus, Levitas tamen præcipue Muſicæ operam dediſſe credibile eſt, antea etiam, quam ex illis chorus muſicorum ſacrorum inſtitueretur a Davide. Cum enim alias cultui divino jam eſſent dicati, eos

David

Digitized by Google

David aſſumſit, & quidem qui ad *familias Kahath, Gerſon & Merari* pertinebant, ad ſacrum hoc munus, ita tamen, ut non prohiberentur reliqui Iſraelitæ ſuam jungere vocem Levitarum cantui, modo in atrio Iſraëlis conſiſterent, nec penetrarent in atrium Sacerdotum miſcerenturque Levitis, quorum *diviſio* in ordines turmasque 24 fuſe deſcribitur ab Auctore, diſſeriturque ſimul de illorum præfectis. *Numerum* quod attinet eorum, qui ſtatis temporibus officio fungebantur, nunquam pauciores comparebant quam XII, pluribus vero pro lubitu ſemper adeſſe licebat, modo vigeſimum ætatis attigiſſent annum: juniores enim arcebantur, & in atrio Iſraëlis conſiſtere cogebantur. Extra ordinem Symphoniaci illi ſacri aliis quandoque in *locis* v. g. in bello modulate canebant, ordinarie tamen in templo munus ſuum obibant, ubi cameras quoque habebant (de quarum loco ex Ezech. 40. contra modernum ſcriptorem diſputatur) nec non cellam ſub atrio Iſraëlis ſitam, in quam organa muſica linteis involuta recondebant. Stabant vero ſemper pſallentes ipſo in atrio ſacerdotum, (non vero in cameris ſuperioribus) niſi cum in feſto tabernaculorum in 15 gradibus portæ interioris conſtituti pſalmos graduum cantabant. In orbem etiam redibat 24 hebdomadum ſpatio ſingularum officium turmarum, ex quibus ſorte, qui ſingulis diebus miniſtrarent, eligebantur, ita ut omni *tempore* ſcire potuerint, quænam turma ſe accingere deberet, ad munia ſua obeunda. Quod aſſertum Scaligeri, contra Lightfootum, qui ex Midraſch Coheleth illud oppugnavit, prolixe defendit Tillius. In eo vero poſitum erat *officium* Symphoniacorum Leviticorum, ut, quoties juge ſacrificium offerebatur, ſimulatque a Sagan ſeu vicario ſacerdotis ſummi ſudario datum ſignum, ad effundendum libamen, alta voce canerent, idemq; facerent, cum vel diebus feſtis, vel alio tempore extra ordinem victimarum fieret oblatio. *Veſtes* eorum ex byſſo ſimplici, ut a ſacerdotalibus differrent, erant paratæ, femoralia ſcilicet & ſtolæ, nec non togæ (מעילים), quas adſtringebant cingulo byſſino, & tiaræ, quibus velabant capita, cum, pedes nudi, nec Thephillin geſtantes in frontibus, in templo miniſtrarent; qui quidem habitus a Deo ipſo præſcriptus fuit, nequaquam vero ab Ægyptiis mutuo ſumtus ſacerdotibus, ut perperam contendit nonnemo. In templo porro Domini cum decenter omnia peracta fuerint, facile eſt conjicere, non

quosvis pſalmos quovis tempore promiſcue decantatos fuiſſe, ſed præfecto muſicorum incubuiſſe curam, ut canerentur ea *ſerie* eaq; ratione, quæ a θεοπνεύστοις illorum auctoribus fuerat conſtituta. Nec dubium eſt, *ordinem* illum ab Eſdra, prophetisque Haggai, Zacharia, & Maleachi, reſtitutum fuiſſe, quamvis jam inter ipſos Judæos oblivioni ſit traditus. Referunt illi tamen, cecinisſe Levitas, dum ſacrificium juge offerebatur, hebdomadis die primo Pſalm. 24, ſecundo Pſalm. 48, tertio Pſalm. 82, quarto Pſalm. 94, quinto Pſalm. 81, ſexto Pſalm. 93 & 91, Sabbato Pſalm. 92, & cum mane alterum ſacrificium fiebat, unum ex ſex membris cantici Moſis ultimi Deut. 32. Sed veſpertini ſacrificii tempore, primum Moſis canticum Exod. 15. Hallel magnum, (incipiens Pſalm. 113. finiensque Pſalm. 118.) non Paſchate ſolum, cum agni mactarentur, ſed & tempore Pentecoſtes in atrio, & feſto tabernaculorum ad ſacrificium juge, nec non ſucceſſu temporis etiam in feſto encæniorum; pſalmos graduum (120---134) in feſto tabernaculorum, poſt ſacrificium veſpertinum; dumque addebantur ſacrificio matutino alia quædam in hoc feſto, die primo Pſalm. 105, ſecundo Pſalm. 29, tertio Pſalm. 50, quarto & quinto Pſalm. 94, ſexto Pſalm. 81. v. 1 --- 6. ſeptimo Pſalm. 82. v. 1 --- 5.; cum primitiarum fiebat oblatio Pſalm. 30; Novilunii primi feſto Pſ. 81; cum offerebatur ſacrificium hoſtiæ pacificæ Pſalm. 100. Cantabant porro interdum aſſa voce, nonnunquam vero inſtrumentorum adhibebant concentum. Varia enim *organa muſica* in Hebræorum ſacris quoque uſitata fuerunt, ſalpinges ſcilicet ſeu tubæ ex argento duæ, quibus tamen ſoli ſacerdotes canebant, cornua, tibiæque ex calamis conſtructæ. His adde κιννύρας ſeu citharas formæ quadratæ, ex Indico ligno electro decorato fabrefactas, decemque chordis inſtructas, nablia ſeu pſalteria ex eadem materia elaborata, quorum minor ſpecies tres, major decem fides habebat, quæ digitis, (non plectro, ut in cithara,) movebantur, cymbala, & migrepha, cujus figura nondum ſatis eſt explicata: nunquam vero hydraulici organi uſus in templum fuit introductus. Muſicam ſacram ſuavem admodum & jucundam fuiſſe, variis Scripturæ dictis probari poteſt, præſertim eam, ubi humanæ voci fidium accedebat concentus, quod illis videtur in pſalmis factum, qui vocem בנגינות in titulo habent. *Genus* quod attinet, diatonicum ſolum Hebræis in uſu fuiſſe probabi-

Digitized by Google

babile eſt, *modos* vero duos, vernaculum ſcilicet, qui Dorico reſpondebat, & peregrinum, a Philiſtinis Githæis mutuo ſumtum, Phrygioque analogum, ad quem reſpiciunt verba על הגתית, quæ in titulis quorundam pſalmorum leguntur. Videtur quoque alius modus notus fuiſſe, a Suſianis inventus, qui per voces על שושנים innuitur. *Vox* vero adhibita fuit vel acuta, qualis puellarum eſſe ſolet, quæque per vocem עלמות indicatur, vel gravis octavæ intervallo infra priorem deſcendens, unde per שמנית denotatur. Cæterum dolendum valde, deperditum plane eſſe divinum pſalmorum *melos*, quod ipſi fatentur Judæi, ſola quippe traditione olim propagatum. Neque enim *accentus metrici* ſignificaſſe videntur tonos, ſed inſerviiſſe potius diſtinctæ pronunciationi, & temporibus ſyllabarum rite obſervandis. Id autem quoq; decus addebat Hebræorum Muſicæ, quod cantus alternis peragebatur, quodque interſtinguebatur ſonitu tubarum, cum nimirum, ſi Rabbinis fides, ſinguli pſalmi in tres partes, ut pauſæ locus eſſet, diviſi fuerint; quod partem quandoque unam aſſa voce recitabant, aliam vero canebant additis organis, quodque nonnunquam in parte quadam melos ipſum mutabant, ubi ſcil. vox *Selah* occurrit, quam per διάψαλμα LXX interpretati ſunt. Eam vocem adhortandi tubicines vim habuiſſe putat doctiſſimus Auctor, ut ſolito intenſiorem tubis ſonum ederent, & hoc pacto Auditores ad majorem rerum decantatarum meditationem excitarent, nullumque ſignificatum eſſe aptiorem, ad conciliandas varias interpretum de hoc vocabulo ſententias.

NOVA BIBLIOTHECA AVTORVM ECCLESIAſticorum, autore L. Ellies du Pin ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctore Sorbonico & Philoſophiæ Profeſſore Regio.

TOMVS I.

Coloniæ Agrippinæ, ſumptibus Huguetanorum A. 1692, in 4. Conſtat alph. 2. & plag. 18.

Bibliothecæ hujus eccleſiaſticæ plures tomi ſunt, e quibus nunc primum recenſere ſufficiat. Prodiit is primum Galliee, quæ vernacula Autoris lingua eſt, Pariſiis apud Andream Pralar-

dum A. C. 1686, & paulo poſt ſecundis curis emendatior & auctior. Alteram iſtam editionem Gallicam Huguetani in Belgio A. C. 1690 recudi, & anno proxime elapſo 1692 in Latinum ſermonem verti curarunt. Præfatio Autoris bipartita eſt. In priori parte recenſet Autores, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, veteres & recentiores, ſive Romanæ eccleſiæ addictos, quos Catholicos vocat, ſive ab eadem ſeparatos, quos Hæreticos appellat, & in iis, quæ ad Criticam ſpectant, nonnunquam ipſis Catholicis perſpicaciores fuiſſe profitetur. Obſervat autem, ex tot operibus, quæ in referendis Autoribus eccleſiaſticis occupantur, alia vix quicquam præter Autorum nomina & catalogum exhibere, alia tantum eorum vitam enarrare, alia circa ſuppoſititiorum operum cenſuram ſolum verſari; unum eſſe *Photium* inter antiquos, qui librorum a ſe recenſitorum argumenta lectoribus breviter exhibeat, & judicium nonnunquam de iis ferat; ex recentioribus unum eſſe *Sculletum*, qui Patrum doctrinam in compendium redegerit. In quo tamen deſiderat, quod de vita & rebus geſtis Patrum, quos in Medulla ſua ſiſtit, pauca referat, nec ultra quartum ſeculum progreſſus fuerit, & præterea ſcholaſtico ac proinde ſpinoſo ac minus jucundo modo procedat. *Halloixii* autem opus, præterquam quod pauci ſcriptores in eo referantur, minus accuratum, rebusque falſis & inutilibus refertum eſſe judicat. Atque his cauſis ſe impulſum ait, ut de nova Autorum eccleſiaſticorum bibliotheca cogitaret, quæ & eorum vitas enarraret, & operum ab illis editorum cenſuram, rerumque illis contentarum compendium exhiberet, & præterea de eorundem ſtylo & doctrina judicium, & variarum editionum enumerationem ſubjiceret. In poſteriori præfationis parte inſtituti ſui rationem ulterius exponit. In vitis Autorum referendis ſe imprimis ad eas circumſtantias attendiſſe ſcribit, quæ illorum monumentis eo felicius aſſequendis inſervire poſſunt. Cauſas cur chronologiam operum a Patribus editorum diligenter notaverit, & characteres, quibus eorum tempus & ordo dignoſci poſſunt, breviter adducit. In catalogo operum ſe etiam deperditorum rationem habuiſſe, ideoque & illos ſcriptores, quorum opus nullum integrum ad nos pervenit, recenſuiſſe monet. In librorum argumentis referendis ſe brevitati quidem ſtuduiſſe, nihil tamen, quod alicujus momenti eſſet, temere neglexiſſe,

& præ-

& præcipua circa doctrinam vel mores & disciplinam diligenter notasse, ac de Autorum ingenio, stylo ac doctrina moderate quidem, libere tamen & attente judicasse, & varias denique editiones diligenter indagasse, scribit. In notis, quas ad calcem singulorum Autorum attexuit, id se agere notat, ut quæ obscurius dicta vel dubia videri poterant, explicet & confirmet. Postea de Critica disserit, cujus necessitatem inde probat, quod partim hæreticorum malitia, partim pius catholicorum dolus, partim librariorum & typographorum imperitia vel astutia, multa spuria pro genuinis, fabulas pro historiis, & nova pro antiquis venditaverint, quæ quibus criteriis a se invicem discerni possint ac debeant ostendit. Tandem cum nonnullos maluisse cognoverit, ut opus hoc Latine edidisset, cum ægre tulerint, quod vernacula lingua scripta sint, quorum cognitio solum ad Theologos, nec ad fœminas aliosque plebejos pertineat, illis respondet, Patres lingua omnibus vernacula scripsisse, & nos eo seculo degere, quo magna pars Patrum non mediocri cum applausu in alias linguas translata fuerit. Cæteris autem, qui propterea opus hoc Latine legi cupiunt, quod Latina apud exteros latius spargunter, Latina versione se aliquando satisfacturum spondet. Quod consilium prævertit, quisquis Latinæ hujus versionis Autor est. Nam ab ipso Dupinio eam profectam esse ob multas, quas adducere nihil attinet, rationes dubitamus.

Antequam ad Scriptores ecclesiasticos accedat, *dissertatione præliminari de libris biblicis* agit, ac imprimis eos refutat, qui Pentateuchi libros a Mose scriptos negant, in quorum numero etiam *Simonium* reponit. Quamvis enim in prima editione eum nominatim non expressisset, sed Aben Esram tantum cum Spinosa, Hobbesio & Peyrerio allegasset, postea tamen ex quo Simonius in epistola ad D. Labbe D. & P. Theologiæ dissertationem suam præliminarem perstrinxisset, cujus rei in Actis nostris A. 1687 mens. Jul. p. 369. mentionem fecimus, nomini ejus ultra parcere non sustinuit. Adducit igitur Simonii sententiam, qui contendit, ea tantum, quæ ad legem & cerimonias spectant, a Mose scripta esse, cætera autem Pentateuchi a publicis librariis collecta fuisse, & nihilominus totum Pentateuchum Mosi tribui posse, cum Mosis tempore ejusque mandato a publicis librariis ista collecta fuerint. Regerit Pinius, Pentateuchum

teuchum Moſis dici commode non poſſe, ſi Moſes legem tantum & præcepta Pentateucho contenta ſcripſerit, tota autem Geneſis aliaque hiſtorica a librariis collecta fuerint, cum ridiculum foret Regibus ac Principibus omnia publica acta tribuere, quæ ipſorum tempore eorumque mandato facta ſunt. Imprimis illud urget, quod vel ipſe Simonius, vel ſaltem aliquis ex ejus diſcipulis agnoverit, nullis argumentis probari poſſe, quod Moſis tempore publici hujusmodi librarii divino Spiritu afflati fuerint. Ad objectiones eorum, qui Pentateuchum a Moſe ſcriptum negant, reſpondet, argumenta illa id ſolum evincere, quod nonnunquam urbium aut alia quædam nomina ſublata, aliaque quæ ſucceſſu temporis obtinuerunt, majoris perſpicuitatis cauſa in eorum locum ſubſtituta fuerint, aut quod nonnunquam explicationis aut hiſtoriæ ſupplendæ cauſa addita quædam a recentioribus fuerint; quod etiam in Homeri, Herodoti aliorumque veterum Hiſtoricorum indubitatis monumentis factum eſſe dicit. Neque tamen reſponſionem hanc neceſſariam eſſe exiſtimat, cum alia ſuppetant, quibus rationes illæ diſſolvi poſſint. Speciales reſponſiones ad ſingula argumenta recenſere nimis longum foret. Ex his reſponſio ad decimum argumentum directa eſt contra Simonium, & in poſterioribus editionibus longius excurrit, ut vindicentur, quæ adverſus priorem editionem a Simonio notata fuerant. Reſponſioni ad objectionem undecimam, quæ iterum Simonium tangit, ſubjicitur brevis refutatio Autoris Pentateuchum Sacerdoti Iſraëlitico tribuentis, qui ad Judæos docendos Babylone miſſus fuerat. De libro Jobi Pinius noſter cenſet, quod ex ſermonibus, qui Diabolo tribuuntur, nec non ex longis amicorum Jobi & ipſius Jobi orationibus conſtet, hanc hiſtoriam pluribus fictis narrationibus amplificatam eſſe, ut lectio jucundior ac utilior eſſet. Illud enim tantum in hiſtoria Jobi verum eſſe dicit, quod Jobus ad extremam miſeriam redactus hanc fortunam æquo animo tulerit, ac tandem proſpera fortuna iterum potitus fuerit, & ex hoc eventu aliquem occaſionem arripuiſſe ait, ſermones amicorum Jobi cum ejusdem reſponſis aliaque fingendi. Leviſſimis conjecturis eos niti probat, qui librum Eſaiæ, quem nunc habemus, tantum collectionem eſſe ex Eſaiæ operibus erutam contendunt. Quid de cæteris libris Biblicis eorumque Autoribus ſtatuat, referre ſuperſedemus.

De

Digitized by Google

De Canone librorum veteris Teſtamenti agens, qualis Judæorum & veterum Chriſtianorum canon fuerit, exponit. Deinde de ſingulis libris agit, quorum canonica autoritas controverſa eſt. Nobis vero ſufficiat ea tantum breviter excerpere, quæ de libro Judith differit. Agnoſcit eum in omnibus antiquis librorum canonicorum catalogis omitti, & nequaquam probabile eſſe dicit, quod alicubi Hieronymus ex aliena fide aſſerit, nempe Synodum Nicænam hunc librum in numero ſanctarum Scripturarum legi computaſſe. Improbabile inquam hoc Pinio videtur, cum in ſymbolo, canonibus & epiſtolis Nicænæ Synodi nihil tale legatur, neque Athanaſius & alii, quibus decreta Synodi Nicænæ ignota non fuerunt, ullam ejus rei mentionem faciant, & ipſe Hieronymus hunc librum toties ut apocryphum rejiciat, quod facturus non fuiſſet, ſi librum hunc a Patribus Nicænis inter canoniços relatum credidiſſet. Obſervat præterea, definitiones concilii Carthaginenſis & Romani, quibus liber Judith aliique ejus generis inter canonicos recenſentur, non ab omnibus eccleſiis approbatas fuiſſe, uſque dum Synodi Tridentinæ decreto id definitum eſſet. Sic enim p. 43. legendum eſt, etſi ibi pro Tridentina, Nicæna ſubſtituatur, quod inter errata reponendum eſſe quilibet videt, cum in concilio Nicæno confirmari non potuerit, quod in Carthaginenſi & Romano Gelaſii definitum fuit, ſiquidem Nicænum illis antiquius fuiſſe conſtat, & ipſe Pinius paulo ante faſſus eſt, concilium Nicænum de canone Scripturæ non tractaſſe. Eſt autem error ille non Autoris, ſed interpretis, cum in Gallicis exemplaribus prioris pariter & poſterioris editionis legatur: *concile de Trente*. De libris, qui paſſim in Veteri Teſtamento allegantur, nec tamen hodie ſuperſunt, Autor ſtatuit, eos canonicis annumerandos non eſſe, cum juxta Auguſtinum, non omnes libri a Prophetis ſcripti divinitus inſpirati ſint. Agit etiam de libris, quos Adamo, Henocho aliisque Patriarchis hæretici aliique maleferiati homines ſuppoſuerunt, nec non de duobus Novi Teſtamenti locis, quæ ex Scriptura veteris Teſtamenti allegantur, nec tamen extare ibi videntur. Prior locus eſt Matth. II, 23. Poſterior Matth. XXVII, 19. In utriusque loci expoſitione Hieronymi ſententiam amplectitur, eamque cæteris quas adducit probabiliorem arbitratur. Poſt hanc de libris canonicis & apocryphis Veteris Teſtamenti tractatio-

nem de textu Hebraico & versionibus Veteris Testamenti, nec non de Josepho, Philone aliisque Scriptoribus, quorum opera ad Veteris Testamenti historiam faciunt, disserit, ac tandem etiam de libris Novi Testamenti eorumque autoribus & canonica eorundem autoritate agit. Verum de præliminari dissertatione hæc sufficiant.

Ipsam Bibliothecam ecclesiasticorum Autorum referaturus, & primo hoc volumine primi, secundi & tertii seculi Scriptores eorumque vitas & monumenta recensiturus, incipit a mutuis *Christi & Abgari Regis Edessæni literis*, quas non minus fictitias esse censet, quam epistolas Mariæ, & alia quædam Apostolis afficta. Contra *Barnabæ epistolam* genuinam esse censet, nec obstare huic sententiæ, quod in canonem N. T. recepta non fuerit, aut quod ineptæ quædam Scripturæ allegationes aliaque minus accurata & solida in ea compareant, cum non obstantibus his argumentis Clemens Alexandrinus, Origenes & alii Apostolicæ ætati proximi hanc epistolam Barnabæ tribuere veriti haut fuerint. *Liturgias*, quæ ab Apostolis quibusdam & Evangelistis scriptæ dicuntur, pseudepigraphas esse probat, cum missam prioribus seculis sine tali cerimoniarum apparatu, qualis postea accessit, celebratam esse constet. Qua generali assertione præmissa, rationes adducit speciales, quæ contra liturgias Petri, Matthæi, Marci & Jacobi militant, earumque defensionem a Viris quibusdam doctis frustra suscipi observat. De *symbolo Apostolorum* merito dubitari posse judicat, utrum illius componendi causa Apostoli coierint, & illud iisdem verbis, quibus in Romana ecclesia recitatur, conceperint; etsi dubitandum minime sit, quin doctrina Apostolorum hoc symbolo contineatur. Cum autem hæc assertio communi Pontificiorum sententiæ repugnet, haud novum esse dicit, in quæstionibus criticis a vulgari opinione dissentire, & doctorum virorum, etsi cæteroquin suspecti sint, sententiam amplecti; quemadmodum hodie inter plerosq; conveniat, constitutiones Apostolicas & canones Apostolorum Apostolis supponi, etsi ante Erasmum nemo ferme de illis dubitaverit. A symbolo ad *canones Apostolorum* progrediens Albaspinæi sententiam sequitur, & ab ipsis quidem Apostolis scriptos negat, antiquissimos tamen & e variis conciliis ante Nicænum habitis collectos affirmat. *Constitutiones* autem *Apostolicas* ab impostore quodam scriptas asserit, qui Apostolis universis & singulis plura decreta

Aposto-

Digitized by Google

Apoſtolicæ ætati minus congrua affinxerit. Haud minus pſeudepigraphis annumerat libros *Lino, Prochoro, Abdiæ Babylonio, & Presbyteris Achajæ* tributos. Nec religioni Chriſtianæ quicquam decedere exiſtimat, ſi quis *libros Sibyllinos*, & *Mercurii Trismegiſti*, nec non *Lentuli* & *Pilati* de Chriſto epiſtolas, item mutuas *Pauli & Senecæ* literas, & *Joſephi de Chriſto teſtimonium* ſuppoſitionis arguat. *Hermæ* librum tanti hodie non fieri obſervat, quanti olim æſtimatus fuit. *Clementis Romani ad Corinthios epiſtolam*, poſt ſacrum Codicem, pulcherrimum antiquitatis monumentum eſſe pronunciat. Poſterioris ad Corinthios epiſtolæ fragmentum non pari certitudine Clementi attribui poſſe docet. Cætera autem, quæ ſub Clementis Romani nomine feruntur, opera ſpuria eſſe minime dubitat. *Dionyſium Areopagitam* diverſum eſſe a Dionyſio Gallorum Apoſtolo, tam perſpicuum eſſe dicit, ut hodie nemo ferme de eo dubitet. Neque minus certum ipſi eſt, falſo titulo ſuperbire monumenta, quæ Dionyſii Areopagitæ nomine jactantur. Ex *Ignatii epiſtolis* ſeptem tantum genuinas, & ex variis earundem editionibus eas tantum ſinceras eſſe judicat, quas Uſſerii & Voſſii diligentiæ debemus. *Polycarpi epiſtolam* ad Philippenſes legitimum eſſe ſancti hujus Præſulis fœtum, nec diſſentientes juſtam dubitandi cauſam habere probat. Inſtituti noſtri ratio non patitur, ut cæteros quoque ſcriptores eccleſiaſticos, de quibus hoc volumine agitur, & quid de ſingulis Autor ſenſerit, recenſeamus. Quare hæc ſpeciminis loco adduxiſſe ſufficiat.

Ad calcem hujus voluminis agitur primum de conciliis, quæ per hoc trium ſeculorum ſpatium habita fuerunt, nec non de decretalibus epiſtolis Pontificum, qui ante Siricium Romanæ eccleſiæ præfuerunt, quas ab impoſtore quodam ſub eorum nomine confictas eſſe prolixe demonſtratur. Subjicitur etiam compendium quoddam doctrinæ, diſciplinæ & morum, qui in primitiva eccleſia viguerunt, cum indice chronologico aliisq; tabulis & indicibus. In compendio doctrinæ inter alia obſervatur, quod nonnulli errores in primitiva eccleſia veræ doctrinæ admiſti fuerint, qui non tanquam doctrina eccleſiæ, ſed tanquam vulgatæ opiniones conſiderari debeant. Notatur etiam, Patres quosdam ante natas hæreſes incaute locutos, ut cum Verbum in principio mundi genitum dixerunt, aut cum illud portionem de Patris ſubſtantia dixerunt. Qui loquendi modi quo-

modo ex Patrum mente intelligi debeant, oſtenditur. De ſtatu poſt mortem ita Patres ſtatuiſſe Pinius aſſerit, quod ante judicii diem animæ non omnino beatæ vel miſeræ ſint, etſi interim vel pœnis afficiantur, vel quieſcant, prout bene vel male in corporibus egerunt. Notat poſt Papiam omnes chiliaſmo addictos fuiſſe, neque tamen hanc opinionem ut fidei dogma propoſuiſſe; aſſumtionem Mariæ hac ætate incognitam fuiſſe, nihilque vel pro illa vel contra illam apud ſcriptores trium primorum ſeculorum inveniri; nullos alios Veteris Teſtamenti libros pro canonicis agnitos fuiſſe, quam qui in Hebræorum canone reperiuntur, ut cætera mittamus. Diſciplinam ſimpliciſſimam fuiſſe animadvertit; imagines, cruces, accenſos cereos, aliaque hujusmodi uſitata non fuiſſe; Epiſcopos pro certo habuiſſe, quod epiſcopatum ſuum a Chriſto immediate acceperint; eccleſiam Romanam pro prima agnitam, neque tamen ejus Epiſcopum pro infallibili agnitum fuiſſe.

Cæterum in Actis noſtris menſe Jun. 1690. p. 312. notavimus, quod Ellies du Pin inter eruditos, qui Tertulliani librum de pallio commentariis ſuis illuſtrarunt, perperam *Marſilium Ficinum* retulerit. Id in prima editione hujus Bibliothecæ factum eſt. Nam in ſequentibus, quas tum nobis nondum videre licuerat, errorem illum correctum, & pro Marſilio Ficino, Theodorum Marcilium repoſitum deprehendimus. Nec dubitamus, quin plura ejusmodi errata in poſterioribus editionibus ſublata fuerint. Fatendum tamen eſt, etiam in poſterioribus editionibus nonnulla ſupereſſe, quæ emendatione indigent, e. g. cum p. 78. aſſeritur, librum quendam extitiſſe inſcriptum *Polycarpi doctrina*, quæ a Maximo, Beda, Adone, Uſuardo, Metaphraſte, Pachymere, Honorio, & Nicephoro Calliſto citetur; cum tamen hi Autores non Polycarpi διδαχὴν ſeu doctrinam, ſed ejusdem epiſtolam ad Philippenſes memoraverint. Verum de erratis hujus Bibliothecæ plura forte dicendi locus erit, cum ad manus noſtras venerint annotationes ad primum hujus Bibliothecæ tomum, quas Pariſiis haut ita pridem a quodam Autoris adverſario editas fuiſſe, ex ephemeridibus Gallicis didicimus. Interim magnam Autoris in verſandis ſcriptoribus eccleſiaſticis diligentiam laudamus, utque hoc opus continuare illi liceat, optamus.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA ET NECESSITAS REFORMATIONIS Evangelicæ per B. Lutherum inſtitutæ, ex ſcriptis Dn. Georgii, Principis Anhaltini &c. oppido raris dilucide expoſita & valide aſſerta, nec non gravisſimis inſignium in Gallia Virorum teſtimoniis munita. Accedit commemorabilis narratio de converſione ad ſalutarem Aug. Conf. doctrinam Antonii Albizii, Nobilis Florentini, ſtudio Eliæ Veielii, Th. D.

Ulmæ, ſumtibus Georgii Wilhelmi Kühnii, 1692. in 4.
Conſtat Alph. 2. & plag. 13.

SCripto huic, quod Auctor maxime Reverendus ad id ſcriptionis genus aggregari cupit, quo Teſtes veritatis, Confeſſiones Catholicæ, Auguſtinianæ, Bellarminianæ, Launoyanæ in theatrum orbis eruditi fuerunt productæ, occaſionem dederunt admodum frequentatæ hactenus Theologorum partis Pontificiæ, Gallorum imprimis, de Reformatione B. Lutheri querelæ, quos inter Arnaldum, Jo. Leonh. de Fenis, Brueyſium, Ferrandum, Peliſſonium, & alios quosdam anonymos ipſi præ reliquis nominare placuit. His igitur, & iniquis eorum accuſationibus, pietate pariter ac eruditione Illuſtriſsimum Principem ac Dominum, Dn. Georgium Anhaltinum opponendum duxit, quem eo ſucceſſu cauſam Reformatorum peroraſſe ſibi perſuadet, ut victas dare manus cogantur omnes, qui non omnem humanitatem & æquitatem ejurarint. Viſum autem fuit doctiſſimo Auctori in Proœmio copioſe de vita ſummi iſtius Principis agere, cujus ſtudia & mores tum ex propriis ejus, tum ex Melanchthonis, Camerarii aliorumque ſcriptis poſteritatis oculis exponere voluit, additis quoque præclariſsimorum virorum de ipſius ſcriptis & concionibus teſtimoniis, ex quibus iſtud Ludovici Com. Pal. Rheni & Ducis Bavariæ, prout iconi Principis Georgii in exemplari Auctoris, ſive propria Ludovici, ſive aliena manu ſubſcriptum legitur, exhiberi dignum habuit: *Quotiescunque ſanctiſſimi hujus Viri ſcripta lego, adeo afficior, & tanta cum admiratione inſignia ejus dona ſuſpicio, ut, ſi a Deo integra mihi optio daretur, non Romanum Imperium magis,*

quam ſimile donum docendi & ſcribendi eligerem. Ipſam porro Hiſtoriam in quinque ſectiones diſpertivit Auctor, quarum prima de corruptis in Papatu fidei articulis; altera de ſuperſtitionibus plurimis in electitiis cultibus; tertia de adiaphoris ceremoniisque temere, ac ſi ad fidem neceſſariæ eſſent, vel obtruſis, vel impugnatis; quarta de cauſis iſtorum malorum abuſuum & corruptelarum; quinta deniq; de Reformatorum ſeceſſione prorſus neceſſaria, Principis hujus teſtimonia complectitur. Quibus ut majus pondus contra modernos Scriptores Gallos accedat, ſub cujusvis articuli finem non contemnenda Scriptorum Gallicorum idem teſtantium ſeges adducitur, Claudii potiſſimum Eſpencæi, Picherelli, Launoyi &c. quin etiam ipſius Regis Ludovici XII. & ſummorum Galliæ procerum ſuffragia, ex Thuano maximam partem depromta in medium producuntur, Hoſpitaliorum puta, Angelorum, Silliorum, Momorantiorum, Bellajorum & aliorum Franciæ Heroum.

Quæ mantiſſæ loco huic libro accedit, de Viri illuſtris Dn. Antonii Albizii, Nobilis Florentini, ad ſalutarem Aug. Conf. doctrinam converſione, narratio, ex MS. Parentatione pie defuncto a D. Jac. Zæmanno, Paſtore Campidonenſi habita, per Auctorem contexta eſt. In ea, poſt memoratum familiæ Albizianæ ſplendorem, poſt enarrata propria Antonio noſtro decora amplisſimosque honores, poſt laudatas præclaras corporis & animi dotes, eruditionem præcipue, quam orbi literario editis A. 1610. & 1617. Auguſtæ Vindel. Regum & Principum Stemmatibus notam fecit, quomodo Evangelicæ tandem veritatis agnitionem reliquis dotibus ſuis adjecerit, exponitur. Nimirum cum Oeniponte A. 1585. verſaretur, quo, ut rationem in aula redderet de curatis per quinquennium vicaria opera publicis rationibus, conceſſerat, divina id procurante providentia, in febrim incidit, cum qua cum per tempus bene longum miſere conflictaretur, per famulum ſibi aliquot V. T. capita quotidie prælegi curavit. Accenſum eſt hac ratione in anima ipſius flagrantiſſimum penitius iſta conſiderandi deſiderium, quod etiam effecit, ut poſtquam Chiuſam, ubi majori fruebatur otio, diſceſſiſſet, ſacrarum literarum ſtudio totum ſe dederit, earumque lectioni ex interpretibus antiquioribus Auguſtinum, Baſilium & alios; e recentioribus Maldonatum, Pererium & Riberam junxerit. Exorta eſt illi, dum hiſce ſtudiis

Digitized by Google

ſtudiis vacaret, Evangelicæ veritatis aurora, unde etiam conſilium cepit, deſertis Pontificiorum caſtris, ad Evangelicam veritatem accedere. Quod poſtquam cum alio quodam Nobili Italo communicaſſet, in Italiam cum eo profectus eſt, ut rebus ſuis apte diſpoſitis, quæ ſemel animo ſancte conceperat, ſine obſtaculo effectui dare poſſet. Et alter ille quidem Nobilis interceptis, quæ conſilium hoc prodebant, literis, ad Inquiſitionis tribunal raptus fuit, meliori tamen fato utente noſtro, utpote qui rebus ſuis feliciter expeditis Oenipontem remeavit; unde tamen poſt biennium demum, cum Archiducem Maximilianum Conſiliariis non niſi Romanenſibus uti velle videret, Auguſtam Vindelicorum diſceſſit. Qua poſt contractam cum Marco Velſero amicitiam iterum relicta, Campidonum denique ſe contulit, ubi per integrum vicennium pietate & eruditione ſpectata claruit, quam etiam, edito ibi A. 1616. de Principiis Religionis Chriſtianæ tractatu, nec non exercitationibus Theologicis publice notam fecit. Ceterum tantæ fuit in ſemel agnita veritate retinenda conſtantiæ, ut nihil aureis ſuis promiſſionibus Pontificii, nihil agnati & familiares in Italia lacrymis ſuis obtinere poſſent. Nec plus etiam minæ Romani Pontificis apud eum impetraturæ fuiſſent. Licet enim citatio ad ſacrum iſtud Inquiſitionis tribunal paucos ante mortem ejus dies in vicinia publicata, & in locis illuſtrioribus affixa ad notitiam ejus non pervenerit, ea tamen jamjam Chriſtianæ fortitudinis ediderat ſpecimina, ut de ejus conſtantia non niſi bene ſperare, quin certo etiam pronunciare liceret.

Chriſtian Weiſens Freymüthiger und höfflicher Redner/ das iſt/ ausführliche Gedancken von der PRONUNCIATION und ACTION;

hoc eſt:

CHRISTIANI VVEISII ORATOR PARRHESIA & civilitate ſe commendans: hoc eſt, Meditationes exactiores de Pronunciatione & Actione Oratoris.

Lipſiæ, ſumtibus Jo. Friderici Gleditſchii, 1693. in 12.

Conſtat plag. 45.

Quando-

QUam temporis, omnia conſumentis, ac rebus etiam pulcherrimis decorem ſurripientis, iniquitatem viri ex omni antiquitate inſignes experti ſunt, ipſorum ut opera cedro non raro digniſſima, lacera multisque in locis peſſime mulctata ad nos pervenerint; ea quoque magnam valde partem de cultiſſimi Romani equitis, *Titi Petronii Arbitri*, elegantiſſimo *Satyrico* invidit nobis atque ſubtraxit; utpote cujus ſcitiſſimi opuſculi laceras admodum atque male cohærentes poſſidemus ſaltem reliquias. Et fuit profecto *Petronius*, ut nunc tantiſper a liberiori petulantis oris ipſius nequitia abeamus, exquiſitiſſimi leporis, & cujus absque controverſia multa ſunt eleganter atque venuſte excogitata. Quamvis enim in eo non conveniant eruditionis principes, num hic ipſe ſit *Petronius*, qui tempore Neronis, hujus *in elegantia* Imperatoris *arbiter* fuit, *dum nihil ille amœnum ac molle affluentia putabat, niſi quod ei Petronius approbaviſſet;* & cujus vitam atque ultima fata *Cornelius Tacitus Annal. Lib. XVI. cap. XVIII.* deſcripta exhibet: in eam tamen doctiſſimi quique concedunt ſententiam, eum Domitiani utique tempora præceſſiſſe, atque adeo ſeculo Latini eloquii ſic ſatis adhuc florentis vixiſſe. Non ignoramus interim, quid eruditiſſimus Gallorum *Petrus Daniel Huetius*, in commentatione de *Origine fabularum Romanenſium* de *Petronio* judicet, quem *ſummum* quidem *Criticum, & ſagaciſſimi in re literaria judicii* fuiſſe affirmat; *huic tamen ſagacitati ſtylum non ſatis reſpondere* cenſet. *Hic aliquam ſe prodere affectationem: nimiis ipſum pigmentis, nimia abundare diligentia, & jam ab illa naturali ac venerabili felicium Auguſti temporum ſimplicitate degenerare: & quisquis animo affectuum vacuo ad omnia attenderit, eum certe in rebus atque verbis juſtam & aptam concinnitatem non ubique reperturum.* Sed quomodocunque iſta ſe res habeat, quemadmodum hominum ſunt ingenia, ut iis potius, quæ abſunt, votis atque deſideriis inhient, quam ut præſentibus, & quæ in promtu ſunt, acquieſcant, animoque contento fruantur; ita a renatis ſtatim Muſis multam Viri docti adhibuerunt induſtriam, ut Petronianis vulneribus remedium afferrent, repletis, quæ hinc inde conſpiciuntur, lacunis. Et increbuerat quidem ſuperiori jam ſeculo fama, *Muretum* poſſidere Satyricon hoc plenius multo & locupletius; ſed ea poſtmodum falſa reperta eſt. Tam felici vero noſtro huic licuit eſſe ſeculo,

Digitized by Google

culo, ut multorum ex opinione primum certa Satyrici pars, mox reliqua, quæ desiderabantur fragmenta, magnam partem inventa fuerint. Ita enim constat, anno seculi sexagesimo quarto insigne ejus apospasmatium Tragurii apud Dalmatas in Bibliotheca Cippicorum inventum esse, quod *Paulus Frambottus*, Typographus Patavinus, mox typis exscripsit, quem secutus in Suecia Vir eruditissimus, *Jo. Schefferus* idem adjectis notis necessariis, dissertationeque de vero ejus auctore curiose instructum, recudi fecit; post quem celeberrimus Polyhistor, *Thomas Reinesius*, anno sexagesimo sexto cum epicrisi & scholiis, hic illud Lipsiæ edidit. Quamvis vero non in Germania tantum, clarissimus *Wagenseilius*, sed in Gallia etiam doctissimus *Valesius* fœtus hujus ingenuitatem in dubium vocatam impugnaverint, non defuerunt tamen ex parte contraria viri omni doctrina excultissimi, qui licet interpolata quædam a manu barbara & inferta esse non negarent, nonnulla tamen lineamenta ductusque parentem Petronium referentes agnoscere in eodem sibi visi sunt, quales inter Germanos nostros *Daniel Georgius Morhofius* de *Patavinitate Livii*, & inter Italos *Val. Chimentellius* in *Marmore Pisano de Honore Bisollii* exiterunt. Sed ea demum nostrorum temporum felicitas est, ut Satyricum hoc integrum nullaque sui parte deminutum evolvi nunc possit. Quæ enim in *Novis literariis* anno *nonagesimo primo mense April. pag. 199.* fragmenta Petronii reperta esse diximus, ea nunc hoc ipso anno cum universa Republica literaria a doctissimo *Nodotio* communicata sunt. Hic nimirum Lycæ Tryphænæque integra historia legitur: hic referuntur causæ mutui eos inter, Encolpium Gitonaque, odii: hic narratur furtum in navi Isidis perpetratum: hic quis ille Lycurgus? ejusque cur villa direpta & spoliata sit? quibusque legibus in navi Lycæ pax constituta sit? exponitur: hic videas denique, quo fato miser ille Eumolpus, Crotoniotarum sumtibus tam diu, tamque laute habitus, interierit? Sed quomodo thesaurus iste in manus *Nodotii* inciderit, quod sine dubio Lector istiusmodi rerum curiosus cognoscere peroptabit, ex relatione ipsius *Nodotii ad Franciscum Carpentarium* succinctius paulo recensebimus. Cum igitur ipse accepisset a Dynasta Germano, Dominum *du Pin* e Nobiliatte Gallica, in Imperatorio exercitu adversus Turcas stipendia facientem, isthæc possidere fragmenta, nihil non se egisse narrat, ut sibi eun-

dem conciliaret codicisque manuſcripti compos fieret. Cum vero iſte loco remotiſſimo verſaretur apud hoſtes, literis tandem ipſum interpretibus adiiſſe, quibus quidem vir ille militaris quam humaniſſime reſponderit, referens, hoc ſe manuſcripto donatum ab apoſtata Græco, apud quem in Albæ Græcæ expugnatione hoſpitii cauſa divertiſſet. Cum enim librum hunc inter complures alios jacentem deprehendiſſet, ejus vetuſtatem primo demiratum, mox curioſitate, quis ille ſit, penitius cognoſcendi ductum fuiſſe, & ope demum amanuenſis cujuspiam, Petronium ſibi præ manibus eſſe, cognoviſſe. Inde ſtatim transſcribendum alicui dediſſe, & nunc veluti ingentis pretii rem penes ſe aſſervare; quem tamen lubentiſſime cum *Nodotio* velit communicare, ſi ſe Francofurti in hybernis convenire vellet. Sed cum commeatum eo *Nodotius*, vir itidem caſtra ſecutus, impetrare non potuiſſet, per mercatorem demum Francofurtenſem, virum admodum ſolertem, ita cum amanuenſi illo egiſſe, ut numerata haud ſpernenda argenti ſumma, eo, quod tanto ardore cupiverit, feliciter potitus ſit. Quo quidem theſauro tantopere nunc exultat atque triumphat *Nodotius*, ut ſecurus etiam ſit, Criticos, quos ſupercilioſam gentem vocat, haudquaquam legitimos hoſce fœtus repudiaturos eſſe, cum ejusmodi aliquid audentes, & par ubique ſtyli puritas ac elegantia, tum ubique Petroniana dictio planeque ſibi conſtans, falſi protinus arguere poſſit. Quæ ipſa tamen ſpes numquid non deceptura *Nodotium* ſit, dies ulterior docturus eſt. Sane prima ſtatim Satyrici verba ex fragmentis repoſita: *jam dudum quæ mihi acciderunt vobis ita narrare pollicitus ſum, ut hodie promiſſis ſtare decreverim*, neſcio quid ſapere forte nonnullis videbuntur, quod a purioris illa Latinitatis indole aliquantiſper divertat. Ita occurrere hinc inde animadvertas, quæ non nihil ex moribus ſeculi recentioribus, & idiotiſmis *Nodotii* civibus familiaribus trahunt coloris. Sed hac de re, quorum hoc munus eſt, per nos pronuncient amplius atque arbitrentur, licebit.

HISTOIRE DE GVILLAVME III. PAR MEDAILLES &c.

h. e. HI-

Digitized by Google

h. e.

HISTORIA WILHELMI III. NUMISMATIBUS, Inſcriptionibus, Arcubus Triumphalibus, aliisque monumentis publicis illuſtrata a NICOLAO CHEVALIER.

Amſtelodami 1692, in folio. Conſtat 2 ½ alph. multisque figuris æneis.

CUm in deſcribendis rebus geſtis WILHELMI III. Magnæ Britanniæ Regis hactenus occupati fuerint multi, integram incomparabilis hujus Herois hiſtoriam condere, numismatibusque ac monumentis aliis illuſtrare conſtituit Autor: laudabili prorſus conſilio, cum hac ratione & æternitati nummorum ipſorum, qui toties deſcripti perire neſciunt; & inſimul inopiæ Eruditorum, quibus rara hæc atque cara ſupellex levi pretio comparari nunc poteſt, conſultum ſit.

Ita vero in conſcribendo hoc opere ſe geſſit Autor, ut in colligendis & ordinandis numismatibus, *Claudii Franciſci Meneſtrerii* e S.J. qui A. 1689 Hiſtoriam Ludovici Magni numis itidem aliisque monumentis publicis illuſtratam Pariſiis edidit, ſtudium exæquarit; in illis interpretandis autem longiſſime ſuperarit. Nam ab anno 1650, quo natus eſt WILHELMUS, usque ad annum 1691, quo in ordinem redacta eſt Hibernia, omnia quæ in Hollandia terra marique memoratu digna geſta ſunt, juſto ordine, verbis prolixis, & ut fieri amat in Republica libera, ſtylo ſatis libero, ita perſecutus eſt, ut dum Hiſtoria Wilhelmi III. inſcribitur, ſimul præſentis, & ſuperiorum bellorum cum Anglis & Gallis geſtorum Hiſtoria dici mereatur.

Facile id conſtabit unicuique, ſi potiora hujus Hiſtoriæ capita brevisſime indicaverimus. Deſcribitur autem in hoc libro nativitas Principis Wilhelmi p. 1. Irrita Patris ejus conamina contra Amſtelodamum p. 3. Bellum cum Cromvvello geſtum p. 5. Educatio Wilhelmi p. 7. Homagium ab Arauſionenſibus anno 1665. die 6. Maji Wilhelmo præſtitum p. 11. Combuſtio navium Anglicarum prope Chattam p. 13. Pax Bredæ A. 1667. concluſa p. 14. Fœdus Trinum p. 14. Reſtitutio Principis in dignitates avitas p. 17. Bellum Gallicum A. 1672.

Digitized by Google

inchoatum p.19. Laniena fratrum de Wit p.25. Recuperatio Covordiæ p. 27. Expugnatio Trajecti ad Mosam p. 30. Obsidio Graviæ p.39. Frustranea Trajecti obsidio p. 43. Mors Ryteri Archithalassi p.44. Sponsalia Wilhelmi p. 46. Fuga Gallorum ex Sicilia p. 49. Pax Neomagensis p. 52. Camera Reunionis, quam vocabant Galli, Metis instituta p. 53. Induciæ vicennales cum Gallis A. 1684. pactæ p. 53. Persecutio Hugonottarum p. 55. Principatus Arausicanus a Gallis A. 1685. occupatus. p. 56. Persecutio Waldensium p. 56. Mors Caroli II. Angliæ Regis p. 58. Eversio legum Anglicarum p. 58. Incarceratio Episcoporum p. 60. Nativitas sic dicti Principis Walliæ p. 64. Controversia de Franchitia seu Libertate Quarteriorum p. 68. Postulatio Electoris Colonienſis p. 69. Adventus Wilhelmi in Angliam p. 71. Fuga Jacobi Regis p. 79. Coronatio Wilhelmi & Mariæ p. 91. & seqq. Declaratio belli contra Galliam p. 121. Obsidio & liberatio Londino-Deriæ p.122. Expugnatio Bonnæ & Moguntiæ p.124. Mors Ducis Lotharingici p. 129. Prælium ad Floriacum p. 130. Prælium navale A.1690. commissum p.130. Belgradum a Turcis expugnatum p. 133. Victoria Wilhelmi in Hibernia p. 139. Mors Schombergii p. 143. Obsidio frustranea Limmerici p. 152. Periculum Wilhelmi Fretum Britannicum trajicientis p. 157. Conventus Principum Hagæ Comitum 1690. celebratus p. 161. Expugnatio Athlonæ p. 223. Prælium in Hibernia prope Agrim p. 224. Obsidio Montium Hannoniæ p. 217. Irrita Leodii oppugnatio p. 218. Expugnatio Limerici 1691. quæ cum finierit Bellum Hibernicum, simul finit Libri hujus Historiam.

Hæc sunt hujus libri contenta. Occurrent autem legentibus singularia, & notatu non indigna specialia, e quibus tamen brevitatis studio, non nisi memorabile illud prodigium, quod Wilhelmo 23. ante coronationem annis coronam prædixit, attingemus. Mittebatur nimirum anno 1665. Dominus de Zuylichem, qui nomine Wilhelmi, homagium exigeret ab Arausionensibus. Cum igitur die 6. Maji confluerent cives, in nubibus conspiciebatur corona, quæ sensim demissa, throno in honorem Principis extructo, spectante & obstupescente civium turba superimminebat: Refert hæc Autor p. 11. ubi simul adjicit Epigramma, quod ipse Legatus de Zuylichem in miraculi hujus memoriam composuit:

Dum

Digitized by Google

Dum ſtat Arauſiacæ confirmatura Coronæ
Antiquam populi læta Corona fidem;
Non dubie cælo placuit, quod utrique Coronæ
Tertia, de cælo miſſa, coronat opus.

E Numismatibus, quorum 127. elegantiſſime exprimi curavit Autor, unicum itidem, ſpeciminis loco, huc transſcribemus, quod pag. 113. exhibetur. In ejus altera parte effigies Principis comparet, inſcriptis verbis: *Guilielmus III. D. G. Mag. Brit. Franc. & Hib. Rex.* In altera hæc leguntur: *Amor Batavæ gentis & Britannicæ, orbis propinqui terror, Europæ ſtupor, adſertor æqui, juris adſertor Dei, Henricus hic eſt Guilhelmus, Inclytus Regum ille ſanguis, ſanguis ille Cæſarum, nullo ipſe Regum, Cæſarum nullo minor.*

NOVA LITERARIA.

ROmæ typis Collegii de Propaganda Fide commiſſus eſt Tomus quintus Bibliothecæ Rabbinicæ, quem prioribus quatuor a *Julio Bartoloccio* adornatis, *Carolus Joſephus Imbonatus* ſuperaddit. Ex eadem typographia in lucem jam prodiit *Emanuelis a Schelſtrate* tomus ſecundus, isque poſthumus, Antiquitatis Eccleſiæ illuſtratæ; quod Geographicum opus eſt. Hunc vero tomum ſequentur Acta Eccleſiæ Orientalis ab eodem Auctore compoſita. Sub prælo etiam eſſe dicuntur Concilia Hiſpaniæ, quæ Eminentiſſimus Cardinalis *D' Aguirre* collegit, avide hactenus ab Eruditis expectata. Archiepiſcopus Hiſpalenſis ingens multorumque voluminum opus molitur, quo Auctores omnes tam impreſſos, quam manuſcriptos & in Bibliothecis latentes, qui de Romani Pontificis auctoritate tractarunt, complecti conſtituit. Typis etiam proxime dabitur Ughelliani operis de Epiſcopis Italiæ Synopſis, cum illius uſque ad præſens tempus continuatione, auctore *P. Julio Lucenti*, Abbate ordinis Ciſtercienſis ac Ughelli quondam alumno. *Johannes Ciampinus*, Magiſter Brevium gratiæ ac in utraque ſignatura Referendarius, tomum ſecundum de Muſivis operibus propediem publicabit. Idem de ſacris ædificiis a Magno Conſtantino conſtructis tractatum conſcripſit, quem gratiſſimum orbi Erudito futurum non dubitamus.

In

In Anglia *Humfredus Hody* opus habet ſub manibus & pene prælo paratum, cui titulum facturus eſt: *Hiſtoria & Antiquitates Civitatis & Eccleſiæ Alexandrinæ ab U. C.* In eo inter alia de Ptolomæis totoque Ægyptiorum Statu tum Civili, tum Eccleſiaſtico copioſe agetur. *D. Creechius*, Collegii omnium Animarum Oxonii Socius, qui Lucretium, Horatium & Theocritum Anglico carmine, annis proxime elapſis, non ſine ſummo ingenii acumine reddidit, Lucretii editionem Latinam notis novaque paraphraſi ornandam meditatur, Manilium quoque Anglico poëmate edituras. Latinam vero eamque correctiſſimam Manilii editionem dabit *Richardus Bentleius*, a quo & Philoſtrati novam editionem expectare jubemur. *Petrus Allixius* perſtat in propoſito, Concilia generalia notis ſuis & diſſertationibus illuſtrata publicandi: quod opus futurum eſt quinque voluminum in folio. *Johannis Walliſii* opera omnia Oxonii excuduntur, primusque eorum tomus jam abſolutus fere eſt, quem duo alii ſequentur.

In Gallia (referimus hæc fide clariſſimi *Baſnagii* in *Hiſt. Opp. Erud.* Menſ. Nov. 1692 p. 122. ſqq.) *P. Commirius* jam ab annis quindecim molitus eſt Hiſtoriam quinque priorum Galliæ Regum lineæ Valeſiæ, adeoque bellorum, quæ inter Gallos ac Francos ea tempeſtate fuere geſta, quam multo ſtudio adornatam Gallico tandem idiomate edere conſtituit. *P. Aurelianenſis* (d' Orleans) progreditur in componenda ſub titulo *Revolutionum* Hiſtoria Anglicana, cujus tomus primus res in Anglia geſtas ad Regem uſque Johannem, quem *ſine terra* cognomento vocant, alter uſque ad Henricum VIII, tertius ad noſtra uſque tempora complectetur. *P. Bouhours* tandem verſionem Gallicam Novi Teſtamenti, cui una cum P. *Tellerio* & P. *Beſnerio* longo tempore incubuit, publicabit, initium a quatuor Evangeliſtis facturus. Magnum Dictionarium *Academiæ Francicæ* abſolutum jam eſt, nec quicquam, præter Præfationem, in grandi hoc & tanto tempore deſiderato opere, elaborandum ſupereſt. *Antonius Dadinus Alteſerra*, juris utriusque, dum viveret, Profeſſor & Univerſitatis Toloſanæ Decanus, Tractatum reliquit de Academiis & Jurisperitis, qui Pariſiis prælo committetur. Ibidem nova operum *S. Cypriani* editio præparatur.

✱)o(✱

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Martii Anno M DC XCIII.

SAMVELIS BOCHARTI OPERA OMNIA, EMENdatiora & locupletiora edita, ſtudio Joannis Leusden & Petri de Villemandy.

Lugduni Batavorum, apud Corn. Bouteſtein & Jord. Luchtmans; Trajecti ad Rhenum apud Gul. van de Water.
A. 1692. fol. chartæ auguſtæ.
Conſtant Alphab. 21. pl. 11. & tabulis æri inciſis 14.

IIs doctorum virorum ſcriptis, quæ noſtro ævo ſumma ſolertia ſunt reperta, admirabili arte elaborata, judicio ſingulari perfecta, accenſendas, imo plerisque anteferendas eſſe commentationes, quas conſummatæ doctrinæ vir *Samuel Bochartus* luci publicæ expoſuit, nemo eſt qui dubitet: adeo, inſtar Phidiæ ſignum, ut primum adſpectæ, communi eruditorum calculo probatæ fuerunt. Quadraginta & ſex abhinc annis, cum totidem ſupra milleſimum & ſexcenteſimum anni numerarentur æræ Chriſtianæ, duo inſignia opera *Phaleg* & *Canaan* prodierunt: quorum in *iſto* primas omnium gentium origines e Scriptura ſacra & vetuſtiſſimis auctoribus illuſtravit, dumque decimum Geneſeos caput de humani generis propagatione ex Noachi ſtirpe exponeret, pluribus ſcriptoribus lucem accendit, & diverſa gentium diverſarum monumenta cum hiſtoria Moſaica ſedulo contulit, multosque antiquorum & recentium errores notavit, nec pauciora e denſis remotiſſimæ antiquitatis tenebris eruit, partim validis argumentis & auctoritatibus confirmata, partim ingenioſis conjecturis ſuffulta; in *hoc* Noachidarum omnium ſedes, permixtas ubique recentioribus Phœnicum coloniis, ſagaciſſime inveſtigavit, priſcaque navigationum Phœniciarum veſtigia, quæ in plurimis populorum, regionum, fluviorum, urbiumque nominibus

deliteſcebant, ſedulo oſtendit. Sedecim poſt annis *Hierozoicon*, multiplicia animalia quadrupeda, volatilia, reptilia, inſecta, aquatilia & fabuloſa, quorum in ſactis litteris fit mentio, recenſens, & ex omni ſcriptorum genere, plurimis etiam Arabicis libris, erudite ea explicans, in Anglia anno 1662 excuſum, prodiit. Quorum operum condendorum data ipſi fuit occaſio per conciones, quas in Geneſeos librum ad cœtum Cadomenſem habuit; in quo pietate & vero Dei cultu informando vigilantiſſimi Paſtoris quadraginta per annos implevit partes, Jeſuitarum artibus ſæpius impetitus, ſubacto tamen ingenio, ſolida eruditione, perſpicua in argumentando & reſpondendo adverſariorum ſtrophis ſolertia, & ſubtili acumine, ſemper eorum callida conſilia evertens, commiſſum autem ſibi gregem doctrina & moribus optime regens. Huic igitur dum primum Scripturæ, quem diximus, librum haud vulgari ratione exponere ſtuduit, ad gentes, & regiones, & animantia, quæ in eo memorantur, ſcrutanda, & illarum ortus, iſtarum ſitus, horum vero naturam & appellationes indagandas, omnes ingenii ac eruditionis dotes, quas aſſiduo litterarum ſtudio ſibi comparaverat, adhibuit. Nata ipſi hac etiam occaſione *de Paradiſo terreſtri* diſſertatio ſeu potius tractatus, ut indicat ſub initium Præfationis quatuor Phaleg libris præmiſſa; ubi ſe Geographicos hos geminos libros appendicis loco libro iſti *de Paradiſo* annectere voluiſſe indicat, eundemque in Phaleg lib. 2. cap. 28. p. 143. & lib. 4. cap. 11. p. 226. in Hierozoico part. 2. lib. 5. cap. 5. p. 675. allegat: animo etiam ipſum agitaſſe *de gemmis, unionibus, lapillisque pretioſis* in ſacra Scriptura memoratis commentarium, conſtat; ſed uterque in ſpongiam incubuit, dum aſſiduis cum Pontificiis concertationibus divexatus, & crebris Eccleſiæ ſuæ turbis, quas iidem aſſidue moverant, jactatus, egregie animo deſtinatorum abſolvendorum otio deſtitutus fuit. Diſſertationum tamen quarundam primas, ut ſic dicam, lineas in ſcriniis Auctoris hæredes invenerunt, quas cum iis, quæ a doctis viris aliis in deliciis habitæ, ſuppeditatæ fuerunt, publici juris fecit ſtudium *Stephani Morini*, qui multorum annorum longa conſuetudine, inque publico docendi apud Cadomenſes munere collega ipſi extitit conjunctiſſimus: cui nova hæc operum Bocharti editio, quam poſt obitum Stephani Monachi, (le Moyne) qui eam in ſe

prius

prius ſuſceperat, fato ne abſolveret impeditus, accuravit, magna ex parte debetur.

Præreliquis in ea nunc primum evulgatis *Diſſertationibus*, iſta majoris videtur momenti, quam, ut in juſti libri modum redigeretur, animo deſtinatam ab Auctore, ſed abolitam aut ſurreptam, certe in ſcriniis poſt obitum ipſius non repertam, e diſperſis lacerisque chartis concinnavit & ſacris Geographicis duobus operibus præmiſit Editor, *Paradiſi terreſtris*, quem primi parentes incoluerunt, ſitum, ſoli naturam, fluviorumque & arborum rationem explicantem, & ad mentem Bocharti exponentem. Hic enim cum in opere ſuo, quod animo conceperat, falſas primum de paradiſo ſententias convellere, ſuam deinde proponere deſtinaſſet; (confer p. 834.) eodem ordine Morinus quinque enumerat & confutat opiniones de eo celebriores: *primam* eorum, qui totam de ipſo Moſis narrationem in allegoriam convertunt, paradiſum terreſtrem animi voluptates, quatuor flumina totidem virtutes morales, interpretati; *ſecundam* eorum, qui cœleſtem, in quem Chriſtus latronem ſecum ſuſcepit, & in quem Enoch & Elias translati ſunt, & Paulus creditur raptus, cum terreſtri confundunt, pro eodem utrumque habentes; *tertiam* eorum, qui paradiſum extra orbem conditum collocant, & diſtinctum ab eo quem incolimus orbem ei adſignant, ambitu ſuo terram complexum; *quartam* eorum, qui totum terrarum orbem ante lapſum primi incolæ paradiſum fuiſſe, in Edene, id eſt, omnigena deliciarum copia & affluentia, ſitum, poſtea in ærumnoſum ſolum commutatum, innumeris amœnitatibus in totidem calamitates per maledictionem divinam converſis, exiſtimant; *quintam* eorum, qui paradiſum in Meſopotamiæ ea parte, quæ Auranitidem (quæ quaſi Audanitis ſive Edenitis dicta videatur) ad Euphratem ſitam complectitur, ſtatuunt. Veram autem, quam Bochartus tenuerit, Calvino in multis & Scaligero ὁμόψηφον, *ſextam* proponit & confirmat: nempe Paradiſum ad alveum Tigridi & Euphrati communem fuiſſe ſitum, ſupra Babylonem; ita ut a ſuperiori horum fluminum diviſione ad inferiorem, ſeu utriusque divergium, extenderetur; unde fiat ut Moſes quatuor ex Edene fluviorum capita exiiſſe narret, quæ nulla alia ſint quam bina Tigridis & Euphratis fluenta in unum intra Edenem coeuntia, ibique per aliquot milliaria ſimul fluentia, tumque in bina alia diſciſſa, ex

Edene ſeorſim verſus ſinum Perſicum tendentia. Hanc Bocharti ſententiam, quam diſſertatione præliminari, ut diximus, complexus eſt Morinus, idem p. 818. in Notis ad Steph. a nepote Bocharti *Samuel le Sueur* Domino de Colleville peculiari libro latius expoſitum iri indicat.

Præter hanc de Paradiſo diſſertationem, quam, uti diximus, ex mente & ad ſententiam Bocharti conſcripſit Morinus, & epiſtola ejusdem ad Lud. Capellum ſcripta confirmavit; minores alias quadraginta circiter diſſertatiunculas aut epiſtolas in ſchedis repertas, aut ab amicis communicatas, plerasque e Gallico idiomate in Latinum translatas, nunc primum protulit Morinus, eruditas omnes etſi breves quasdam. Primo earum loco Animadverſiones in Stephani Byzantini ἐθνικὰ, ſive de Urbibus collectanea, extant *p. 791.* quibus Berkelium etiam, in cujus gratiam Bochartus eas conſcripſerat, ſæpius uſum fuiſſe memorat: Palmerii autem Grentemenilii & ſuis annotatis easdem auxit & diſtinxit Morinus. Quorundam locorum Geographiæ ſuæ ſacræ, a Salmaſio impugnatorum, de Phœniciæ inſularum & urbium mutatis nominibus, Rhodani & Nitocris vocabulis, ac Ægyptiaco idiomate, defenſio *p. 827.* legitur. Quod ſerpens, qui Evam ſeduxiſſe & a ſervando Dei præcepto dimoviſſe blandis verbis Gen. cap. 2. perhibetur, non Diabolus ipſe ſub ſerpentina larva deliteſcens fuerit, ſed verum & genuinum a Deo conditum animal extiterit, quod infuſa & ſupernaturali extraneaque virtute ad loquendum a Diabolo (ſicut Balaami aſina a bono Angelo) impulſum, Evam, quæ ob naturæ bonitatem interiori quadam malitia ſponte ad peccandum illici non poterat, in peccatum induxerit, *p. 832.* oſtendit; & adverſus Moyſem Amyraldum, qui non genuinum ſerpentem, ſed Diabolum ſerpentis formam indutum, in concione & diſſertatione anno 1660 Salmurii edita p. 314 Evam tentaſſe aſſeruerat, ſententiam ſuam tuetur, & oppoſitas objectiones *p. 842. ſeq.* diluit. Alcoranum (cujus editiones hodie varias, a doctis viris Hamburgi, Wratislaviæ, & Jenæ degentibus promiſſas exſpectamus, jamque initia earum conſpeximus) Arabica lingua evulgari optat *p. 855.* tredecim ejus manuſcriptos codices in bibliotheca Chriſtinæ, Sueciæ Reginæ, (cujus admirandam eruditionem & inuſitatam humanitatem in epiſtola ad Iſaacum Voſſium *p. 856.* prædicat) extare indicans.

Quod

Digitized by Google

Quodantea rarum, hac noſtrorum temporum felicitate, quando e profligatorũ tot cladib9 Turcorum manubiis plurimi Corani codices in Chriſtianorum poteſtatem pervenerunt, adeo inuſitatum non eſt, ut in privatorum etiam bibliothecis complures ejus codices habeantur, & vel unus Abr. Hinkelmannus copiis ſuis Reginæ apparatum æquet; in eo autem ſuperet, quod inter reliquos codices Coranicos unum poſſideat Maſorethicis notis inſtructum, (quem Mufſticum eſſe affirmant) cujus præcipue fiducia editionem operis iſtius vir doctiſſimus ſuſcepit Hamburgi, ubi nunc typis excuditur; eoque abſoluto ſperare jubet Lexicon Coranicum, quod eum in modum, quo Paſoris in N. T. compoſitum eſt, adornat. De quo laudabili inſtituto, a nemine antea tentato, Lectorem hoc loco admonendum duximus. Nunc ad Bocharti noſtri diſſertationes revertamur. De Dudaim, *p. 865.* de Manna & ejus genere Grammatico, quod fœmininum ſæpius a medicis & philoſophis, a theologis neutrum adhiberi obſervat *p. 871. 875. ſeq.* de Colcha quæ Levit. XIX. 19. lino admiſceri prohibetur *p. 880.* de Abſolomi capillis, & eorum prolixitate ac pondere, *p. 883.* de Naamane in æde Rimmonis adorante 4. Reg. V, 18. ubi diſquiritur, quale iſtud idolum fuerit *p. 892.* cur item Naamanum, ſanum iſtud ingreſſurum, in pace dimiſerit Eliſæus v. 19. & an ad iſtius exemplum recte Theologi Saxonici exiſtimaverint, Electori ſuo Johanni licere in comitiis Auguſtanis Imperii gladium præferre Imperatori Carolo V. *p. 901.* utrum quis anno ætatis decimo duodecimove liberos gignat, quot annos natum Achazum cum Ezechiam gigneret, e Regum libris colligitur, diſceptat *p. 920.* Scripturæ ſacræ divinitatem certis argumentis, non externis & adſcitis, aut Spiritus ſancti beneficio, cujus efficaciam inter legendum & audiendum ſentimus, ſuggeſtis; ſed inſitis, & ex ipſa ejus natura depromptis, inque ea latentibus notis, demonſtrari poſſe, late oſtendit *p. 927. ſeq.* Chriſtum non imaginatione, ſed reapſe, in montem templique pinnaculum a Diabolo transportatum fuiſſe, ibique omnia mundi regna & provincias, etiam diſſitiſſimas, uno obtutu conſpexiſſe, fuſe aſſerit *p. 943. ſeq.* De deſcenſu ejus ad inferos *p. 983.* de jure epiſcoporum & presbyterorum, epiſtola ad Morlejum, Regis Angliæ ſacellanum, *p. 988.* diſſerit, inque Epiſcopatu tria eſſe probe diſcernenda monet: πρεσβυτέριον ſeu munus paſtorale, quod Scriptura epiſcopis tribuit; ὑπεροχὴν

ſeu eminentiam in paſtores reliquos, quam Eccleſia vetus illis conceſſit; & τὸ κύριον, ſive in reliquum clerum dominatum, quem proterve ſibi iidem arrogent: primum eſſe juris divini, ſecundum eccleſiaſtici, tertium nullius & meram uſurpationem: adeoque Eccleſiam primo carere non poſſe, ſecundum poſſe ferri, tertium plane eſſe abolendum, docet. De provocatione a judiciis eccleſiaſticis, & eorundem poteſtate *p. 991.* de jure Regum, et an ii poſſint vi & armis a ſubditis in ordinem cogi, &, ſi ſe præbeant immorigeros, de ſolio deturbari, in carcerem conjici, ſiſti in jus, per carnificem denique capite plecti *p. 994.* de baptiſmo pro mortuis, cujus quindecim expoſitiones enumerat, quidque in ſingulis difficilem ſenſum reddat, exponit, iis adſtipulans qui vivos homines vice mortuorum tinctos, quem morem Tertullianus notat, indicari exiſtimaverunt *p. 1027.* de anathemate diro, quod Paulus vibravit in eos, qui, quantumvis ſe Chriſti ſervos eſſe profiterentur, & Evangelii propagandi cupidos, falſo tamen Chriſti amorem obtenderent impiis conatibus, propriæ gloriæ ſtudioſi, ultimo graviſſimoque excommunicationis telo feriendi *p. 1037.* de libro Grotii, quo Antichriſti nomine ab Apoſtolo Caligulam & Simonem magum ſignificatum fuiſſe, contendere ſategit, *p. 1044.* diſſerit, & argumenta in eo allata deſtruit. De Pliſtis Joſepho Antiq. lib. 18. cap. 2. memoratis *p. 1052.* haud contemnenda affert; errores quosdam, a Georgio Hornio in obſerv. ad Sulpitii Severi Hiſt. ſacr. commiſſos, *p. 1147.* notat. Doctiſſima de adventu Æneæ in Italiam epiſtola, in Segraiſii gratiam, cum is Virgilium Gallica lingua evulgaret, anno 1663 eodem idiomate ſcripta, poſtea anno 1672 a doctiſſimo viro Jo. Scheffero in Latinum ſermonem converſa & publici juris facta, *p. 1151. ſeqq.* exhibetur. Philoſtrati locum lib. 4. de vita Apoll. cap. 6. de Amazonum cantu, corruptum librariorum vitio, & pro Ἀμαζόνων ᾆσμα legendum Μουσώνων ᾆσμα, conjicit & adverſus Eraſmum ac Cœl. Rhodiginum contendit *p. 1179.* In venuſtiſſimi poetæ Galli M. Antonii Gerardi, Domini Sanctamantii (*Sieur de S. Amant*) poemate de ſervato Moſe (*Moyſe ſauvé*) decem libris Chriſtinæ Suecorum Reginæ anno 1664 inſcripto, multa notat, deque iisdem auctorem, epiſtola ad ipſum data, admonet, quæ haud levis momenti ſunt: de aula Pharaonis, non Memphi, quod cum aliis Sanctamantius credebat, ſed Tani, longe remotiori regione, conſtituta, ubi

Moſes

Digitized by Google

Moſes in papyracea arcula expoſitus, & a Regis filia in arundineto repertus fuerit *p. 1187.* de Memphidis origine & antiquitate *p. 1189. 1196.* de pluviis in Ægypto *p. 1194.* de tempore nati Moſis,& quot annis Iſraelitæ ſervierint, cum is naſceretur *p. 1201.* de Merari & Eliſaph *p. 1205.* de templo in Bethel quod Jacobus extruxit *p. 1206.* de duritie tergoris crocodili *p. 1207.* de palma *p. 1208.* de poetis, quatenus a veritate recedere iisdem liceat *p. 1208.* de circumciſione apud Ægyptios non minori ſtudio ac religione, quam inter Judæos, obſervata *p. 1210.* de animalibus Eſavo a fratre miſſis, vel per nuntios oblatis *p. 1212.* de vulturibus vivis animalibus, an cadaveribus ſaltem, veſcentibus *p. 1214.* de natalitiis diebus, an ſolenni ritu apud Hebræos ii celebrati ſint *p. 1217.* de Iſide *p. 1219.* de Ægyptiorum cultu erga Moſem, quo in Deorum numerum eum retulerint & Mercurium vocarint *p. 1220.* de ibide volucre, draconibus infeſta & propterea conſecrata *p. 1221.* de Amalec, neutiquam certi cujusdam regis, ſed gentis nomine, quæ ita per ἐν διὰ δυοῖν vocetur *p. 1222.* de virga Aaronis gemina, quarum altera arefacta progerminavit & amygdala protulit, altera miraculis coram Pharaone edendis fuit adhibita *p. 1224.* de aliis item nonnullis, quæ in Sanctamantii poemate non ſatis ſibi conſtare obſervarat; quod nihilominus tamen, quandoquidem poeticam venuſtatem & gratiam ubique ſpiret, naturalium autem rerum & Judaicarum antiquitatum notitiam tradere non intenderit auctor, magno in pretio habendum affirmat *p. 1227.* Luciani Caphargamalenſis presbyteri, a Gennadio cap. 46.47. memorati, tractatum de inventis S. Stephani protomartyris reliquiis, quem Baronius tom. V. Annal. ad A. C. 415. magnifice & confidenter exhibuit, ex Surio & Vaticanæ bibliothecæ codicibus Mſſtis depromptum, νοθεύειν, & libelli iſtius veritatem merito ſuſpectam eſſe, ac ſtylum redolere poſtremorum ſeculorum barbariem, multa etiam in narratione ejus ἀσύστατα occurrere, demonſtrat *p. 1229.* Notæ ad decreta Eccleſiæ Gallicanæ a Laur. Bochello lib. 1. tit. 13. exhibita, quibus a Judæorum pedibus calcata expreſſaque vina, carnes item ab iis laniatæ, prohibentur Chriſtianis, habentur *p. 1244.* quo loco de retrimentis uvarum, στεμφύλοις, flocibus, vinaceis, fracibus & lora diſſeritur *p. 1246.* In Ant. Goſſelini veterum Gallorum Hiſtoriam, anno 1638 Cadomi excuſam, animadverſiones proferuntur *p. 1266.* inter quas eæ majoris momenti eſſe videntur,

dentur, quibus commentarios de Bello Gallico & Civili Julio Cæſari aſſeruit, quos alium auctorem habere docuerat Goſſelinus *p. 1267.* Gentis Gallicæ nomina, quibus Celtæ, Galli, Franci, Galatæ, & Gomeritæ appellantur, expendit *p. 1268.* Francos Galliæ a Franconibus Germaniæ originem duxiſſe, verius cenſet *p. 1270.* Variarum gentium Gallicarum nominis rationem exponit *p. 1273.* De uſu Græcæ linguæ apud veteres Gallos *p. 1278.* de Germanicæ linguæ convenientia cum Gallica *p. 1283.* de veteri Gallorum idiomate *p. 1286. & ſeq.* de vocabulis vetuſtis ac hodiernis Gallicis, cum Britonum vocibus quæ conveniunt *p. 1293.* differit. Poemata quædam, ingenii juvenilis luſus, *p. 1255. & 1309.* exhibentur. Paſſim autem Scripturæ ſacræ loca illuſtrata & explicata ab Auctore in his Diſſertationibus reperiuntur, quorum extantiora enumerabimus: Levit. XIX. 19. *p. 880.* 2. Reg. XIV, 26. *p. 883.* 4. Reg. V. 17. 18. 19. *p. 892.* 4. Reg. XVI. 20. XIIX. 1. *p. 920.* Job. III. 8. XXXIIX. 36. *p. 903.* Pſalm. CX. 3. *p. 904. 906.* Cantic. I. 14. II. 1. *p. 916.* Jeſaiæ XXX. 4. *p. 1199.* Jon. IV. 4. *p. 919.* Matth. IV. 5. *p. 943.* Act. XX. 17. 28. Rom. XII. 1, 2. Hebr. XIII. 17. *p. 988.* 1. Cor. V. 5. VI. 12. *p. 1023.* 1. Cor. XIV. 15. XV. 29. *p. 1027.* XVII. 22. *p. 1035.* Coloſs. II. 9. 1. Tim. II. 4. *p. 1039.* 2. Theſs. II. *p. 1044.*

Operi integro editor Stephanus Morinus hiſtoriam vitæ Bocharti, amiciſſimi ſui collegæ, cum eo Cadomi iisdem ſacris operati, præfixit: e qua intelligimus, ipſum anno 1599 natum fuiſſe, patre Meſnilleto, paſtore Eccleſiæ Reformatæ Rothomagenſis, matre Eſthera Molinæa, Petri Molinæi apud Pariſinos Eccleſiaſtæ reformati ſorore; litterarum ſtudiis operam dediſſe Pariſiis, Sedani, Salmurii, Londini, Oxonii, & Lugduni apud Batavos; juvenem ad pangenda carmina fuiſſe proclivem, & cum tertium decimum ætatis annum ageret, Th. Dempſteri Antiquitates Romanas poemate ab ipſo fuiſſe exornatas; in theologicis ſtudiis opera Jac. Capelli, Jo. Cameronis, Th. Erpenii & Andreæ Riveti (qui affinitate ipſi junctus, matris ſororem in matrimonio habuit) eſſe uſum; a Cadomenſibus paſtorem Eccleſiæ ſuæ fuiſſe lectum, eamque per quadraginta annos, & amplius, ſummo ſtudio, maxima vigilantia, ardenti zelo, pietate, & ſingulari prudentia rexiſſe, ſermones ſacros, in Geneſeos explicatione cumprimis verſantes, rara eruditione condiviſſe, ita tamen auditorii captui ſe accommodaſſe, ut ab omnibus intelligeretur; vitam præterea ſanctis moribus,

moribus, intemerata fide & ſincero candore egiſſe, & ea gregi ſibi commiſſo præluxiſſe; graves cum Pontificiis ſubinde & difficiles controverſias ipſi intercesſiſſe, cum Veronio anno 1628, cum Jeſuita De la Barre 1661, cum Bajocenſi Epiſcopo & Monachis Benedictinis anno 1664, omni armorum genere Eccleſiam Proteſtantium, cumprimis autem Cadomenſem, oppugnantibus: quorum conatus fortiter eliſerit. Suecico itineri a Regina Chriſtina evocatum & accerſitum Holmiam, ut doctrinam ipſius, quam fama ingentem acceperat, coram contemplaretur, anno 1652 cum Petro Daniele Huetio viro doctiſſimo (qui iter iſtud eleganti carmine deſcripſit & Joanni Capellano dedicavit) ſe commiſiſſe, & feliciter iſtud abſolviſſe. A Batavis ad publicum in academia Lugdunenſi docendi munus expetitum eſſe, ut Salmaſio collega daretur; (quod ex epiſtolis *p. 1249. 1254.* extantibus diſcimus) collegas habuiſſe Le Couteur, Du Boſc, Beaumontium & St. Morinum; diem obiiſſe d. 16. Maji 1667. cum abſolviſſet ſermonem ſuper Gen. XLIX, 18. *Domine, expectavi ſalutem tuam:* ſed a quo ad populum habendo mors ſuperveniens intercluſo ſpiritu ipſum prohibuerit, & calamitatibus Reformatorum in Galliis Eccleſiæ imminentibus, paulo poſt prorſus extinctæ & oppreſſæ, opportune ſubtraxerit.

RECVEIL DES PLVS BELLES PIECES DES Poëtes François: avec l' Hiſtoire de leur vie.

i. e.

Poëtarum Gallorum Carmina ſelectiſſima: nec non Hiſtoria vitæ eorundem.

Pariſiis, apud Cl. Barbinum, 1692. in 12.

Conſtat Alph. 3. plag. 11.

NOn vulgarem apud cives ſuos famam adeptus eſt ſcriptor Gallicus, qui Aulæ Hiſpanicæ Hiſtoriam duobus libellis, quorum alteri *Memoires de la Cour d' Eſpagne*, alteri *Relation du Voyage d' Eſpagne* titulus eſt, non ita pridem conſcripſit, nobis quidem, quod Satyram redoleret, in Actis hiſce non recenſitam. Idem Auctor Syllogen hanc edidiſſe perhibetur carminum a præſtantiſſimis Galliæ Poëtis, intra duo, & quod excedit, ſecula compoſitorum. Quod

inſtitutum non poterit non probari omnibus, qui Gallica poëſi delectantur, & collatis veterum recentiorumque Poëtarum fragmentis expendere cupiunt, quas mutationes lingua Gallica duorum ſeculorum ſpatio ſubierit, & quæ paulatim incrementa, ſeu inventionum felicitate, ſeu ſuavitate ſtyli aut metri gratia, Poëſis Gallorum ceperit, donec ad eum decorem, quo hac tempeſtate ſuperbit, aſſurgere ipſi licuit. Neque jactantiæ argui temere Collector fragmentorum horum debet, dum in Præfatione innuit, in hac elegantiſſimorum poëmatum farragine, Poëſeos Gallicæ Hiſtoriam quandam per ipſa Poëtarum opera exhiberi. Primus e quinquaginta & uno Poëtis, quorum ingenioſiſſima carmina collecta hic comparent, isque omnium, qui quidem intelligi hodie poſſunt, antiquiſſimus eſt *Franciſcus Corbueil*, dictus vulgo *Villon*, qui ſeculo XV Caroli VII tempore floruit, homo nequam, & ad patibulum aliquando damnatus, mitigataque ſententia multatus exilio, ſed qui ingenii felicitate decus aliquod rudi antea Gallorum Poëticæ conciliare cœpit: poſtremus eſt Iſaacus de Benſerade, tribus ante opus hoc editum menſibus defunctus. Neque enim Collectori placuit, Syntagmati huic ſelectorum poëmatum inſerere alia, quam quorum auctores e vivis jam exceſſerunt; quod ſelectus talis ſpeciem haberet cenſuræ, in mortuos tutius quam in ſuperſtites exercendæ. Cæterum ſingulorum Vatum vita, breviter enarrata, Carminibus ipſis præfixa eſt, ut Notitiam Gallorum Poëtarum ſic ſatis perfectam comparare ſibi poſſit, quisquis cum hoc noſtro opere clariſſimi *Bailleti* Judicia Eruditorum de Poëtarum ſcriptis, in Actis Erud. A. 1685 p. 574. memorata, conjungere ſuſtinuerit. Neque enim diſſimulamus, multa obſervaſſe Bailletum, quæ in hac Sylloge non inveniuntur, & viciſſim hic exhiberi poëtarum nonnullorum qualecunque vitæ curriculum, qui a Bailleto ne nominati quidem fuere.

HISTOIRE CRITIQVE DES PRINCIPAVX COMMENTATEVRS DV N. T.

i. e.

Hiſtoria critica præcipuorum *commentatorum* in Novum Teſtamentum, ab auſpiciis Chriſtianiſmi ad noſtrum

Digitized by Google

noſtrum ævum. Accedit *diſſertatio* critica de præcipuis libris MSCtis, qui in tribus Hiſtoriæ Criticæ N. T. partibus allegantur; auctore *Rich. Simone*, presbytero.

Roterodami, apud Regnerum Leers, A. 1693. in 4. maj. Conſtat quinque Alphabetis, & plagulis ſexdecim.

TErtia hæc ultimaque eſt pars Hiſtoriæ Criticæ N. T. Simonianæ, de qua conferas licet Acta Eruditorum A. *1689*. p. 113. 166. & A. *1690*. p. 91, 129. Ante omnia celeberrimus Criticus obſervat antiquiſſimos exegetas, ne Gnoſticis gloriolam ingenii ad allegorias nullibi non inveniendas apti relinquerent, literali ſenſu neglecto myſticum nimis crebro venatos eſſe, probatque exemplo *Theophili* Antiocheni, utpote cui omnino vindicanda contendit *commentaria in IV. Evangeliſtas*, Latine extantia T. II. P. II. Biblioth. PP. Lugd. p. 165. Huic jungit *Irenæum*, *Tertullianum*, *Cyprianum*, quatenus in operibus præſertim polemicis, exegetarum biblicorum munere defunguntur. Cenſuram *Photii* ſect. CXI. de *Hypotypoſibus*, ſive commentariis biblicis, *Clementis Alexandrini* non ex aſſe approbat, illa enim hæretica & fabuloſa in iis extitiſſe non neget, monet tamen, non eapropter cum patriarcha iſto Conſtantinopolitano negotium, *Clementis* opus eſſe, cum tali uſi ſint methodo veteres, ut explanationes in S. codicem ſcripturi undecunque corraderent analecta, ſeu vera, ſeu falſa; quemadmodum *Hieronymo* nemo abjudicet *quæſtiones Hebraicas in Geneſin*, aut *commentarium in epiſtolam ad Epheſios*, etſi his quandoque inſertæ deprehendantur exegeſes heterodoxæ, authoribus earum non indicatis. Mox ſpecimina interpretationum Gnoſticarum, a Clemente, Irenæo aliisque citatarum, adfert. Clementem excipiunt *Origenes*, *Euſebius* Cæſareenſis, *Athanaſius*, *Baſilius* M. *Gregorius* Nyſſenus, *Gregorius* Nazianzenus, *Hilarius* uterque, Pictavienſis & Romanus, Joannes *Chryſoſtomus*. Hujus dum in epiſtolam ad Ebræos homilias recenſet, Nobilii fere ſententiam approbat, quoad duo πρόσωπα in Chriſto, & Chryſoſtomum *naturas* hac voce deſignaſſe ſtatuit, non *perſonas*, nullam, ut apparet, notitiam habens *doctæ diſſertationis*, de hoc argumento

c. I.

c. II.

c. III. IV. V.

c. VI.

c. VII.

c. VIII.

c. IX.

c. X. XI.

c. XII.

Parisiis A. 1691. evulgatæ, cujus compendium in Actis Erud. A. 1692.
c. XIII. p. 521. exhibuimus. *Opus* autem *imperfectum in Matthæum* indignum
c. XIV. XV. esse judicat, quod Chrysostomo tribuatur. Sequuntur *Ambrosius*
c. XVI. & *Hieronymus*, ac post hos *Pelagius*, quem auctorem esse non ambigit expositionum in epistolas Paulinas, *Garnerium* (ut videtur) ducem secutus, append. ad dissert. VI. ad partem I. Opp. Marii Mercatoris p. 367. tametsi contrariam sententiam fovit Jacobus *Usserius*, cujus verba e MSC. nobiscum communicavit V. Cl. Guilielmus
c. XVII-XX *Cave*, Hist. Liter. p. 292. Inde progreditur Richardus Simon ad Aur.
c. XXI. *Augustini* opera, *Cyrilli* Alexandrini commentarium in Joannem, *Isi-*
c. XXII. *dori* Peluſiotæ epistolas, & *Theodoreti* commentarios in epistolas
c. XXIII. Paulinas. Dum exegetas metricos recenset, Aristarchum *Heinsii* in *Nonnum* Panopolitam erudite quidem, sed absque judicio esse conscriptum, vatemque hunc immerito in eo Arianismi insimulari, pronuntiat. Nonno jungit *Juvencum*, *Sedulium*, *Aratorem*, *Probam Falconiam*.
c. XXIV. Succedunt *Primasius* Adrumetinus, *Beda*, Flaccus *Al-*
c. XXV. *cuinus*, *Rabanus* Maurus, *Claudius* Taurinensis, *Haymo* Halberstad-
c. XXVI. diensis, (cui potius, quam *Remigio* Remensi, tribuuntur explanationes Epistolarum Pauli, verisimilius tamen *Remigio* Altissiodorensi,) *Ansbertus*, Christianus *Druthmarus*, Walafridus *Strabus*, *Sedulius*
c. XXVII. junior, *Paschasius* Ratbertus, *Smaragdus*, *Lanfrancus*, *Anselmus*, *Bru-*
c. XXIIX. *no*, *Rupertus*. A Latinis redit Simon ad Græcos recentiores, inter
c. XXIX. quos familiam ducunt *Theophylactus* ac *Euthymius*.

Operæ pretium est, quæ de *catenis* in N. T. *Simonius* commentatur, speciminis loco, largiori heic manu inspergere; eo quod earum justum recensum pauci admodum ex historiæ literariæ conditoribus
c. XXX. attigerint. *Catenam* in *Matthæum* Petrus *Possinus* edidit Tolosæ A. 1646. ex MSC. unico, eoque non satis integro. Inde e. c. *Matth. II. 8.* hunc in modum aliquod *Originis* dictum repræsentat: τόπον ὑψηλὸν σημαίνει τὸ Ῥαμά· διὸ καὶ ἔν τισι τῶν ἀντιγράφων βιβλίων οὕτω γέγραπται· Ἐν τῇ ὑψηλῇ ἠκούσθη. Non poterat non illinc colligere *Simonius* P. I. Hist. Criticæ N. T. quod in quibusdam *Matthæi* codicibus *Origenes* reperisset ὑψιλῇ, cum tantum in *Jeremia* diversam lectionem abs eo observatam pateat e cod. MSC. Biblioth. Regis Gall. n. 1879. ubi legitur: ἔν τισι τῶν ἀντιγράφων τοῦ Φήτε γέγραπται Φωνὴ ἐν τῇ ὑψηλῇ ἠκούσθη. Ex scri-

Digitized by Google

ſcribendi compendiis ſpiſſas ſæpius tenebras catenam hanc ſimilesque inſediſſe exiſtimat. Sic Scholion *Origenis* ad verba Matth. I. 18. (*Inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto,*) exempli loco adfert: τοῦτο δὲ ϗ τὸν ἁγιασμὸν δηλοῖ ϗ τὸ ὁμούσιον τῆς τριάδος. i. e. *Hoc ſignificat ſanctificationem* & conſubſtantialitatem *Trinitatis.* Nimirum ſi ὁμουσίου vocabulum in operum ſuorum ullo Origenes uſurpaſſet, minores turbas ſuſcitaturos fuiſſe autumat Arianos, ſummos Origenis admiratores. Hinc conjicit, interpretem Catenæ in margine MSCti legiſſe $\overset{\rho}{\omega}$ & explicaſſe ὡραῖνος, (ut ſæpe uſu venit,) cum debuiſſet exponere: ὡραῖον νόημα, *pulcra ſententia.* De rhapſodorum ejusmodi ſtylo, & ratione ſenſum potius quam verba Auctorum exhibendi, mox differit, verbis potiſſimum Poſſini in præfatione in catenam ſuam uſus. Aliam a Poſſiniana in eundem Evangeliſtam edidit Balth. *Corderius* Jeſuita, excudi tamen Toloſæ curavit confrater ejus *Poſſinus*, ceu ſupplementum ſuæ catenæ. Hujus collector eſſe fertur *Nicetas* epiſcopus Serrarum. Sed, ſi Simonem audias, male; nam ex Niceta aliisque, incertum a quo, collecta eſt. Eidem *Poſſino* debetur *Catena* in *Marcum*, Gr. Lat. impreſſa Romæ A. 1673. Huic doctiſſimus Jeſuita junxit ſcholiaſtas duos alios a Corderio transmiſſos. Primus eſt is ipſe, quem Latine ſub *Victoris Antiocheni* nomine Theodorus *Peltanus* evulgavit, in tomum quoque IV. Biblioth. PP. Maximæ p. 370. relatum. Peltanus æque ac Poſſinus codicibus uſi ſunt minus integris, cum in Bibliotheca Galliarum Regis longe meliores adſerventur. Horum alicui *n. 1882.* adjicitur ſequens ſubſcriptio: Ἐπληρώθη σὺν Θεῷ ἡ ἑρμηνεία τ̃ ϗ τ̃ Μάρκου ἁγίου εὐαγγελίου, ἀπὸ Φωνῆς, ἔν τισι εὑρον, Κυρίλλου Ἀλεξανδρέως, ἐν ἄλλοις δὲ, Βίκτορος πρεσβυτέρου. i. e. *Abſoluta eſt, juvante Deo, explicatio S. Evangelii ſecundum Marcum, auctore, (ut in quibusdam codicibus reperi,) Cyrillo Alexandrino, aut, (ſicuti in aliis legitur,) Victore presbytero.* At neutri in ſolidum catena iſthæc tribuenda eſt, cum ex *Cyrillo* non tantum & *Victore*, ſed & aliis, ab anonymo conſarcinata ſit. Cæterum Poſſini editio multis paraſangis poſt ſe reliquit Peltanianam. Catenam in *Lucam*, ſed Latine tantum, in lucem emiſit Balthaſar *Corderius* Antverpiæ ex officina Plantiniana A. 1628. Græca edi poſſent e Bibliotheeis Cæſarea, Veneta, Auguſtana; omnium autem optime ex Gallicana

regia. Commentarius *Titi* epiſcopi Boſtrenſis in *Lucam*, quem prælo Ingolſtadienſi non niſi Latine ſubjecit *Peltanus* A. 1580. mera *catena* eſt ex *Tito* aliisque SS. Patribus congeſta; unde in codice MS. *2330*. Regis Galliæ inſcribitur: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Τίτου ἐπισκόπου Βόστρων καὶ ἄλλων ἁγίων πατέρων ἑρμηνεία εἰς τὸ Λουκᾶν ἅγιον εὐαγγέλιον. Anno 1624. T. II. Bibl. PP. Gr. & Lat. ſtudio Fr. Ducæi utroque idiomate evulgata fuit, ſed ſub ſolius *Titi* Boſtrenſis nomine; & Combefiſius quidem (Recenſ. Auct. Bibl. PP. concion.) juniori cuidam *Tito* adjudicavit, cum antiquioris A. 362. florentis, (quicquid etiam viſum fuerit *Peltano*,) eſſe nequeat, eo quod heic allegari videas Chryſoſtomum, Cyrillum, Iſidorum Peluſiotam. In *Joannem* catena Gr.Lat. prodiit cura *Corderii* Antverpiæ A. 1630. omnium Evangelicarum optima ac integerrima.

Si de uſu *catenarum* quæras, reſpondet Simon, primum hinc illuſtrari genuinam textus Evangelici lectionem, utpote quam ex antiquis exemplaribus in his codicibus repræſentari, ſub calcem voluminum teſtentur librarii Græci. Sic de ultima ſectione Evangelii Marci controvertitur inter Græcos, an a recentiori ſit manu. Heic non inutile eſt Scholion e cod. MSC. Biblioth. Colbertinæ n. 4112, a Simone adductum, quo genuinam eſſe, compilator, quisquis eſt, veterum codicum auctoritate nixus, adſeverat. Viciſſim *Victor Antiochenus* in codd. MSCC. Regiis n. 1880. & 2283. pro ſuppoſititia habere maluit. De Hiſtoria adulteræ *Joannis VIII. 1. ſeqq.* aſteriſco notata, auctor Catenæ MSC. Bibl. Reg. n. 1883. ad calcem Joannis: τὰ ὠβελισμένα (inquit) ἔν τισιν ἀντιγράφοις οὐ κεῖνται, οὐδὲ Ἀπολλιναρίῳ, ἐν δὲ τοῖς ἀρχαίοις ὅλα κεῖνται· μνημονεύουσι τῆς περικοπῆς ταύτης καὶ οἱ ἀπόστολοι πάντες ἐν αἷς ἐξέθεντο διατάξεσιν εἰς οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας. i. e. *Obeliſco notata in quibusdam exemplaribus haud extant, uti nec apud Apollinarem. In antiquis tamen omnino extant. Mentionem etiam hujus pericopæ faciunt Apoſtoli univerſi in conſtitutionibus, quas compoſuere in ædificationem*
c. XXXI. *eccleſiæ.* Quemadmodum vero mentem SS. Patrum, quorum libri nondum interierunt, tutius in operibus integris, quam in *catenis* quæſiveris; ita ex adverſo non parum ſibi gratulantur viri docti de fragmentis operum deperditorum *Theodori* Heracleenſis, *Theodori* Mopſueſteni, *Severi* Antiocheni aliorumque, orthodoxorum æque ac hete-

Digitized by Google

ac heterodoxorum, quorum copiam faciunt hæ catenæ. Quid auctores illi circa primaria ſenſerint fidei capita, pluribus eorum locis productis, curatius indagare ſategit Simon. Joanni Matthæo *Guiberto* epiſcopo Veronenſi in acceptis fertur *catena* in *Acta* Apoſtolorum, *epiſtolasque catholicas* & *Paulinas*, ſub *Oecumenii* nomine, edita Græce Veronæ A. 1532. *Morellus* recudit Pariſiis A. 1631. cum verſione Latina Jo. *Hentenii*. Sed *Frontonis Ducæi*, ipſiusque *Simonis*, judicio, *anonymi potius catena ex Joh. Chryſoſtomo aliisque* (quos inter eſt Oecumenius quoque,) *concinnata*, inſcribenda fuiſſet, ut in pleriſque MSCtis fieri deprehendas. *Hentenio* tamen non admodum repugnat Noſter, duobus catenæ locis non ſine probabilitate confirmanti, quod *Oecumenius* ipſemet ſæculo fere X. tum ex aliorum, tum propriis obſervationibus collectionem hanc ſcripto conſignaverit. Præter alia ſpecimina, obſervat, tum in impreſſis, tum in ſex MSCtis codicibus ſcholia deſiderari ad *1. Joh. V. 7.* unde concludit, quod hunc verſum pro Biblico Auctores non habuerint. In Bibliotheca Regis Galliæ exemplum MSC. catenæ in Acta Apoſtolorum & partem Epiſtolarum catholicarum extat, ætatem ſexcentorum annorum præ ſe ferens, ſub titulo: *Τ̃ χρυσοστόμε καὶ ἑτέρων διαφόρων. Chryſoſtomi* nomen diſerte memoratur, quod primum Scholion ex eo deſumptum ſit. Cæteri auctores ſunt *Didymus*, *Euſebius* Emeſenus, *Theodorus* Heracleenſis, *Theodorus* monachus, *Theodotus* Ancyranus; cum primis autem *Ammonius* presbyter, &, qui plus viginti vicibus *Episcopus aut Archiepiſcopus Antiochenus* cognominatur, *Severus*; adeo ut nullum ſupereſſe dubium credat Simon, quin *Severus*, Eutychianorum promachus, intelligendus veniat, quod contra *Corderium* negarat *Combefiſius*. Catenarum N. T. Supplementum quaſi eſt commentarius in Apocalypſin *Arethæ* Archiepiſcopi Cæſareenſis in Cappadocia. Impreſſus eſt Veronæ 1532. Græce; Recuſus cum verſione Latina Hentenii *Pariſiis* 1631. Verba tituli: *Interprete Johanne Hentenio, emendatore & prælectore hujus editionis Federico Morello, Regiorum in Academia Pariſienſi Profeſſorum Decano*; male habent Simonem, cum Morellus nihil omnino in hoc opere emendarit ſuppleveritve. Sed miſſas jam tandem faciamus *Catenas*, & cæterorum e veteribus catalogum contexamus, quorum in ſequentibus meminit Simon.

Sunt

c. XXXIII. Sunt illi *Petrus* Lombardus, *Albertus* Magnus, *Thomas* A-
c. XXXIV. quinas, *Nicolaus* Liranus, *Paulus* Burgenſis; Laurentius *Vallæ*,
c. XXXV. *Dionyſius* Carthuſianus, A. *Toſtatus*, Jacobus *Faber* Stapulenſis; D.
XXXVI. *Eraſmus* Roterodamus; *Cajetanus*, Ambroſius *Catharinus*, Domi-
c. XXXVII. nicus *Soto*; Jacobus *Sadoletus*, Jacobus *Naclantus*, Ludov. *Tena*, Jo.
c. XXXIIX. *Ferus*; Franc. *Titelmannus*, Robertus *Stephanus*, Iſid. *Clarius*, Nicol.
c. XXXIX. *Zegerus*, Claud. *Guilliaudus*; Jo. *Gagnejus*, Jo. *Arboreus*, Cl. *Eſpen-*
c. XL. *caus*; *Janſenius Gandavenſis*, *Toletus*, *Ribera*; *Maldonatus*; *Juſtini-*
c. XLI. *anus*, Eman. *Sà*, Lucas *Brugenſis*, *Mariana*; *Sasbuthus*, *Eſtius*, *Bencius*,
c. XLII. *Fromondus*; *Menochius*, *Tirinus*, Corn. a *Lapide*, *Janſenius* Yprenſis.

c. XLIII. Hos proxime ſequuntur *Heterodoxi*, quos vocat Simon, com-
c. XLIV. mentatores, Jo. *Wicleſus*, Jo. *Huſſus*; Martinus *Lutherus*; M.
c. XLV. *Flacius* Illyricus, Joach. *Camerarius*, Ægid. *Hunnius*, Chriſtoph. *Pe-*
XLVI. *largus*, O. *Gualtperius*, J. *Bugenhagius*, Juſtus *Jonas*; And. *Oſiander*,
c. XLVII. Martinus *Chemnitius*, Sal. *Glaſſius*, Th. *Hackſpanius*, Geo. *Calixtus*,
c. XLVIII. Abr. *Calovius*.

Tranſit hinc ad Reformatos, *Zuinglium*, *Bullingerum*, *Oeco-*
c. L. LI. *lampadium*, *Bucerum*; *Calvinum*, *Muſculum*, *Bezam*; *Piſcatorem*,
c. LII. *Gomarum*, *Coccejum*, Car. *Molinæum*; *Caſtalionem*, *Druſium*, Iſ.
c. LIII. *Caſaubonum*, *Cameronem*, Jac. *Cappellum*; Lud. de *Dieu*, *Walæum*,
Al. *Morum*, *Pricæum*, *Knatchbullum*, *Lightfootum*, Matthæum deni-
que *Polum*.

c. LIV. Enarrat porro methodum *Arminii* & ſequacium, S. Epiſcopii,
c. LV. ac H. *Grotii*. Ex Antitrinitariis cenſoriam virgulam expedit in
c. LVI. Mich. *Servetum*, Bernardinum *Ochinum*; Fauſtum *Socinum*, Jo.
c. LVII. *Crellium*; Jonam *Slichtingium*, Jo. Lud. *Wolzogium*, Dan. *Brenium*,
Georgium *Enjedinum*.

Hactenus de *Latinis*. Agmen claudunt exegetæ *vernaculi*,
inter quos (præter Proteſtantes, levi admodum brachio perſtrictos,)
c. LVIII. eminent *Brucciolius* Italus, ac *Benedictus*, *Veronius*, *Godellus*, *Amelo-*
c. LIX. LX. *tus*, Galli; ut & auctores notarum ad verſionem *Montenſem* Portus
Regii, ab Ant. Arnoldo reviſarum.

Ex ſingulis his, veteribus juxta & recentioribus, excerpta non
pauca in medium adfert, quæ, juxta Theologiæ ac Philologiæ ſuæ
regulas, examinat, laudatque vel refellit, ut hinc tanquam ex ungue
leonem, cætera virorum exegemata cognoſcere ac mente concipere
valeas.

Digitized by Google

valeas. Verum his diutius immorari, inſtituti ratio non patitur. Et quæ de *catenis* Biblicis commentatum eſſe Simonem diximus, ad eundem ſcopum faciunt.

In præfatione fatetur Criticus noſter, de *concordiis* ſcriptorum *N.T.* (quarum multæ recenſendæ fuiſſent,) brevitatis ſtudio a ſe nihil omnino dictum. Id ipſum tamen alio tempore ſe præſtiturum pollicetur. *Critica diſſertatione*, volumini huic ſubjuncta, conſiderat diligentius editionem N. T. Græci *Romanam*, juſſu Urbani VIII. ad fidem XXII. MSCtorum recenſitam; varias lectiones Marchionis *de los Velez*; verſionem *Græcam* verſionis N. T. Latinæ *Vulgatæ*, tempore Innocentii III. R. P. exaratam, ac in tomis conciliorum Labbæi extantem; codicem *Alexandrinum*; præcipue autem MSCtum *Bezæ* Græco-Latinum, quod data opera ſeculo VI. ab impoſtore confictum adſeruerat Antonius *Arnaldus* in nuper edita diſſertatione peculiari, quodque Simon ex conſenſu Patrum, Cypriani, Origenis, Luciferi Calaritani, Hieronymi, probat antiquiſſimum eſſe, & complecti tum verſionem Italicam veterem, quam dein Hieronymus correxit, tum ipſum illum, quamvis multis modis temeratum, textum Græcum, ad quem olim Italica iſta compoſita eſt, cujus dein loco editio ab Origene emendata ab eccleſia in uſum recepta fuit.

COLLECTANEA CHYMICA LEYDENSIA, Maetſiana, Marggraviana, Le Mortiana &c. antehac collecta, digeſta, edita, a Chriſtophoro Love Morley, M. D. Anglo, nunc autem plurimis novis experimentis inſtructa & aucta, &c. per Theodorum Muykens, Med. Doct. Amſtelod.

Lugduni Batavorum, ſumptibus Cornelii Bouteſteyn & Frederici Haaring, 1693. in 8.

Conſtant plagulis 43.

LIcet in primam Collectaneorum horum editionem, novem abhinc annis divulgatam, *Carolus de Maëts* in *Prodromo Chymiæ Rationalis* calamum acerbe ſtrinxerit, prout *Supplement. Tom. I. p. 514.* Chemiam rationalem Maëtſianam commemorantes indigitavimus; Maëtſio tamen defuncto, ex diſcipulis ejus *D. Theodo-*

rus Muykens novæ eorundem eique præsenti editioni parandæ nondefuit. Quantum vero operæ, præter elegantiorem capitum dispositionem, hic commodarit, ut plenius intelligatur, propria Autoris • Præfamine verba huc transferre juvabit: *Collectanea hæc*, inquientis, *quantum potui, magis succincta reddidi, tautologias plurimas sustuli, multisq; novis operationibus & experimentis, partim a me visis & elaboratis, partim hic illic ex illis Autoribus excerptis nobilitavi, processus perplurimos ita contraxi, ut verba, etiam minimum differentia, intra hamulos inclusa, integrum supravacaneum processum indicarent & tollerent. Ea vero experimenta, mihi nondum rite perspecta, intacta & Lectori ulterius rimanda reliqui: aliqua correxi ex ipsorum Auctorum dictatis & scriptis, ita tamen, ut illorum opinionibus congrua evaderent; commentaria interspersa adjeci, forsan non ingrata Lectoribus futura, utpote majori illustrationi experimentorum inservientia.* Etenim fidem ab Editore nostro minime falli, quilibet posteriorem hanc cum priori editione collaturus promtissime advertet; processuum autem sive experimentorum superadditorum vice, essentiam absinthii compositam p. 2. Sal essentiale absinthii magis chymicum p. 5. Acetum philosophicum p. 10. Tincturam metallorum Dn. de Maëts p. 55. Balsamum Locatelli, p. 116. Cadavera condiendi methodum secundam & tertiam, p. 124. 125. Lapidem causticum p. 128. Oleum Camphoræ p. 133. Extracti Antivenerei processum secundum p. 223. Tincturam Lunæ p. 247. Oleum macis p. 251. Tincturam Martis aperientem, p. 267. Mercurium præcipitatum Solarem p. 300. Præparationem opii Helmontianam p. 354. deprehendet facillime.

LA GEOGRAPHIE VNIVERSELLE &c.

i. e.

Geographia Universalis, auctore Dn. De la Croix, Geographo Regio.

Parisiis apud viduam Cramoisianam, 1693. in 12.

Constat Alph. 2. pl. 12. & 9. plagulis figurarum æneārum.

EN novum Orbis Terrarum Compendium, cujus auctorem eundem esse, qui *Relationem de Imperio Ottomannico* a nobis Tomo I. Supplementorum pag. 519. memoratam, nec non *Descriptio-*

Digitized by Google

ſcriptionem Africæ in iisdem Supplementis pag. 531. recenſitam edidit, veroſimile habemus, nec affirmare tamen pro certo poſſumus. Præſens hoc opus in quatuor tomos diſtinctum eſt, quorum *primo* Generalia Sphæricæ & Coſmographicæ exhibentur, & ex Europæ regionibus, Hiſpania, Luſitania, Belgium, Sabaudia & Helvetia deſcribuntur: *ſecundo* enarrantur reliquæ, præter Galliam, Europæ ditiones: *tertius* Galliam ſolam ſiſtit: *quartus* Aſiam, Africam, & Americam complectitur. In rebus Gallicis, ut copioſior, ita & accuratior facile Auctor Lectori cuivis deprehendetur. In reliquis etiam diligentia ejus & docendi ſtudium eluceſcit, dum non contentus juſto paragraphorum contextu, unaque linearum ſerie, quæ diſcere Lectorem cupit, tradidiſſe; eadem juvandæ memoriæ cauſa in tabellas digeſta uni velut obtutui ſiſtit, additis & mappis geographicis, & figuris aliis, inſignia regnorum, incolarum veſtitum, & quæ ejus generis plura ſunt, repræſentantibus. Cæterum quod ſemel iterumque in Actis noſtris monuimus, in hoc ſcriptionis genere, ubi uno alterove volumine res prope infinitas complecti volumus, ab uno homine expectari aut poſtulari non poſſe, quod perfectum ſit & omni nævo deſtitutum: ita & in hoc opere deſiderari multa poſſe, eo minus diſſimulamus, quia Auctor ipſe, pro modeſtia ſua, ingenue in præfatione agnoſcit, neminem mortalium eſſe infallibilem, eoque & in hanc Geographiam ſuam irrepere errores potuiſſe, de quibus admoneri ægre non ſit laturus. Bona itaque cum ejus venia, notabimus paroramata quædam, in rebus Germanicis obiter & in tumultuaria libri perluſtratione a nobis obſervata; iterum iterumque proteſtati, nihil nos vel libri pretio, vel Auctoris exiſtimationi detractum cupere, neque dubitare, quin errata qualiacunque ab eo mendoſas forte relationes ſecuto, in iis quæ nobis domeſtica eoque rectius cognita ſunt, admiſſa, majori in rebus Gallicis, imo & Aſiaticis, Africanis & Americanis *ἀκριβείᾳ* abunde fuerint compenſata.

Parte I. pag. 136. Imperium Germanicum dicitur electivum fuiſſe, a tempore conditæ a Carolo IV Aureæ Bullæ, atque hanc ſanctionem injuſte & cum Franciæ detrimento (*avec injuſtice & contre les interêts de la France*) conſtitutam fuiſſe. Notamus primo, jam diu ante Caroli IV tempora, Imperium (ſic enim *κατ' ἐξοχὴν* merito vocamus Romano-Germanicum) fuiſſe electivum; etſi præca-

vendis inpoſterum diſſidiis turbisque civilibus, modum rationemque electionis perpetuo obſervandam Carolus IV prudentiſſimo conſilio definivit. Dein, cur Auctor Auream Bullam injuſtitiæ accuſare ſuſtinuerit, ne divinare quidem poſſumus. Deniq; per eam in Franciæ Regnum, cui alioquin Carolus IV juſto erat addictior, damni quid redundaſſe agnoſcimus, non aliunde tamen, quam quod inteſtinis Germanorum diſſenſionib9 remedium quæſitum eſt, quas ali potius omnique ſtudio foveri ſuſtentarique, & olim Galliæ interfuit, & hodienum curæ eſt. Pag. 139. Fœderatum Belgium ex *octo* provinciis conſtare perhibetur, quarum Delegati, *Status Generales Hollandiæ* appellentur. Septem provincias alii numerant, totidemq; ſagittis quas leo anteriore dextro pede complectitur, inſignia Ordinum Generalium repræſentari nemo ignorat. Auctori noſtro placuit Gelriæ Ducatum a Comitatu Zutphanienſi diſtinguere; unde octo ipſi natæ provinciæ. Sed male; cum Comitatus ille dudum Gelriæ partem ſeu tetrarchiam, ipſo agnoſcente Auctore, conſtituat. Status porro Generales non Hollandiæ, ſed Fœderatarum Provinciarum dici debebant. Alii enim ſunt Ordines ſeu Status Hollandiæ (unius nempe provinciæ, etſi reliquas omnes opibus facile æquantis) alii ſunt Status univerſi Fœderati Belgii ſeptem provincias fœderatas repræſentantes, *Generales* ideo dicti, & *Præpotentium* axiomate, a ſingularum provinciarum Ordinibus, qui Nobilium & Potentium titulo contenti ſunt, diſtincti. Pag. 142. duo dicuntur eſſe Archiducatus in Germania, Auſtriacus alter, alter Oenipontanus (*d' Inſprug.*) Nos non niſi unicum in Germania Archiducatum agnoſcimus, Auſtriacum nempe. Oenipons ne regionis quidem, nedum Archiducatus nomen eſt, ſed urbis, primariæ tamen in Comitatu Tirolenſi. Tametſi vero Archiduces Auſtriæ quidam e poſtgenitis aulam Oeniponte conſtitutam habuerint, uti hodie Auguſtiſſimi Imperatoris noſtri Sereniſſima ſoror, Michaelis Poloniæ quondam Regis, & Caroli Lotharingiæ Ducis vidua: inde tamen nec Oeniponti urbi, nec Tirolenſi Comitatui Archiducatus titulus accesſit. Pag. 141 Principes, qui ſeculariſatos, ut vocant, Epiſcopatus poſſident, uſurpare memorantur titulum *Adminiſtratorum*. At Rex Sueciæ non Adminiſtrator, ſed Dux Bremenſis & Verdenſis: Elector Brandenburgicus non Adminiſtrator, ſed Dux Magdeburgenſis, Princeps Halberſtadienſis, Mindenſis &c. ſalutantur.

Digitized by Google

tur. Pag. 145 Civitates Imperiales dicuntur gaudere in Comitiis Imperii duorum ſuffragiorum jure. Verum licet in duas claſſes, ſeu, ut loquuntur, ſcamna Civitates Imperiales diviſæ ſint, totidem tamen in Collegio Civitatum feruntur ſuffragia, quot ſunt civitates liberæ: perinde ac in Collegio Electorali tot numerantur vota, quot ſunt Electores, ac in Collegio Principum tot, quot ſunt Principatus; niſi quod in hoc Comites univerſi non niſi quatuor, Prælati minorum ordinum non niſi duobus votis gaudent. Pag. 157. ſecta Anabaptiſtarum perhibetur tolerari in pluribus Germaniæ locis. Conſtat vero, nonniſi Romano-Catholicos, Auguſtanæ Confeſſioni addictos, & Reformatos in Germania tolerari: Anabaptiſtas, ubi deprehenſi fuerint, Germania ejici. Pag. 182. quatuor in orbe Imperatores, Regibus nimirum dignitate ſuperiores, recenſentur, primus Francorum, alter Germanorum, Turcarum tertius, & quartus Moſcovitarum. Quam recte, viderint, quibus vel *Bæcleri* noſtri Diſſertationem de Sacro Romano Imperio, *Notitiæ S. R. Imperii* ſubjunctam, volupe fuerit perluſtrare. Sed bene eſt, quod inter Reges quoque Monarcham ſuum primo nominat loco, eumque nunc Imperatorem Francorum & Regem Chriſtianiſſimum, nunc Regem & Imperatorem Francorum vocitat: etſi num hæc talia ipſi potentiſſimo Franciæ Regi, pro ea qua eſt magnanimitate, probentur, valde dubitamus. Pag. 182 inter Duces Germaniæ refertur Vitembergenſis: idem paulo poſt Marchionibus accenſetur. Facile patet, Würtenbergicum Ducem innui, ſed inter Marchiones omitti debuiſſe; niſi forte typographicum hic interceſſit vitium.

Parte II. pag. 127. Bohemia, Sileſia & Moravia dicuntur nonniſi in Comitiis univerſalibus Imperio ſociari (*ne ſont qu' alliées à l' Empire dans l' Aſſemblée generale.*) Novimus diſceptari ſolere, num Rex Bohemiæ, cui Sileſia & Moravia junguntur, ſi accurate loqui velimus, inter *Status* Imperii referri debeat, cujus utique illuſtriſſimum membrum eſt, Electorali etiam dignitate præfulgens: ſed quicquid ſit de illa controverſia, quæ a logomachia parum abeſt, certe in publicis Imperii Comitiis, nec Bohemiæ, nec Sileſiæ, nec Moraviæ nomine Delegati unquam, cum jure quidem ſuffragii, comparent. Pag. 128 videas Bambergenſem Epiſcopum decimo tertio inter ſuffraganeos Archiepiſcopi Moguntini loco referri, & moneri tamen, & hoc quidem

dem recte, immediate illum Sedi, quam vocant, Romanæ ſubeſſe. Pag. 129. Archiepiſcopus Pragenſis unicum dicitur habere in Germania ſuffraganeum, Olomucenſem nempe in Moravia Epiſcopum; aſt ſex alios in Hungaria, Nitrienſem, Javarinenſem, Vaccienſem, Strigonienſem, Agrienſem, & Veſprinenſem. Sed palam eſt, nullos Hungariæ Epiſcopos Pragenſi Archiepiſcopo unquam fuiſſe obnoxios: ex iis autem, qui ab Auctore nominati ſunt, Strigonienſem eſſe Archiepiſcopum, & reliquos hujus eſſe ſuffraganeos. Cæterum præter Olomucenſem Epiſcopum, ſuffraganeum quoq; Pragenſis Archiep. in Bohemia habet Litomiſſenſem. Eadem pagina, inter Magdeburgenſium quondam Archiepiſcoporum ſuffraganeos primo loco Miſnenſis Epiſcopus collocatur. Conſtat autem, Miſnenſem Epiſcopatum olim immediate Sedi Romanæ, nulli autem Archiepiſcopo ſubjectum fuiſſe; unde hodieq; *ingenui* Præſulatus Miſnenſis nomen. Ibidem inter Archiepiſcoporum quondam Bremenſium ſuffraganeos irrepſit, dubium quo errore, Uratislavienſis Epiſcopus, cum Auctor ipſe eodem loco cum Gneſnenſi in Polonia Archiepiſcopo ſubjiciat. Pag. 130. inter Univerſitates ſeu Academias Germaniæ recenſentur & Elbinz, Neuſtad, Lavvingen, Meiſſen, Breslau: quæ quidem omnes nobis ignorantur. Sequitur pagina eadem & ſequentibus, decem Circulorum Germaniæ deſcriptio, ſed ea, quæ expurgationem diligentiorem, quam noſtri quidem inſtituti fert ratio, requirit. Pauca tamen notabimus. Pag. 130. inter circuli Auſtriaci Status, præter Archiducem Auſtriæ, memoratur etiam Archidux & Comes de Monfort. Archiducem Monfortium nullum plane novimus. Comites Monfortii noti ſunt, ſed hi ad Franconicum circulum ſpectant. In circulo Bavarico memoratur Palatinatus Neoburgicus, & dein quibusdam interjectis, iterum Dux Neoburgicus. Aſt non niſi unicus in Bavaria Principatus eſt Neoburgicus, quem Elector Palatinus poſſidet. Pari errore in circulo Franconico recenſetur Comitatus Hennebergicus, & poſtea ſeparatim Principatus Hennebergicus: cum tamen nonniſi una ſit hujus nominis provincia, quæ Comitatus eſt, ſed Principatus axiomate decorata. Similiter cum jam Burggraviatus Noribergenſis nominatus eſſet, interpoſitis haud paucis, memorantur Marchionatus Culmbacenſis & Onoldinus: qui quidem lapſus eo facilius condonabitur Auctori, quia & e noſtratibus.

Digitized by Google

tibus quidam Marchionatus hoſce a Burggraviatu Noribergenſi diſtinguunt. Spectant autem revera Culmbacenſis & Onoldina ditiones ad Noribergenſem Burggraviatum, avitum Domus Brandenburgicæ in Franconia patrimonium ; neque recte Marchionatus nomine appellantur, etſi eas Principes e Domo Brandenburgica progeniti, & ſic gente Marchiones, poſſideant. Ibidem Rotenburg, Winsheim & Suinfurtum vocantur Baronatus (*Baronies*), quas conſtat eſſe urbes Imperiales. Præpoſitus Elvvangenſis ad Franconicum circulum hic refertur, qui ad Suevicum referri debebat. Pag. 131. in circulo Suevico mireris Ducatum Würtenbergicum, & Principatum Stutgardienſem velut diverſos nominari ; cum Stutgardia non niſi urbs ſit, quæ ſedem Ducibus Würtenbergicis præbet. Tubingenſis Comitatus ſeparatim, ſed excuſatius, memoratur, quia Comitatus is olim extitit, etſi dudum pars Ducatus Würtenbergici cenſeatur. Sed piget referre plura, cum vel ex his pateat, quam parum fidi poſſit ſeu generatim Geographicis hujusmodi compendiis, ſeu ſpeciatim in rebus Germanicis præſenti huic noſtro.

L. BEGERI SPICILEGIVM ANTIQVITATIS.

Coloniæ Brandenburgicæ, typis Ulrici Liebperti, A. 1692.
in folio.
Conſtat Alphabeto gemino & Figuris æneis quamplurimis.

CLariſſimus vir, *Laurentius Begerus*, Potentiſſimo Electori Brandenburgico a Conſiliis, Antiquitatibus & Bibliotheca, poſt alios fœcundi ingenii fœtus, (de quibus in Actis Eruditorum A. 1685. p. 271. & A. 1691. p. 505. dictum fuit,) nuper admodum literato orbi exhibuit *SPICILEGIVM ANTIQVITATIS, ſive, variarum ex antiquitate elegantiarum, vel novis luminibus illuſtratarum, vel recens etiam editarum, faſciculos quinque.*

F. I.

Primus complectitur Numiſmata XXII. Heic inter alia detexiſſe ſe putat vultus *Eumenis*, Chiorum herois, *Phintiæ*, Agrigentinorum tyranni, *Acragantis*, eorundem heroinæ, *Naupliique*, Eubœæ regis. Sed & argumenta inde quæſivit, deducendi origines *Amorginorum* a Samiis, *Chiorum* a Cretenſibus, *Coorum* ab Argis, *Chalcedonenſium* a Megarenſibus. Rationes indagat, cur ſignarint in nu-

n. 1.
2.
14.
15.
5.
6.
7. 12.

Digitized by Google

11.4 in numiſmatibus *Syri* arietem cœleſtem, *Epirotæ* bovem cornupetam, 9. *Rhodii* uvam & ollulam, *Cythnii* canem venaticum & faculam, 10.11. *Opuntii* hydriam, *Biſaltii* fœminam cum telo equo adſiſtentem ſive 16. Minervam Hippiam, *Thebani* ſcutum, *Caryſtii* gallum, *Samii* caput 17. 18. Veneris, itemque Anchiſæ cum ea concubitum. Differit de *aquilis* 19.20. in tectis ſacrarum ædium. Dubitat, an Harduinus *Colchos* in nu- 21. 22. miſmate Goltziano in *Golgos* Cyprios mutandos recte cenſuerit. 3. In Syracuſanorum numo non, ut Golzius fecerat, ΕΠΗΚΕΤΑ legit, 8. verum: ΕΠΙ ΙΚΕΤΑ, *ſub Iceta*, qui quidem Leontinorum tyrannus, 13. at Syracuſanus origine, & contra Dionyſium juniorem a Syracuſanis evocatus fuit.

Faſc. II. In Faſciculo *altero* habes *gemmas* XV. Facile illic agnoſces 3. figuras *Neptuni*, *Daphnes*, *Bellerophontis*, *Dædali*, *Cliæ*, *Centauri*, 12.13. 11.15. *Pegaſi*, *Scorpii* cœleſtis. Rarior eſt Sardius, *Nympham* repræſen- 9.1.8. tans, floribus cornucopiæ replentem. Item Jaſpis geminus, ubi 2. *gallus*, *temo*, *cornucopia*, *delphinus* adumbrare videntur Begero, quod 7. ad maris terræque & regimen & felicitatem vigilantia requiratur. 10. Singularis eſt gemma, qua ſcenici *Bacchanaliorum* luſus exprimun- 14. tur. Onychi inciſus *homo* nudus, dextra *caput humanum*, ſiniſtra *ligonem* tenens, monumentum eſſe putatur capitis humani in fundamentis templi Capitolini reperti. 5. Nec adſpectu injucundi ſunt *quatuor oculi decem faciebus perfecte delineatis ſufficientes*, Sardio inciſi. 4. At omnium maxime Oedipo eget Chalcedonius ovalis inciſus, hinc Numen exhibens incognitum, cum epigraphe nondum intellecta: ΔΕΙΑCVΡΙΧΑΤ ΡΑΓΑΓΕΤCΣ ΑΠ; illinc ædem *Semeles*, cum inſcriptione: ΣΗΜΕΛΗΝ ΤΡΕΜΟΥΣΙΝ ΔΑΙΜΟΝΕΣ, *Semelen tremunt dæmones*.

6. Æque obſcura eſt inſcriptio Sardio alii inciſa. In altera enim parte extant literæ: C. GL. C. F. In averſa autem:

LVCVS EL
VI SACR IN
AE FIL

Præter alias conjecturas, hac gemma Begerus noſter exiſtimat innui fortaſſis, quod Cajus GLeſidius Caii Filius LVCVM ELegerit VIa SACRa IN AEdibus FILii.

Faſc. III. Faſciculo *tertio* Begerus deſtinavit inſcriptiones veterum lapidum

Digitized by Google

pidum XXXVIII, e ſchedis Pighianis depromptas, partim non accurate ſatis a Grutero, Reineſio, Sponio, Boiſſardo, aliisque deſcriptas, partim nunc primum evulgatas. Nimis longum foret, ſingulas recenſere. Seligamus ſpeciminis cauſſa decimam ſextam, quæ reperta dicitur in Capitolio ad arcem ſub ſtatua Triformis Deæ:

ΔΑΙΜΟΝΙ. ΠΕΡCΕΙΗ. ΠΟΛΥΜΟΡΦΩ. ΜΕΙΣΟΠΟΝΗΡΩ.

Addamus explanationem Begerianam; *Stephanus ita habet:* Πέρσα, πόλις θηλικῶς ἀπὸ τῶ Εὐφράτη καὶ Σαμοσάτοις. Τὸ ἐθνικὸν, Περσαῖος. Perſa, urbs, fœm. gen. juxta Euphratem & Samoſata. Gentile, Perſæus. *An hinc* Dæmonem Perſeiam *denominatam arbitrabimur? An quod urbs illa ad Euphratem ſita, Euphrates autem celeberrimus Meſopotamiæ fluvius fuit, ſub vocabulo μισοπονήρω Heroem Meſopotamiæ intelligemus? Nihil video, quod propius accedat. Infirmitate tamen ſua conjecturam laborare, haud invitus agnoſco.* Hactenus ſagaciſſimus antiquarius. Sed quum Dea triformis ſit illa, quæ in cœlo *Luna*, in terris *Diana*, apud inferos *Hecate* nuncupatur, ſtatua hoc verſu eidem Numini ſacrari videtur, quatenus id Dianæ *Perſicæ* obtinebat titulum, de quo, poſt Barn. *Briſſonium* de Princip. Perſarum p. 162. fuſe egit Petrus *Seguinus* in ſelectis numiſmatibus antiquis p. 10. Δαίμων enim utriusque ſexus eſt; Περσείη ob metrum poni credideris pro Περσίη vel Περσία, quod ejusdem formæ eſſet ac Πάρθος, pro Πάρθος, apud Anacreontem & Stephanum Ἐθνογράφον. Quemadmodum & Dea hæc πολύμορφος ſeu *multiformis*, (h.e. triformis) proſodiæ gratia pro μισοπονηρῶ dicitur μισοπόνηρος, *malos peroſa*. Quadrat id nominis in Triformem noſtram, non tantum, prout *Hecate* eſt ac *inferorum Dea*; ſed &, quatenus, dum *Diana* audit, in malos deſævire prædicatur Callimacho, hymno in Dianam, verſ. 121. ſeqq.

- - - τὸ τέτρατον οὐκέτ' ἐπὶ δρῦν
Ἀλλά μιν εἰς ἀδίκων ἔβαλες πόλιν, οἵτε περὶ σφέας
Οἵτε περὶ ξείνους ἀλιτήμονα πολλ' ἐτέλεσκον.
Σχέτλιοι, οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν.
Κτηνεά φιν λοιμὸς καταβόσκεται, ἔργα δὲ πάχνη.
Κείρονται δὲ γέροντες ἐφ' υἱάσιν· αἱ δὲ γυναῖκες
Ἢ βλητὰι θνήσκουσι λεχωΐδες, ἢὲ φυγοῦσαι
Τίκτουσιν· τῶν δ' οὐδὲν ἐπὶ σφυερὸν ὀρθὸν ἀνέσῃ.

id est, ex versione Bonav. Vulcanii:

- - - Quartam (sagittam) *non arbore figis,*
Urbe sed injusta, quæ cives & peregrinos
Lædit, iniqua patrans. Miseros o terque quaterque,
In quos, Diva, tua pondus desæverit iræ.
Horum armenta lues populatur, grando labores,
Et tonsi lugent natos patres. Sed & ipsis
Matribus, exitio si non est, accidit ægris
Partus in exilio, prolesque est morbida & ævi
Perbrevis.

Fasc. IV. Fasciculo *quarto* producuntur *Toreumata*, sive tabulæ marmoreæ, anaglyptico opere exsculptæ. Repræsentantur heic gesta ac fata *Jasonis* & *Medeæ*, *Pelei* & *Thetidis* nuptiæ, incunabula *Pythagoræ*, *Cephali* & *Procridis* amores, *Cleobis* & *Bitonis* in matrem pietas, *Romuli* & *Tatii* fœdus. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Fasc. V. Quinto denique Fasciculo colligitur Statuarum quadriga, *Herculis* puta cum *ceto*, *Apollinis* cum *cygno*, *Bacchi* coronam hederaceam sibi imponentis, & *Fœminæ*, quam collatis numismatibus, *Juliam* Augustam, Sept. Severi conjugem, esse judicat clarissimus Auctor.

TAB. II. Fig. 1. Cæterum ne plane nihil ex hoc Spicilegio in Acta nostra derivemus, gemmam hic exhibemus, chalcedonio incisam, quam omnium maxime Oedipo egere supra innuimus.

SELECTA NVMISMATA ANTIQVA; EX MVseo Jacobi de VVilde.

Amstelodami, sumptibus auctoris, A. 1692. 4. Plag. 30. cum tab. æn. 30.

NItidum hoc opus gemina parte absolvitur. Prior *REGES* complectitur; posterior *REGNA*. In illa familiam ducunt *Amyntas* & *Philippus* Macedones. In utriusque honorem numos æreos, nulli ante Wildium antiquario memoratos, signarunt (ΠΥΔΝΑΙΟΙ,) *Pydnenses*, ac in altera quidem area caput regis leonina pelle tectum, in altera autem aquilam, quæ serpentem calcat, expresserunt. *Tab. III. n. 19.* æneo, quem hic sistimus, occurrit numus, cujus aversa exhibet *galeam* & *literas* ΒΑΣΙ (Βασιλέως), altera vero facies *Monogramma* Wildio ignotum & pro Alexandri nomine habitum, sed quod, accuratius si intuearis, *Demetrio* forte tribuendum arbitraberis.

TAB. II. Fig. 2.

Digitized by Google



Fig. 2.

3
is
ii
ſi
e-
o
i-
i-
e-
&
i-
n-
o-
a- *TAB. II. Fig. 3.*
ra
p-
m
ef-
b-
m
io,
is.
ca *TAB. II. Fig. 4.*
Al
to
: *v*
en
er-
em.
or-
bis
n.
in-
E.
y, *TAB. II. Fig. 5.*
or-
o-
lia

Digitized by Google

12
id

Fasc. IV.

mo

1. 2. ac

3.4.5. *Py*

6. tre

Fasc. V.

He

rac

Jul

Au

TAB. II.

Fig. 1. mu

ma

SÆ

Am

ære

(IIT

pell

runt

TAB. II. fa e

Fig. 2. *nog*

quo

deris.

Digitized by Google

beris. Regum ultimus est Herodes *Agrippa* junior, quem clarissimus Auctor ad *tertium* usque *Trajani annum* superstitem credidit, *Photii* auctoritate inductus; cum tamen Henricus *Dodwellus* egregie, si quid judicamus, vulgarem illam sententiam everterit, Photium emendarit, ac Agrippæ mortem cum anno Vespasiani patris tertio combinaverit, in notis ad Joh. *Pearsonii* dissertationem II. posthumam de annis priorum Romæ episcoporum p. 173. Hactenus numi XXXI *Regum*, primum voluminis tomum constituentes. Sequuntur in altera classe REGNA, ut vocat Wildius, sive *regiones & urbes*, quæ numis CXX illustrantur, maximam partem sub Imperatoribus Romanis percussis. Non desunt tamen, quos antiquiores esse censeas. Exempli loco sit numus, quem & hic exhibemus, totius collectionis *septuagesimus secundus*, ubi altera area repræsentat caput laureatum, *Mercurii* scilicet, juxta Wildium, adjacente caduceo. In altera stat juvenis sertum sibi imponens, pelle amictus, quem *Apollinem* appellat Noster, tametsi *Bacchus* eodem fere corporis habitu ac situ non raro in numis visatur. Adjecta est epigraphe: ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ, (*Thessalonicæ*, in Macedonia,) et *Monogramma*, in quo literas ΠΥΡ non obscure agnoscimus, adeoque parum abest, quin *Pyrrhi* Macedonum Regis esse autumemus. Sed quoniam de eo tacere visum est *Wildio*, nos, ejus exemplo, ab audacioribus nobis temperamus conjecturis. *TAB. II. Fig. 3.*

At quando *numo 145*, qui in tabula nostra quarto loco comparet, circa capita Titi & Domitiani inventam epigraphen ΔOMITIANOC KAI TITOC ATTOKPA, legit: Δομιτιανὸς καὶ Τῖτος Αὐτοκράτωρ, certo certius est, legendum fuisse Τῖτος (nisi forte monetarius oscitanter υ pro ι scalpsit,) Αὐτοκράτωρ, Δομιτιανὸς Καῖσαρ. Cum enim nomen Domitiani Tito præponi præposterum insolensque sit, apertum est, KAI non *copulam* esse in hoc Smyrnensi numo, sed *nomen*. *TAB. II. Fig. 4.*

Ultimum numorum par, superpondii loco ac extra ordinem adjectum, raritate nulli concedit, dignum ideo nobis visum, ut in Actis quoque nostris locum haberet. Etenim *centesimus quinquagesimus secundus*, isque argenteus, diademato insignitur capite Regis, cujus nomen legitur in aversa: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΑΡΝΑΚΟΥ. Ubi etiam extat, (ut Wildius ait) *Bacchus* παίδεος, muliebri habitu, læva retinens *Mercurii* caduceum, *Fortunæque* cornu copiæ: dextra vero racemos, quos alludens lambit tigris, appositis, supra verticem & ad humerum dextrum, *Jovis* fulmine, & *Solis* *TAB. II. Fig. 5.*

TAB. II. Fig. 6. *Lunæ*que notiſſimis aſtris. *Centeſimus quinquageſimus tertius*, hinc nudum caput oſtentat, cum inſcriptione: *IMP. M. OTHO CAES. AVG.* illinc, intra lauream, literas binas *S. C. Æreus* eſt ac ſecundi moduli, ſed *genuinus* omnino, ac, (quæ *Poſſeſſoris* verba ſunt) *valore & pretio nummorum qualiumcunque ingentes acervos ſuperans.*

Accedunt tabulis his numiſmatum XXV. æri inciſis collectanea perpetua veterum analectorum, quæ quidem nec alios antiquarios fugerunt, neque tamen non repetenda fuere, ut numi hi, quorum plerique rariſſimis jure merito accenſentur, luce neceſſaria perfunderentur. Nec abs re adjiciuntur *Mappa Geographica*, ea tantum locorum nomina ſiſtens, quæ in numismatibus hiſce offendas, itemque *Gazophylacii* Wildiani *Schema exterius*, ut & *index rerum.*

LVCII CAECILII FIRMIANI LACTANTII DE Mortibus Perſecutorum, cum notis Stephani Baluzii, Editio II. Acceſſerunt Gisberti Cuperi, Jo. Columbi, Thomæ Spark, Nicol. Toinardi, Jo. Georg. Grævii, Thom. Gale, Eliæ Boherelli aliorumque Animadverſiones, tam hactenus editæ, quam inéditæ. Recenſuit, ſuis auxit, cum verſionibus contulit PAVLVS BAVLDRI.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Franciſci Halma. 1692. in 8. Conſtat plag. 53.

INter egregia illa atque celeberrima lumina, quæ ſeculo a nato Redemtore noſtro quarto in Eccleſia eminuerunt, graviſſimis pro Chriſtiana religione ſcriptis illuſtria atque conſpicua, nemo neſcit, floruiſſe etiam *Lucium Cæcilium Lactantium Firmianum*, præter cæteras dotes, quas egregias habuit, Marcum Tullium Ciceronem ſermonis elegantia imprimis referentem. Quamvis enim Patrum doctiſſimo errores haud ſane leves hinc inde adhæſerint, quod maximis etiam e ſanctis Patribus viris contigiſſe videmus; quamvis & ipſe non pari ſemper judicii ſoliditate rationibusque idoneis veritatem divinam contra profanas ſeculi ſuperſtitiones aſſertum iverit: nemo tamen inficiari jure poterit, operam ejus hoc fine ſuſceptam, & olim utilis-

Digitized by Google

utiliſſimam fuiſſe, & nunc quoque maximi ab omnibus faciendam. Unde etiam factum opinamur, quod *libri ſeptem* ſub *Divinarum Inſtitutionum* appellatione ab eodem conſcripti, & aliæ quædam ejus lucubrationes, poſt inventam ſtatim typographiæ artem, tum Romæ, tum alibi locorum, inter prima literariæ reipublicæ monumenta excuſæ fuerint. Quemadmodum varias *Lactantii editiones* anno 1685 menſe Junio pag. 265 & 266. & nos recenſuiſſe meminimus, quibus nunc ſatis antiquam, Venetiis A. 1515 elegantiſſimis Aldi characteribus impreſſam, adjicere inſuper poſſumus. Iſto autem in loco induſtriam inſimul illorum commendavimus, qui vel emendando vel illuſtrando Patrum diſertiſſimo ex viris eruditione clariſſimis incubuerunt. Interim noſtris his temporibus ad elegantiſſima opera Lactantii jam typis exſcripta inſigni *de Mortibus perſecutorum* libello acceſſio facta eſt, quem *Stephanus Baluzius*, ut in omni eruditionis parte, ita in antiquitatibus imprimis eccleſiaſticis verſatiſſimus, anno 1679 cum *ſecunda Miſcellaneorum parte* primo omnium publici juris fecit, poſtquam per annos mille & ultra in abſcondito latuiſſet, hoc ipſo de orbe literario præclare admodum meritus. Uti enim Vir iſte eruditiſſimus haud uno ingenii monumento antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudioſos jam pridem ſibi reddidit devinctos, ita novum hoc ipſo profundiſſimæ doctrinæ, acerrimi judicii & indelibati ac ſinceriſſimi candoris ſpecimen edidit. Quem enim librum de hortendo perſecutorum exitu agentem ſupprimere, aut tenebris ſuis involutum deſtituere poterat, (maxime cum fere ſectæ illius, cui addictus eſt, indoles ad crudeliſſimas perſecutiones ferri ſoleat, cujus rei etiam paulo poſt in ipſo Galliæ regno admodum funeſta exempla ſuppeditavit;) ipſe tamen cariſſimum antiquitatis monumentum in manibus potius omnium verſari maluit. Eſſe vero librum hunc genuinam *Firmiani Lactantii* ſobolem, tam multa tamque manifeſta putat adeſſe argumenta, ut res extra omnem controverſiam poſita eſſe videatur. Nam dictionem ipſam Lactantianam plane eſſe, quod a peritis rerum æſtimatoribus facile agnoſci poſſe exiſtimat, & ipſe in notis allatis ex Lactantio locis, ubi eadem dicit, pulchre ac eleganter adſtruit; & auctorem opuſculi Virgilianos aliquando verſiculos, quod in more etiam poſitum habet Lactantius, interſerere. Quorſum denique ipſius *Hieronymi* accedat auctoritas, inter Lactantii opera li-

brum *de Perſecutione* in *Catalogo Virorum illuſtrium* commemorantis, qui nullus ſit alius, quam qui de Mortibus Perſecutorum hoc loco exhibeatur. Neque eſſe, quod titulus aliquem moveat libri in Manuſcripto LUCII CECILII nomen præferentis, quaſi diverſus ipſe a *Lactantio* ſit, qui *Cælius* vulgo dicitur: nam quamvis iſtud nominis pleræque editiones excuſæ in frontiſpicio gerant, poſteriores præſertim; præterquam tamen quod inveniatur editio Romana anni MCCCCLXX, quam curavit *Jo. Andreas* Epiſcopus Alerienſis, ubi auctor vocatur ſimpliciter *Lactantius Firmianus*, ipſum in codice 1975 Bibliothecæ Colbertinæ *Lucium Cæcilium Firmianum Lactantium*, & in Bibliothecæ régiæ codice 3736 *Cæcilium* diſerte appellari. Quod autem in manuſcripto codice *de Mortibus Perſecutorum* verum Lactantii nomen prætermiſſum ſit, id ait ex oſcitantia librarii eveniſſe, qui pro ultimo, quod proprium erat, id imperite delegerit quod primo occurrebat. Subſcribimus rationibus doctiſſimi Viri, cum quo tot alios viros præſtantiſſimos conſentire videmus, cum tantam veri ſpeciem præ ſe ferant, quanta ad probabilia plerumque ſufficit. Interim aureum opuſculum eſſe, plurimumque referre, quod in dias luminis auras prodierit, certiſſimum eſt; cum rebus plurimis, obſcuris alioquin & intricatis clariſſimam lucem affundat, &, quæ incertæ antea atque dubiæ erant, certiſſimam fidem conciliet.

Quæ non a multo jam tempore *de Petro Romæ Epiſcopum agente* eruditorum contentiones extitere? aliis eundem Romam vidiſſe, plane negantibus; aliis & quidem longe pluribus, ob conſenſum antiquitatis fere univerſalem, fatentibus id quidem, ſed de tempore, tum apud ſe adhuc ambiguis, tum ab aliis invicem mirifice diverſis. Et plerosque quidem Pontificis Romani partes foventes aſſeverare videas, Petrum jam anno Claudii ſecundo Romam veniſſe, quod *Baronius in Annalibus* ad annum Chriſti XLIV. n. 13. omnium teſtimonio certum exploratumq; haberi affirmat; in quo licet fallatur, *Euſebium* certe *in Chronico* habet præeuntem. Sed iſtam ſententiam ipſe fatetur *Valeſius* in notis ad *Euſebii* H.E. lib. II. c. XVI, ex Actis Apoſtolorum refelli, ex quibus manifeſtiſſimum eſt, Petrum in Judæa Syriaque usque ad ultimum annum Agrippæ Regis ſemper manſiſſe, qui cum Petrum Hieroſolymis in vincula conjeciſſet, paulo poſt, annotante id divo Luca in Actis, ſubitanea morte percuſſus interiit. Cum vero

anno

Digitized by Google

anno Claudii quarto, ut pariter inter auctores convenit, Agrippa extinctus ſit, Petrum ante id tempus Romam non acceſſiſſe, certiſſime inde conficitur. Hæc omnia cum tantæ difficultati ſint obnoxia, in eas conjecturæ iſtius patroni anguſtias redacti ſunt, ut geminam Petri in urbem Romam profectionem comminiſci opus habuerint, quarum una Claudio adhuc in vivis exiſtente, altera ſub principatu Neronis peracta ſit, & duplex itidem Petri cum Simone Mago certamen, ex quibus unum, cum priori vice, alterum cum poſteriori Romæ adeſſet, habuerit. Sed cum a nullo veterum aliquid hujusmodi in literas relatum ſit, facile, quam non conſiſtere hæc poſſint, rerum harum periti æſtimatores pervident. Unde autem adeo frequens tum apud veteres nonnullos, tum apud plurimos recentiores, opinio de XXV annis, Petro in ſede Romana ſedenti attributis enata ſit, haud abſurde & difficulter vel inde aliquis conjicere poſſit. Nimirum ait *Lactantius*, *Cap. II.* hujus opuſculi, Apoſtolos in univerſum omnes, prout iisdem Matthias & Paulus adjuncti fuerunt, poſt *mortem Magiſtri Domini, ex ejusdem juſſu atque imperio, per annos XXV, usque ad principium Neroniani imperii, per omnes provincias & civitates eccleſiæ fundamenta miſiſſe*; quæ ſine dubio pervulgata olim fuit opinio. Ex iſtis igitur XXV annis, ad prædicationem omnium Apoſtolorum æqualiter pertinentibus, conſentaneum eſt enatam eſſe ſententiam, ſolum Petrum per integrum hoc temporis ſpatium Romæ egiſſe Pontificem. Sed omnem de adventu Petri in urbem, deque illius tempore controverſiam dirimit *Lactantius*, *Petrum* hoc ipſo capite referens, *cum jam Nero imperaret, Romam advenisse, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei, data ſibi ab eo poteſtate, faciebat, convertiſſe multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele ac ſtabile collocaviſſe.* Mirum vero eſt, hoc jam olim, cum nondum de iſto *Lactantii* loco auditum quicquam ei aut viſum eſſet, ad Joh. XVIII. 31. dicere *Joſephum Scaligerum* occupaſſe, *certo certius eſſe*, inquientem, *a Chriſti in cœlum receptu ad quartum annum Neronis Romam non veniſſe.* Quanquam doctiſſimus *Bauldri*, cui elegantiſſimam hanc debemus editionem, in præfatione operi præmiſſa, locum ex *Martyrio Dionyſii Areopagitæ* per *Methodium*, aut quemadmodum alii malunt, per *Metrodorum* conſcripto allegat, unde hæc ipſa de Petro ſententia haberi poteſt. *Anno* enim (ita verba ſonant)

octavo

octavo & octingenteſimo poſt natam Romam, cum imperium adeptus eſſet Nero Cæſar, quintus ab Auguſto, beatus Petrus Apoſtolus cum aliis etiam Apoſtolis miſſus, qui Evangelium univerſo orbi prædicaret. Is poſt multos annos prædicationis ſuæ, ſuprema urbe Roma occupata & delecta, ibi divinitus prædicandi munus accepit. Et poſt aliqua interjecta: *Deinde tyrannus & impius Nero, qui ſe tyrannidi ſuæ terram & mare ſubacturum ſperaret, furore crudelitatis ſuæ, vique amentiæ in rabiem adactus in Chriſti ſervos exarſit, ac* QUARTO DECIMO TYRANNICI IMPERII SUI ANNO BEATOS PETRUM ET PAULUM INIQUA MORTE CONDEMNAVIT.

Ita jam olim a *Cornelio Tacito Annal. Lib. XV. cap. XLIV.* traditum, & a *Sulpicio Severo* Lib. II. cap. XXIX. repetitum fuit, Neronem, ut rumorem, qui inceſſerat, ac ſi ſuo juſſu urbs Roma incenſa, maximam partem conflagraſſet, aliquo modo aboleret, Chriſtianos ſubdidiſſe reos, quæſitiſſimisque pœnis affeciſſe. Sed *Lactantium* noſtrum allegato capite videmus inſanum hunc furorem ipſimet religioni adſcribere. *Re*, inquit, *ad Neronem delata, cum animadverteret non Romæ modo ſed ubique cotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam damnata vetuſtate tranſire, primus omnium perſecutus Dei ſervos Petrum cruci affixit & Paulum interfecit.*

Inſignem pene omnibus auctoribus præ ſe ferre animi magnitudinem viſus eſt *Diocletianus* Imperator, cum ab imperio ſponte abiret, & in privatam concederet perſonam, quaſi qui ſibi jam virtutique victurus liberius eſſet. Sed hæc quidem falſa ſpecies penitus per ea, quæ *Lactantius Cap. XVII. XVIII. XIX* diſſerit, evaneſcit, ex quibus conſtat, Diocletianum, poſtquam anno fere toto ægritudine contabuiſſet, dementem denique certisque horis inſanientem factum, & hac ratione a *Galerio Maximiano*, ut imperio cederet, coactum fuiſſe, qua tamen ſuprema poteſtate diu ſe exuere noluerit, *indecens ſibi eſſe pronuncians, ſi poſt tantam ſublimis faſtigii claritatem in humilis vitæ tenebras decideret, & minus tutum, quod in tam longo imperio multorum ſibi odia quæſiviſſet*; ita ut hæc imperii abdicatio non animo *Diocletiani* modeſto, & Philoſophia ſublimiori imbuto, ſed ambitioni ipſius generi *Maximiani*, ſupremo culmini imminentis, & imperium habere potius quam expectare cupientis, attribuenda veniat.

Vel

Digitized by Google

Vel ex iſtis igitur ſpeciminibus ſatis, credo, apparebit quanti ſit, quod liber pulcherrimus nunc publice extet, ac ab omnibus evolvi poſsit. Et iſta etiam in cauſa fuere, ut ſtatim ac a Baluzio editus eſſet, tam multi eruditionis laude clariſsimi Viri ad eundem vel emendandum vel commentationibus doctiſsimis illuſtrandum ſe conferrent. Non jam dicemus, Baluzium ipſum, ut tanto commendatiorem nobis redderet theſaurum iſtum, notas exquiſitiſsimas eidem comites addidiſſe. Vel *in Actis his noſtris* illorum ſæpe mentionem faciendi occaſio fuit, qui de eodem opere præclare meriti fuerunt. Ita enim anno *1685. pag. 265. Th. Sparki Oxonienſem*, & eodem anno *pag. 584. Jo. Columbi Aboæ* excuſam, & mox *pag. 585. Cantabrigienſem* editionem recenſuimus. Fuerunt etiam Viri docti, qui de eodem libro in patrium idioma transfundendo fuerunt ſolliciti, quos inter præclarum operæ pretium *Malacrucius Canonicus Rhemenſis* præſtitit, qui uti alias nitidiſsimas verſiones adornavit, ita hunc libellum in linguam Gallicam ſcitiſsime convertit, & poſt hunc Reverendiſsimus nunc temporis Epiſcopus Sarisberienſis *Gilbertus Burnetus*, qui Anglice tractatum hunc loqui docuit, præmiſſa eidem elegantiſsima eaque prolixiſsima præfatione de perſecutionibus in genere, tempori, quo ſcribebat, imprimis accommodata; ad quam verſionem A. 1687 nova Gallica verſio concinnata Ultrajecti prodiit. Ut autem, quæ ad libellum melius intelligendum magisque exornandum quoquo modo faciunt, ſimul habeantur, effecit clariſsimus *Paulus Bauldri*, qui primo hoc ingenii monumento favorem publicum aucupari voluit, atque, ut non dubitamus, obtinuit. Et nihil profecto, quod ad ſplendorem ei conciliandum pertinet, facile prætermiſit. Textum ad Pariſienſem primam editionem ſine ulla variatione renovatam exhibuit; notas varias, quascunque modo reperire potuit, aut quas propria ei ſuppeditavit lectio & ingenium, vel textui ſubjecit, breviores nimirum illas, aut ſaltem non longiores quam ut commode ſubjici poſſent; vel in partem peculiarem ſepoſuit, illas nimirum, quæ fuſiores excurſus philologicos comprehenderent, vel aliquam auctoris difficultatem preſsius diſcuterent, quales ſunt Stephani Baluzii, Gisberti Cuperi, Nicolai Toinardi. Nec verſiones antea nobis memoratas cum textu, ubi clarius rem exprimere videbantur, conferre intermiſit. Addidit denique Henrici *Dodwelli*

Digitized by Google

dissertationem de ripa striga, cujus cap. XVII. facta fuerat mentio, nec non *Theodori Ruinarti præfationem generalem in Acta Martyrum.*

LA VIE DE MONSR. DES-CARTES, REDVITE EN ABREGE'.

i. e.

Vita Carteſii in compendium redacta.

Pariſiis, apud viduam Cramoyſianam, 1693. in 12. Plag. 15.

EDiderat Lutetiæ Pariſiorum anno 1691 vitam Carteſii vaſto volumine deſcriptam, & a nobis in Actis anni 1692. pag. 281. recenſitam, clariſſimus *Bailletus.* Cum vero ſecum reputaſſet, majorum paulo operum lectionem tædioſam plerisque accidere, quibus ſeu otium ſeu patientia deeſt: ut his quoque conſuleret, ipſemet in compendio vitam Carteſii exhibere præſenti in opuſculo voluit, quod parvo temporis ſpatio perlegi a quoque poteſt. Eundem autem ordinem librorum ac capitum in hac Synopſi tenuit, quem in majori opere obſervaverat: nec aliud, quod moneamus, ſuppetit, cum de Carteſio in Actis l. c. dixerimus, quantum pro inſtituti noſtri ratione ſufficere viſum fuit. Rogamus autem hac occaſione Benevolum Lectorem, ut quod in illum recenſum noſtrum irrepſit erratum, corrigere haud gravatim velit. Nimirum pagina 283, linea 15, mater Carteſii Claudia Ferranda fuiſſe perhibetur; quæ tamen non matet ejus, ſed avia extitit, Petri Carteſii uxor: matrem vero Renatus noſter habuit Johannam Brochardam. Itaque pro *Claudia Ferranda*, legendum *Johanna Brocharda.*

CONFVTATIO LIBELLI ANONYMI, CUI TITULUS, *Les Sentimens &c. de Monſeigneur L'Archeveque de Malines*, per Didacum de Oropega Lovanienſem Theologum &c.

Coloniæ Agrippinæ apud Wilhelmum Frieſſem, A. 1691. in 8.
Conſtat plagul. 8.

AUtoritas Pontificii Tribunalis, quanticunq; illa fiat, & pro neceſſario ac unico remedio retinendæ pacis & unitatis in eccle-

ſia,

Digitized by Google

ſia, à cultoribus & propugnatoribus ſuis habeatur; hucusque tamen ejus non fuit efficaciæ, ut graviſſimas controverſias, circa dogmata & diſciplinam, ab annis quinquaginta, occaſione libri conſcripti a Cornelio Janſenio, Epiſcopo Iprenſi, in Eccleſia Romana ortas potuerit ſopire, accedente licet in Gallia potisſimum regia manu, compulſisque ad ſilentium, vel regno ejectis præcipuis Janſenii defenſoribus. Hos inter D. Antonius Arnaldus, ætate quamvis decrepita, in exilio latebrisque ſuis non ſolum in adverſæ partis Theologos acrior indies inſurgit, verum etiam Præſules ipſos errorum minime levium in doctrina poſtulat, & neglecti in diſciplina officii. Tribuitur huic, aut ejus aſſeclis certe, Cenſura in Humbertum Guilielmum a Precipiano, Archiepiſcopum Mechlinienſem Primatemq; Belgii illuſtriſſimum, ante biennium Latine, Gallice & Belgice divulgata. Archiepiſcopus enim decreto cum aliis Belgii epiſcopis ſuffraganeis ſuis adverſus dogma Janſeniſticum publicato, ita irritaverat hujus patronos, ut illi ob theſes, quas juvenis A. 1648. ſub præſidio Ludovici de Schildere, Jeſuitæ, in Academia Lovanienſi defenderat, dicam ſcriberent, & propoſitionum hæreticarum, a Pontifice damnatarum facerent reum. Apologiam itaq; hanc pro Archiepiſcopo compoſuit Didacus de Oropega, Theologus Lovanienſis, a Nicolao du Bois, Decano collegiatæ Eccleſiæ D. Petri, ſacrarum literarum Profeſſore primario, & librorum Cenſore Lovanienſi comprobatam. Quod ſcriptum apologeticum paulo prolixiọ recenſendum duximus, tum ob ſtyli nitorem, tum ob argumentandi peritiam in eo deprehenſam. Eſt tamen, ubi & ſua tela habere cuspidem Autor oſtendit, difficillimum eſſe ratus, in magna rei indignitate non excandeſcere, & effrænem calumniandi, quam vocat, libidinem leniter palpando caſtigare. Nec levis impudentiæ putat argumentum eſſe, quod cenſores illi inſectentur Archiepiſcopum, quem ob ſumma merita, per quæ ad Legationes regias, ad Epiſcopatum Brugenſem, & poſtea ad Archiepiſcopatum, cui nunc præeſt, evectus illefuit, debuerint venerari.

Duabus vero partibus Confutatio tota abſolvitur, quarum prior crimen a theſibus depellit, integris decem capitibus: altera ipſas adverſariorum doctrinas impugnat, &, quam non pauca in iis cum damnatis a Romana Sede propoſitionibus coincidant, oſtendit. Cap. I. frivolus accuſatorum auſus culpatur, quod criminandi mate-

riam ex Theſibus non conſcriptis quidem ab Archiepiſcopo, ſed juvenili ſaltem & academica libertate, ante annos 43. ab eo defenſis arripuerint, cum non haberent, quod vel ex edicto, vel ex epiſtolis encyclicis, vel ex inſtructione confeſſariorum, aut concionatorum abs ArchiPræſule ipſo editis, improbarent. p. 2. Commune Doctorum ait optimorum fatum eſſe, ut obtrectatores habeant, idque Hieronymi, Auguſtini, Thomæ Aquinatis exemplo comprobat. Fatetur p. 5. etiam præclariſſimos & ſanctiſſimos non nunquam Epiſcopos, Cyprianum, v. g. Dionyſium Alexandrinum & alios ſententias quasdam foviſſe, rejectas poſtmodum & reprobatas ab Eccleſia: id quod Pallavicini Cardinalis dicto confirmat, qui S. Bonaventuram non magis, ac alium quemvis autorem eccleſiaſticum, ab omni errore abſolvendum eſſe putavit, vel hocce argumento, quod privilegio, a Chriſto ſoli Vicario ſuo conceſſo, non errandi ſcilicet prærogativæ, derogetur. Ad theſes deinde ipſas propius ubi accedit, novem ex illis accuſari notat ab adverſariis, easque Propoſitionibus LXV. ab Innocentio XI. damnatis & proſcriptis, ac ſi unius cum nonnullis earum argumenti eſſent, annumerari. Verum hic admodum inique agi cum Archiepiſcopo exiſtimat, quod ratio earum nunc ab eodem poſcatur, p. 7. cum non conſtet, an eas adhuc approbet. Singulatim dein examinat, an eædem prorſus ſint cum damnatis, nec interpretationem commodam admittant. Capite II. de Attritione diſputat. Non ignotum eſt attritionem vocari, qua quis de peccatis dolet, ſin minus ex dilectione erga Deum, certe ex metu pœnæ. Arnaldus & qui cum eo ſentiunt, parum tribuunt illi pœnitentiæ generi, cujus fundamentum p. 9. non eſt amor Dei ſed metus. At Oropega amorem benevolentiæ ab amore concupiſcentiæ diſtinguit, & poſtremum arbitratur ſufficere, advocans ſententiæ ſuæ teſtes Cardinales, Epiſcopos, Theologos modernos omnes, plurimos quoque veterum; qui vero amorem benevolentiæ requirant, eos tam modeſtos eſſe notat, ut oppoſitum ſentientes minime condemnent. p. 13. Inter alia adducuntur verba Alexandri Maderni Barnabitæ ex tractatu Romæ A. 1675. excuſo, quæ ſic habent: *Janſenius, quem ſequuntur Janſeniani, vult non ſufficere attritionem ex metu gehennæ, ſed requiri contritionem ex amore procedentem; communis tamen vera & certa ſententia docet ſufficere attritionem ex metu gehennæ.* Nullus interim negat, hortandos eſſe

eſſe pœnitentiam agentes, ut amorem Dei benevolum ſuper omnia exerceant. Idque convenire Decreto Synodi Namurcenſis A. 1659, quod pro ſe quidem allegarint adverſarii, ſed fruſtra, cum oppoſitam ſententiam minime rejiciat. Arnlado hac occaſione exprobrat libellum de *Frequenti Communione*, cujus lectio diſertis vetita fuerit verbis in Synodo Burgundiæ ab Archiepiſcopo Biſontino A. 1648 habita: quemadmodum & libri Johannis Verger de Hauranne, Abbatis Sancyrani. p. 16. Objicit eidem Senonenſis Synodi decreta, A. 1528 ſub Antonio de Prato Cardinali publicata, in quibus Calvini & Janſenii opiniones damnentur, & no. 15. ſtatuatur, gratiam ſemper eſſe in promtu, ne momentum quidem præterire in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet. Item, gratia efficaci non inevitabiliter rapi homines. Tandem etiam Decretum Inquiſitionis Hiſpanicæ adducit, quo condemnatur ſententia aſſerentium, *quod confeſſio ex ſolo pœnarum metu facta & non etiam ex amore Dei, nulla ſit adeoque iteranda, quia non fiat cum contritione.* p. 20. Additur enim diſtinctio attritionis in eam, qua peccator propter pœnas quidem, ſed ſimul propter Deum dolet: & aliam, qua dolet tantum propter pœnas. Quæ poſtrema negatur eſſe ſufficiens ad hominem conciliandum, ne quidem accedente ſacramento. Provocat præterea ad decretum Facultatis Pariſienſis A. 1638.

Cap. III. Vindicatur hæc propoſitio: peccat ſacrilegio mortali qui diſpoſitionem pro gratia habituali recipienda requiſitam omittit, fine ſuo primario privans ſacramentum; niſi quando ſumma neceſſitas contritioni tempus non permitteret. Pro exceptione, quam ultima propoſitionis verba innuunt, ſtabilienda caſus non unus formatur, quo licitus eſſe poſſit properatus ſacramenti uſus absq; præparatione debita. p. 28. Graphice hic depingit Autor jactantem Janſeniſtam ſeu Rigoriſtam, inſigni vero elogio mactat Archiepiſcopum.

Cap. IV. excuſatur admiſſio indignorum ad ſacramentum certo caſu facta: adducitur potiſſimum exemplum Chriſti, Judæ peccatori occulto, ſacramentum publice porrigentis; ut & praxis Germaniæ, in qua matrimonii quod vocant ſacramentum inter diverſæ religionis perſonas toleretur. p. 32. Exagitat hoc Autor loco rigidos in ſacramenti adminiſtratione adverſarios, probarique poſſe exiſtimat, rigorem illum in pauperes & ruſticos tantum exerceri, in divi- p. 35. ſqq.

tes atque nobiles non item; quin imo in hos videri zelosos illos indulgentissimos, & de Angelica, quæ fuit Arnaldi soror, sanctimoniali refert, quod pluribus interdum mensibus communione abstinuerit, aliquando & Paschali: addit alia ejusdem generis, ut quam versatilem homines illi praxin habeant ostendat. Cap. V. demonstrat, propositionem in thesibus Archiepiscopi, *quod licitum videatur ex metu mortis, absque intentione absolvendi, formam pronunciare super pœnitente indisposito*, longe diversam esse ab argumento propositionis, quæ vicesima nona est inter LXV. ab Innocentio damnatas. Probat eandem postea Bonaventuræ, Alberti Magni, & aliorum calculo. Cap. VI. discernere laborat thesin Archiepiscopi, qua asseritur, *impleri præceptum Christi sicut baptismo, ita & communione sacrilega*, a Propositione damnata LV. Discriminis vero demonstrandi
p. 42. causa, in sacramentorum susceptione duo esse spectanda monet, unum sacramenti susceptionem, alterum susceptionis modum. Hinc duplex dari, ex communissima sententia, circa susceptionem præceptum, alterum divinum, quod susceptionem secundum se; alterum naturale & divinum simul, quod sacramenti susceptionem ut digne instituendam imperet. Ex horum hypothesi defensam olim fuisse propositionem, nec alium ejus sensum esse, quam quod is, qui sacrilege baptizetur, aut communicet, prioris præcepti, quod sacramenti susceptionem imperat, obligationem extinguat; quamvis non satisfaciat præcepto alteri divino ac naturali simul, susceptionem dignam exigenti. Damnatam proinde a Pontifice propositionem loqui de præcepto Ecclesiæ; thesin accusatam de præcepto Christi. Quanquam sub finem operis non dissimulat, unicam hanc de Communione sacrilega, ad Propositionem LV. ab Innocentio XI. damna-
p. 44. tam accedere videri. Archiepiscopum vero non tantum agnoscere propositionem hanc, *præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem*, ut jacet, scandalosam esse, & in praxi pernicioſam; sed omnes etiam omnino Romanorum
p. 48. Pontificum definitiones promtissima voluntate, sine mora, sine cavillatione complecti; eoque damnare opiniones omnes, omni sensu & modo, quo a Sede Apostolica proscribantur. Arnaldum contra
p. 49. quinque Jansenianas hæreses in sensu Jansenii propugnare acerrime, multas ex damnatis ab Alexandro IIX. deperire: idem facere sectato-

res

res ejus, quos novatores vocat, Lovanienſes, nec ullum eorum poſt Alexandi VIII. decretum, vel apicem doctrinæ; quam ante condemnationem tradiderat, retractaſſe.

Cap. VII. diſputatur de vitanda occaſione proxima peccandi, & quantum diſcriminis inter theſin Archiepiſcopi, & inter LXII. proſcriptam intercedat oſtenditur. p. 56.

Cap. VIII. de conſuetudine peccandi, an confeſſario interroganti confitenda ſit, diſquiritur, & docetur rurſus, quid inter propoſitionem LVIII. a Pontifice damnatam, & accuſatam theſin interſit. p. 59.

Cap. IX. exponitur, utrum diſtractiones voluntariæ impediant, quo minus valide audiatur ſacrum, & num illæ pro veniali tantum peccato ſint habendæ. p. 64.

Denique Cap. X. excuſatur theſis, quæ conſuetudinem plane inadvertenter jurandi & pejerandi, negarat eſſe peccatum novum diſtinctum ab actibus, quibus conſuetudo iſta libere fuerit contracta. Conceditur interim, ejus generis conſuetudinem peccatum eſſe. p. 69.

Defenſoris perſona ita perfunctus Autor, in parte reliqua accuſatoris induit, provocatione adverſarii, & comparatione, quam inter doctrinam Archipræſulis, & ſuam novatores inſtituerant, compulſus. p. 73.

Horum igitur dogmata ſub accuratius examen revocat, & ex recentioris Janſeniſtæ Palladii (quo ſub nomine Ægidium de Witte, Candidum alias & Albanum dictum, latere conjicit:) ex D. Franciſci van Vianen: ex D. Gummari Huygens: ex D. Liberti Hennebel, & D. Henrici de Svvaen: ex Dn. Johannis van Opſtraet: ex D. Ægidii de Witte, & ex D. Joannis Lacmanni ſcriptis excerpta quædam & ſpecimina diſtinctis paragraphis adducit, quo demonſtret, Janſenii dogmata, ſpreto aliquoties repetito anathematis fulmine, foveri nihilominus ab his, & publice defendi. p. 76. p. 79. 83. p. 86. 89. p. 96. 98.

In quorum claſſem & Jacobum Pontanum, Gerardum van Werm, nec non Martinum Henricum de Svvaen, Melis, Cuypers, vander Linde, aliosque ex Lovaniensi Academia Miſſionarios Sacerdotes in Hollandia, referre non dubitavit. p. 99. p. 50.

Cum igitur non aliud objicere ArchiPræſuli crimen adverſarii potuerint, quam quod anno ſeculi 48. tyro Theologus Magiſtri ſui Ludovici de Schildere tractatum de Sacramentis (ſolenni dubio procul cenſura tunc temporis approbatum) ſcholaſtico exercitio defenderit, criminationem eſſe futilem concludit Autor, antagoniſtas ſuos ſimul certiores faciens, novæ ipſorum Eccleſiæ, quam manifeſte hæreſ- p. 101.

Digitized by Google

hæreticam nominat, propriam fidei profeſſionem, ſeptem comprehenſam theſibus, luci exponi jam cœpiſſe, & valide impugnari.

Hac Confutatione edita, denunciavit quidem Adverſarius anonymus peculiari Epiſtola, & Archiepiſcopum & defenſores ejus, Corn. nempe de la Montagne, & Didacum de Oropega, excuſatarum propoſitionum nomine, Romano Pontifici: quo autem jure, quave injuria id factum fuerit, ſex elegantes Didaci hujus Epiſtolæ, ad Apoſtolicæ Sedis in Belgio Internuncium, circa anni 1691. finem datæ, evidenter oſtendunt. Quarum argumentum repetere hoc loco, videbatur ſuperfluum, quod ex confutatione jam recenſita manifeſtum ſatis evadat contentionis argumentum. Iisdem Epiſtolis ſubjungit Autor quoque Reſponſum ſuum ad Examen Franciſci Manſeau, Archiepiſcopi adverſario patrocinantis.

MARCI TVLLII CICERONIS OPERA QVÆ EXtant omnia, cum integris notis JANI GRVTERI, ex recenſione JACOBI GRONOVII, adjectis ejusdem notis.

Lugduni Batavorum apud Petrum vander Aa. anno 1692. In quarto tomis quatuor, in duodecimo partibus undecim.

Conſtat alph. 8. plag. 21. tabulis æneis 4. cum effigie Editoris.

OMnium ætatum conſenſu inter ſcriptores Romanos prudentiæ non minus quam eloquentiæ laude reliquis omnibus Ciceronem præſtitiſſe, vix quisquam dubitat, ut hodienum primas ipſi partes eſſe tribuendas non ambigendum ſit. Multo enim ſtudio, multisque vigiliis, & longo uſu, ac tractatione rerum maximarum, ſumma in dignitate conſtitutus, & multis quibus fuit agitatus caſibus, immenſam ſibi vim ſapientiæ ac prudentiæ comparaverat: eloquentia autem parem ſuo jam ævo habuit neminem, neque poſt eum extitit quisquam, cujus oratio nitore, ſuavitate, ac naturali pulchritudine, gravitate etiam & verborum dignitate, præferri ejus dicendi rationi debeat. Prudentiæ igitur civilis ac Latinæ eloquentiæ ſtudioſis pervolutandos, manibusque ac oculis conterendos ipſius libros, præ aliis omnibus, cenſuerunt viri docti, in iisque expoliendis & nativo cultui reſtituendis, a quo per barbariem temporum & librariorum

Digitized by Google

riorum negligentiam defecerant, ſtudium poſuerunt qui ſuperiori ævo primos in litteris ordines duxerunt. Quorum ut quisque doctiſſimus habitus eſt, ita plurimum operæ ſive in omnibus ſive in quibusdam Tullii ſcriptis ſuperſtitibus collocavit. Præcipuam ſibi materiem gloriæ in emendandis ac illuſtrandis iis quæſiviſſe videntur Italiæ decora *Petrus Victorius*, *Aldus* ac *Paulus Manutii*, & *Andreas Naugerius*; ſed præ reliquis omnibus Cicero ſalutem debet Victorio, qui, dicente Graevio, *princeps ingeniorum ſui temporis, codice Mediceo uſus, uno omnium optimo & vetuſtiſſimo, adhibito acerrimo, quo valebat inprimis, judicio, ac eruditione magna, quæ cum pari conjuncta erat modeſtia, parum ingenio indulſit in immutandis iis, quæ in optimæ notæ membranis repererat, a quarum religione vix latum unguem diſceſſit, iis non parcens, quæ contra codicum antiquorum fidem in editiones vulgatas ſive deſcriptorum ſive editorum incuria & inſcitia irrepſerant.* Prima ejus editio prodiit Venetiis anno 1537, poſtremam eamque optimam Juntæ dederunt Florentini anno 1571. Præter hunc, & *Aldum* ac *Paulum Manutios*, quorum editiones Venetiis excuſæ diverſis formis aliquoties prodierunt, alii etiam ſollertes ac docti viri omnia, quæ ſuperſunt, Ciceronis opera juſtis voluminibus incluſa in publicum ediderunt, & *Robertus Stephanus* Pariſiis anno 1538, *Johannes Hervagius* Baſileæ anno 1540 ex recenſione Joach. Camerarii, *Rihelius* anno eodem Argentorati ex recognitione Jo. Sturmii, *Carolus Stephanus* Pariſiis anno 1555, *Dionyſius Lambinus* ibidem anno 1566, (cujus editionem anno 1584 & 1616 repetivere Genevates) *Michael Brutus* Lugduni anno 1568, *Dionyſius Gothofredus* Genevæ anno 1616, *Janus Gulielmius* & *Janus Gruterus* Hamburgi anno 1618 juncta ea publicæ luci expoſuerunt. Hos duces poſtea ſecuti fuerunt qui Genevæ, Baſileæ, Francofurti, Lugduni Batavorum, Amſtelodami, aut alibi, hoc & ſuperiori ſeculo variis formis opera Ciceronis recuderunt: inter quos *Elzevirii*, qui anno 1642 decem minoribus tomis, & *Blævii*, qui anno 1657 totidem partibus, & *Schrevelius*, qui anno 1661 uno volumine cum variorum notis ea dederunt, utiliter operas ſuas collocaſſe, typorum certe elegantia bene de Cicerone meruiſſe, cenſendi ſunt. *Londinenſes* etiam typi eosdem æmulati ſunt anno 1681 & qui Baſileam præ ſe ferunt *Genevenſium* operæ anno

1687; quorum editiones Gulielmio-Gruterianam ut matrem fideliter referre haud immerito dixeris. Cui etsi suæ non derogandæ sunt laudes, haud parum tamen laboris in recensendis Tullianis libris relictum sibi existimavit restituendis priscis scriptoribus felici studio invigilans, doctissimus vir, *Jacobus Gronovius*; qui quum in peregrinatione sua quos nactus est manuscriptos Ciceronis codices diligenter evolvisset, quidquid ad uberiorem ejus librorum illustrationem adferri poterat, in istos contulit. Cumque divenditis Batavarum editionum exemplaribus, de nova concinnanda cogitationes suscepisset Lugdunensis apud Batavos non inglorius bibliopola *Petrus vander Aa*, eademque opera & eodem tempore majori forma in quaterna folia, & minori in duodena, complicandis pagellis, excludere eam constituisset; ut hæc editio exactior, emendatior, & vulgatis antea omnibus melior prodiret illustriorque, operam sedaturum recepit, & bona fide quod promiserat præstitit. Majoris formæ editionem in quatuor, minoris in undecim partes dispescuit, eo ordine, quo antea vulgatæ editiones eos collocarant, Ciceronis libris dispositis; ut primo loco libri rhetorici, secundo orationes, tertio epistolæ, quarto philosophica conspicerentur scripta. Sectiones utrasque, & quibus Gruterus primus in capita Ciceronis libros divisit, & quæ in prioribus editionibus comparebant, Nizoliano in Thesauro etiam allegatæ, margini appositi, magnitudine characterum distinctas. Utque ornatius & imaginibus insignitum conspiceretur novum hoc operum Ciceronis syntagma, effigies ejus, quotquot aut in ære aut lapidibus extare cognovit uspiam, congestas præfixit, e Matthæorum hortis Romæ petitas, aut e Fulvii Ursini, Tristani Sanctamantii, Petri Seguini, Gabrielis Simeonii, Petri Lambecii, Laurentii Begeri monumentis acceptas, in frontispicio operum collocans. Tabulam etiam quæ Senatusconsulti formulam, de obscœnis Bacchanaliorum sceleratorum sacris, conjurationum corruptelarumque omnis generis officinis, a Livio lib. 39. descriptis, refert, a Joh. Wittio sibi concessam, quod animadversionem istam & severitatem Senatus, in coercenda sacrorum istorum lascivia, Cicero in lib. 2. de Legibus laudasset, exhibuit. Historiam Ciceronis a Franc. Fabricio Marcodurano per Consules descriptam operibus præfixit, in hoc Gruterum secutus: sed quia mutata quædam in ejus editione deprehen-

henderat, ex Fabricii potius ipſius quam Gruteri, aliorumve qui eum ſecure fuerant ſecuti, libro recudendam eam cenſuit. Ipſos Ciceronis libros ut quam emendatiſſimos integerrimosque daret ſtuduit, quos ad Gruteri quidem exemplar recudi curavit, iſtius tamen editionem neutiquam ut matrem venerabundus amplexatus, aut ipſius veſtigiis inſiſtere eximium iudicans; quod Leidenſes, Londinenſes & Baſileenſes feciſſe ait, eisdem luti ſordibus ſe volutantes & ex compacto Tullium depravantes. Ipſe igitur meliorem contextum, quam hactenus extitit, conſtituens, quibus præſidiis ad id perficiendum uſus fuerit, & quos codices in ſingulis libris adhibuerit, in Præfatione declaravit. Emendationum autem ſuarum rationem in Notis, quas ſingulis paginis ſubſtravit, ita reddidit, ut aliarum ſimul lectionum falſitatem oſtenderet, Gulielmii autem & Gruteri notas integras, quas coarctatas Schrevelius dederat, ſuis admiſceret: niſi quod ſeorſim collocandas cenſuit ſuas in epiſtolarum, quæ ad familiares vulgo dicuntur, ſedecim libros notas, iisdem ſubjectas. Orationibus Tullii *Aſconii Pediani* commentarios a parente J. F. Gronovio paſſim emendatos, & anonymi *Scholiaſtæ* notas, quæ a Pithœo vel Petavio ad Iſaacum Voſſium translatæ, inde ad eundem parentem ſuum pervenerant, e quibus aliquot obſcuris in Orationibus locis lux adfulget, ſubtexuit. Et quum vulgati antea indices aut ſemipleni aut vitioſe confecti viderentur, ipſum etiam Georgii Ludovici Frobenii Penu Tullianum non ſatis ſe probaret; novos Editor ingenioſiſſimus concinnavit, & peculiari parti (quæ in minori editione undecima cenſetur) incluſit: quorum primus Græcas dictiones in Ciceronis libris occurrentes, adjecta earum interpretatione, enumerat; ſecundus res & verba ita digerit, ut notabiliora indicentur, appellationes autem diverſis hominibus datæ iisdem contineantur locis; tertius nomina eorum qui ad Ciceronem epiſtolas dedere, & ad quos ipſe ſcripſit, recenſet; quartus memorabilia in Gronovianis notis, juxta litterarum ordinem, exponit.

Igitur nova hæc ſuis numeris abſoluta operum Ciceronis editio, non modo aliorum a veris aberrantes lectiones in Notis notatas, ſed & veram in contextum ipſum receptam ſiſtens, jucundum præbet ludum (dicente doctiſſimo Editore in Præf.) contemplandis Tullianis ſcriptis, inter varias quorundam præmiatorum manus &

calamos distractis & strangulatis ; sed simul spectandum exhibet pulcherrimum istud Reipublicæ Romanæ decus , linguam manusque Ciceronis, non truncatas & exsangues propositas longe a corpore , sed agiles, & prout a sublimi illo spiritu in usum suum & tot miserorum hominum divinitus datæ fuerunt animatæ. Quæ quum vera ac doctis unice digna voluptas sit , maximæ merito ei debentur laudes , qui hanc nobis conciliavit ; & ut eandem nobis porro ex iisdem oris , illustre Belgii sidus , Academiæ Ultrajectinæ gloria *Jo. Georg. Graevius* , perpetuam esse velit, de producendis per membra & expoliendis Tullii operibus illustrandisque ab aliquot jam annis sollicitus, eloquentiæ ac prudentiæ civilis studiosorum gratia , & veræ eruditionis causa, ipsum publico nomine rogamus.

V. Cl. D. ANTONII NVCK, MED. ET ANATOMIÆ Professoris, nec non Collegii Chirurgici Præsidis, Operationes & Experimenta Chirurgica , edita per J. T. Brem. Med. St.

Lugduni Batavorum apud Corn. Boutesteyn. A. 1692. in 8. Plag. 12.

DUdum est ex quo clarissimi Nuckii in anatomicis versatissima manus, detectis novis ductibus salivalibus ac aquosis, accurataque delineatione glandularum totius corporis , pariter ac vasorum lymphaticorum, erudito innotuit orbi, sineque dubio, inventione circulatorii motus lymphæ, & præparatione singulariſſima viscerum per injectionem Mercurii, in quibus hactenus desudaverat, inclaruisset ulterius, nisi invida fata ex numero vivorum ipsum exturbassent haud ita pridem. Ast non in hoc solum anatomico studio Professorem nostrum excelluisse , verum pro viribus quoque chirurgiæ invigilasse, adeoque non minus Præsidis Collegii Chirurgici munus , quo pariter ornabatur, laudabiliter curasse, testatum facit præsens scriptum. Edidit illud I. T. Brem Med. Studiosus , dumque in dedicatione ad Auctorem deprecatum venit audaciæ istud crimen, ad culpam removendam adducit , se exercitia & experimenta hæc Chirurgica in vivis subjectis æque ac cadaveribus humanis aliquoties ab Auctore privatim instituta , a discipulis confuse admodum collecta ac vitiose descripta observasse, cumque exinde lectoris harum circum

Digitized by Google

cumſtantiarum ignari mentem facile in injuſtam ſententiam trahi poſſe animadvertiſſet, accuratius & ordine magis convenienti, ea in publicum miſiſſe. Ordo vero talis eſt. Incipit a capite, pergitque ad collum, brachia, thoracem, abdomen & crura, totumque opus abſolvit quinquaginta experimentis, quæ promiſcue poſita, nunc operationum chirurgicarum, nunc morborum manuali operatione curandorum titulos in rubro gerunt. In nigro autem, ſi priori de claſſe fuerit experimentum, ut plurimum circa initium morbus recenſetur, in quo nominata operatio locum habet, poſtmodum apparatus neceſſarius cum enchiriſibus ac cautelis exponitur, demumque rationes operandi ſubjunguntur. E contra, ſi morbus aliquis in titulo eſt poſitus, ejus deſcriptio, differentia, pathologia, & methodus medendi, tam per chirurgica quam pharmaceutica, interna æque ac externa præſidia traditur. Quod omne dum agitur, variis annotationibus haud vulgaribus, imprimis tamen inſtrumentorum quorundam rariorum delineatione, e. gr. acuum ad cataractas deprimendas, experim. 7. tubæ ſoniferæ ſeu acuſticæ, experim. 15. cauterii ad dentagram tollendam, experim. 18. torquis in colli incurvati reſtitutione adhibendi, experim. 26. torcularis ad comprimendas arterias, experim. 29. catheteris in urinæ difficultate, experim. 38. bracherii & poſtomis dicti inſtrumenti, in urinæ incontinentia, experim. 40. & tubulorum transfuſioni ſanguinis inſervientium experim. 50. Lectoris curioſi deſiderio ſimul ſatisfit.

EXCERPTA EX EPISTOLA VI. CALEND. MARTII 1693. data de Codice Juris Gentium edendo, ſeu Collectione Tractatuum & Actorum publicorum per Europam, authenticis ad Archivorum *fidem diplomatibus, ſed ineditis plerumque aut certe minus obviis comprehenſorum: ex recenſione G. G. L.*

MAgnum ad hiſtoriæ fidem ac rerum interiora noſcenda momentum habet ipſe tenor actorum: & cum jura gentium voluntaria uſu ac placitis eorum maxime nitantur, qui participes ſunt ſummæ poteſtatis aut ab illa autoritatem habent; viſum eſt

Digitized by Google

editori promiſſi operis, ab aliquot ſeculis colligere complura *Diplomata rerum magnarum* inter gentes, aut publico nomine ac publica in cauſa geſtarum. Non Pandectas inſcripſit, neque enim omnia habet; nec Digeſta, quia non materiarum ſed temporum ordinem ſequitur; ſed *Codicem*, non quaſi Juſtinianei ſimilem, ſed uti Codicem Canonum veteris Eccleſiæ, Codicem argenteum Ulphilæ, Codicem legum antiquarum, Codicem donationum piarum dicimus. Habet tamen hoc Codici legum affine, quod ea continet, quæ ſola inter liberos populos legum ſunt loco, vel quas ſibi, ut ita loquar, leges dixere qui rebus præſunt: quæ interdum & apud alios exemplo valent, certe notitias utiles politicis & jurisconſultis ſuppeditant.

Cæterum Codex iſte non Germanicis tantum aut alterius populi rebus aſtringitur, ſed pleraque Europæa attinget; nec tantum pacificationum tabulas & fœdera aliave, quæ vulgo Tractatuum nomine cenſentur, ſed & contractus matrimoniales Principum, teſtamenta, adoptiones, varias obligationes & alienationes, limitum deſignationes; commerciorum, navigationum, & in eam rem initarum ſocietatum articulos; receſſus conventuum publicorum, atque etiam nonnulla Conciliorum generalium acta ſingularia, aliaque quæ ad totam Rempublicam Chriſtianarum gentium pertinent; tum arbitria vel lauda, belli denuntiationes vel diffidationes, proteſtationes, confiſcationes, deſtitutiones, depoſitiones; & contra electiones, hommagia, inveſtituras, ſolennia ceremoniarum, privilegia majora, aureasque & plumbeas bullas ad rem facientes; creationes quoque novarum dignitatum, ac principatuum, quin & regnorum erectiones, aliaque id genus plura continebit.

Porro maxima horum pars *inedita* hactenus latuit: itaque proderit conſilium ad eos excitandos, qui talia habent in manu, ut producant in uſum reipublicæ. Adjecta ſunt tamen ſubinde typis edita, ſed minus obvia & *ſelectiora*. In antiquioribus & ex manuſcripto edendis liberalior fuit editor, quod talia rarius occurrant; in poſterioribus ſeveriore delectu utendum ſibi putavit. *Idioma* retinuit quod ipſa ſubminiſtrabant manuſcripta, præſertim cum plerumque ſit originale; interdum tamen deficiente prototypo verſio adhibita eſt, ſed ſatis antiqua, aut quæ *ex publicis Archivis* promanavit.

Curæ fuit ut diligenter recenſerentur omnia, ac lumen a diſtinctio-

Digitized by Google

ctionibus acciperent; quod inprimis neceſſarium erat, ubi Latina dictio barbarizat ac turbida fluit, aut vetus vernacula a præſenti uſu diſſidens attentum lectorem poſtulat. Nam & Gallico ſermone ſcripta occurrent, non hodierno tantum, ſed & qualis aliquot retro ſeculis viguit, cujus hodieque ſuperſunt reliquiæ in Galliæ & Belgii judiciis, & in Anglica olim jura cum Normannis atque Andegavenſibus Regibus tranſiere. Ut Italica quædam aliave quæ parcius occurrent, jam taceamus. Corrupta loca interdum reſtituta ſunt, cum res dubio carebat; interdum notata tantum: nec temere ſibi aliquid editor illuſtris permiſit.

Poſtremo rogantur quibus vel munus quod in Republica ſuſtinent, vel eruditio aut curioſitas ad talia aditum fecit, ut in communem uſum conferre ſymbolam velint. Si quid ſuppeditabitur ſingulare ad hanc collectionem ornandam atque augendam, tum in antiquioribus, tum maxime in noſtri ſeculi rebus, ſive prorſus *ineditum* hactenus, ſive etiam impreſſum typis, ſed *in ſcheda evaneſcente*, aut alioqui loco non obvio latens; beneficium editor gratus agnoſcet & prædicabit. Quæ jam editioni deſtinata ſunt *usque ad annum 1700*, proximis nundinis vernalibus Deo volente prodibunt, mediocri volumine in folio, ut vocant. *Recentiora* mox ſequentur. Si qua ſerius obvenient, *Supplementis* inſerentur. Data eſt opera iis potiſſimum colligendis, quibus jura moresque gentium & locorum, tum hiſtoria ſacra & profana, geographia, genealogiæ, gloſſaria, augeri atque illuſtrari, & *negotia publica tractantium uſui, caterorum etiam curioſitati*, conſuli poſſit.

P. S.

Corpori Pacificationum, quod Vir Cl. Daniel de Neſſel, Cæſaris Conſiliarius & Bibliothecarius molitur, tantum abeſt ut officiat hoc opus, ut potius viam paret. Nam & objecto & ſcopo diſcriminantur, conſpirant tamen amice, & ſeſe mutuo invitant. Ex illis quæ Index Neſſelianus promiſit, perpauca in novo Codice comparebunt; tum ne quid hic labor illi deroget, tum ob conſilii diverſitatem. Nam Neſſelianum opus cum juſtum corpus pacificationum componere debeat a duobus cum dimidio ſeculis circiter, non recondita tantum, ſed & obvia collecta in promtiorem uſum ſiſtet. At Codex iſte juris gentium, cum vaſtiorem longe campum habeat, & ad omnigenos actus

publi-

publicos ſeſe extendat, atque ad antiquiora etiam tempora aſcendat; iret in infinitum, ſi etiam obvia congererentur. Itaque potiſſimum inedita, & ex editis magis exquiſita in hanc collectionem admittentur.

ARISTEÆ HISTORIA LXXII INTERPRETVM, Acceſſere Veterum Teſtimonia de eorum verſione.

Oxonii e Theatro Sheldon. 1692. in 8.
Conſtat Plag. dimid. 15.

POſtquam Vir Clariſſimus, *Humfredus Hody*, doctiſſimam Diſſertationem contra Hiſtoriam Ariſteæ de LXX interpretibus, in *Actis A. 1686. pag. 205. ſqq.* a nobis recenſitam, luci publicæ expoſuiſſet; Ariſteæ illa Hiſtoria, Latine quidem ſæpius diverſisque locis a Mathia Palmerio & Matthia Grabitio adornata, Græce etiam ac Latine Baſileæ A. 1561 ſtudio Sim. Scardii, & Pariſiis 1624. edita, quæri frequentius in officinis librariis cœpit. In iis vero cum diſparuiſſet dudum, neque exemplaria libri comparari facile poſſent: rem utiq; gratam quamplurimis fecere Theatri Sheldoniani Curatores, dum novam hanc Hiſtoriæ illius editionem Græco-Latinam publico dederunt. Adjecit illi doctiſſimus ſæpiusque nobis ex merito laudatus Polyhiſtor, Edoardus Bernardus, de ſeptuagintavirali verſione veterum nonnullorum teſtimonia, Orientalium inprimis, nec hucusque editorum, quæ libro haud facile obvio pretium haud leve adjecerunt.

Index generalis auctorum & rerum primi Actorum noſtrorum Decennii & primi Supplementorum tomi, proximis nundinis proditurus eſt.

ERRATA.

Pag. 46. lin. 26. pro *conſignatum* lege *conſignata*. Pag. 96. lin. 20 pro *inter Gallos & Francos* lege *inter Anglos & Francos*.

✱)o(✱

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno M DC XCIII.

TOMVS III. MAGISTERII NATVRÆ ET ARTIS, auctore P. Franciſco Tertio de Lanis, Societatis Jeſu, Brixienſi.

Parmæ typis H. Roſati 1692. fol. plag. 149. iconism. 13.

PErſecutus eſt clariſſimus Auctor, non ſine reipublicæ literariæ damno fato ſuo ante paucos annos functus, hoc magni, quod meditatus fuit, operis tomo tertio doctrinam de motibus, qui ad ſingulares naturæ operationes indagandas & penitius introſpiciendas conducunt. Quorum variæ ſpecies cum jam in *Tomo II. Magiſterii naturæ & artis*, commemorato a nobis in *Actis A. 1688. p. 35. ff.* explicatæ fuerint libris undecim, acceſſerunt illis jam quatuordecim alii, qui in eodem verſantur argumento. *Duodecimus* enim, qui in limine Tomi III. occurrit, de motu agit, quo diverſa corpora, vel eorum particulæ, facile aut difficulter inter ſe miſcentur, quam facilitatem mixtionis per ſe & immediate ex particularum miſcibilium determinatis figuris doctiſſimus Auctor provenire exiſtimat, cum ita ſunt comparatæ, ut particulæ unius corporis facile implicari poſſint vel adhærere particulis alterius. *Decimo tertio libro* motum configurationis vel ſitus, quo ſcilicet corpora non uniuntur quidem aut ſeparantur, ſed determinatum ſolum acquirunt ſitum, explicat, negans hujus motus unicam cauſam immediatam, quæ ad omnes motus ſecundum ſitum referenda ſit, aſſignari poſſe; plurimum tamen momenti ad motum configurationis conferre facilem aliquorum corporum miſtionem, & plerasque configurationes tam vegetabilium quam mineralium a primordialibus ipſorum ſeminibus pendere, facile largitur. *Decimi quarti* libri

argumentum eſt motus aſſimilationis, quo corpora in ſuam naturam convertunt alia corpora ſibi ſimilia aut proxime diſpoſita, ad eumque refertur accretio & nutritio omnis, nec non transmutatio metallorum. Principium hujus motus ponitur in ſpiritibus ſeu corpuſculis ſubtilioribus, quæ moventur a ſubſtantia ætheris poris ſe interſerente efficienteque illorum dilatationem & conſtrictionem, ut illa dum fit, verſus exteriora pororum erumpant & corpuſculis aſſimilandis jungantur, eaque tandem, dum contrahuntur, verſus interiora pororum deducant, ubi nonnunquam, ſi ejusdem naturæ fuerint, ſtatim uniantur aſſimilanti, quandoque vero poſt varios demum alios motus, v.g. digeſtionis, fermentationis &c. *Libro decimo quinto* de motu excitationis, quæ quaſi diſpoſitio eſt ad aſſimilationem diſputatur. Cauſam hujus motus quandoque agens externum eſſe oſtenditur, aliquando vero ſubſtantiam tenuem vel ſpirituoſam intra ipſos poros corporis excitati hærentem; ac motum particularum excitatarum determinari primo quidem ab impetu ipſis impreſſo a corpore excitante, ſed deinde varias novas determinationes ſuſcipere a textura, poris & diſpoſitionibus corporis, intra quod fit talis motus. Qui cum ſub ſe varias complectatur ſpecies, fermentationem, digeſtionem & maturationem, putrefactionem, attenuationem & diſſolutionem, volatiliſationem & fixationem; de fermentatione, quam in omni generatione (cum ſemen ſit præcipuum rerum omnium naturale fermentum) ac corruptione locum habere docet Cl. Auctor, hoc quoque libro agit, eamque definit, quod ſit motus excitationis internarum particularum miſti, cum quadam expanſione ſimul & efferveſcentia, qui fit virtute igneorum corpuſculorum, per ſe tendens ad perfectionem ejusdem mixti. Reliquas ſpecies ſequentibus libris pertractat, & *decimo* quidem *ſexto* motum maturationis, quem ſpiritus activi & ſoluti intra poros mixti peragunt, dum reliquas ejusdem mixti particulas ſolidas, craſſas & magis fixas, attenuant, ac ſeſe omnibus partibus ingerunt, aliqualique cum illis plexu connectunt. *Decimum ſeptimum* librum de ſimplicis corruptionis & putrefactionis motu doctrina replet, cujus hæc ſumma eſt, quod illa ſit ſolutio nexus particularum, ex quibus mixtum coaluerat in ſua generatione, illarumque a ſe invicem ſeparatio, orta ab exceſſivo calore interno, concurrentibus plerumque

ad

Digitized by Google

ad illius excitationem cauſis extrinſecis. Motum coagulationis liber *decimus octavus* exponit, quod ſcilicet ſit motus inſenſibilium corpuſculorum excitatus a particulis igneis, per quem corpus fluidum ſeu minus conſiſtens novam conſiſtentiam acquirit. Corpuſcula enim ignea quovis in coagulo hoſpitari, & maximam vim coagulativam miſti eſſe in ejusdem materia ſeminali docet. Liber *decimus nonus* naturam præcipitationis inveſtigat, eamque ſitam eſſe decernit in motu partium in liquore aliquo diſperſarum, quæ ab ipſo excernuntur & ad imum deſcendunt, quia coagulatio facta eſt partium quæ præcipitantur cum aliquibus particulis corporis præcipitantis & liquoris ſolventis, qua redditæ fuere tum ſpecie graviores, tum etiam majores, quam ut amplius intra illius poros contineri poſſint. In *vigeſimo* libro de motu diſſolutionis Auctor diſſerit, confirmatque vim ſolvendi in ſolis igneis corpuſculis, per univerſam mundi molem diſperſis, eſſe poſitam, adeoque menſtrua ipſamque aquam ſolvendi vi pollere, quatenus igniculos illos admiſtos habent: perſuaſiſſimus quoque eſt, præparari poſſe menſtruum univerſale, quod vim habeat quodlibet ſolvendi corpus in primam materiam, refellitque illos, qui nec antimonium ita reſerari poſſe putant, ut copioſum præbeat Mercurium vivum, confirmans ſe multoties, trium quatuorve horarum ſpatio, ex ſingulis antimonii communis libris tres fere uncias obtinuiſſe argenti vivi, Mercurio vulgari quoad externa accidentia omnino ſimilis. Porro in eodem libro de combuſtione, inflammatione, incineratione, calcinatione, aſſatione, fuſione, digeſtione & elixatione agit, cum iſti motus omnes ſuo modo ad ſolutionem referri poſſint. In librum *vigeſimum primum* congeſta eſt de motu fixationis & volatiliſationis doctrina. Uterque autem ad ignem tanquam principium refertur, & fixitas corporum formaliter in eo ponitur, quod principia componentia tam arcte tamque tenaci vinculo ſunt colligata, ac tali proportione invicem mixta, ut nec ab igne, nec ab alio ſolvente, dividi facile poſſint ac diſſipari. His ergo motibus, qui plerisque corporibus naturalibus communes ſunt explicatis, accedit Auctor ad illos, qui ſympathiæ & antipathiæ vulgo tribuuntur, declarandos, primumque in attractionem electricam inquirit libro *vigeſimo ſecundo*, quam ita explicat, ut ſupponat ex corporibus electricis affri-

ctu excitatis ſpiritus oleoſos ſeu ſulphureos, non ſolum aliquantis-per viſcidos, ſed etiam multum calidos, emanare, & circumſitum aerem rarefacere; hunc vero, ceſſante aut diminuto effluvio ſpirituum igneorum, vi elaſtica ſe reſtituere, & paleas feſtucasque, in quas incurrit, propellere verſus corpus electricum. Huic affinis motus cum in magnete quoque deprehendatur, totus liber *viceſimus tertius* motionibus magneticis impenditur dilucidandis, ex ſequentibus hypotheſibus: (1) Terram continuo emittere effluvia magnetica. (2) Ex magnete ſemper emanare ſpiritus quosdam, quorum maxima pars fluat per canaliculos magnetis axi parallelos. (3) Illos, qui effluunt ex polo boreali, eſſe diverſæ rationis ab illis, qui emanant ab auſtrali, neutrosque per eosdem tubulos fluere poſſe, & propterea illos, qui a borea verſus auſtrum tendunt, venoſos, qui vero ab auſtro verſus boream commeant, arterioſos commode dici. (4) Plurimos ſpirituum venoſorum per transverſos canaliculos, vel anaſtomoſes etiam, quodammodo percolari & alios ductus ſubire, per quos arterioſi jam facti regrediantur verſus polum borealem, & inde effluant; idemque contingere, ſi magnes unus ad alterum admoveatur, & venoſos ſpiritus venas, arterioſos arterias alterius magnetis ſubire. (5) Spiritus venoſos magnetis facillime coire cum ſpiritibus arterioſis, & dum utrique ſibi occurrunt, ſtricte ſe invicem complecti. (6) Ferrum emittere effluvia ſimilia ſpiritibus arterioſis, quæ vim habeant excitandi, ſtimulandi, aut quodammodo in fermentationem commovendi ſpiritus in magnete ſopitos. Hinc enim Auctor non attractionem ſolum & armaturæ rationem, ſed & directionem, declinationem & inclinationem magneticam, deducere conatur, refutatis Gilberti, Cabæi, Gaſſendi, Carteſii, Leotaudi, Millietique placitis. Libro *vigeſimo quarto* motiones quæ ad ſympathiam & antipathiam majori cum ſpecie referri ſolent, conſiderat, quo pertinent actiones corporum in diſtans, transplantationes morborum, & id genus alia. Hos autem effectus ex eo putat oriri, quod ſpiritus æthereus, omnibus corporibus mixtis & elementis infuſus, ab uno mixto erumpens, & alteri ſe intrudens, ſecum defert tenuiores partes aliquas ſui mixti, illasque introducit in aliud corpus; ita ut ſympathia nihil aliud ſit, quam diſpoſitio quædam naturalis duorum corporum, cujus virtute in ſeſe invicem, vel ſaltem unum in aliud agere aptum eſt,

Digitized by Google

eſt, mediantibus tenuiſſimis ſpiritibus, motum aliquem occultum excitantibus, ipſis corporibus connaturalem & beneficum, ex quo ſequitur ſenſibilis & inſignis effectus. Tandem in libro *vigeſimo quinto* de gravitate & levitate diſquirit, quas qualitates mere paſſivas eſſe aſſerit, ita ut major vel minor gravitas in majori aut minori denſitate, levitas in raritate conſiſtat. Deinde non ſolum propoſitiones Archimedis hydroſtaticas ex principio, quod fluidorum partes magis preſſæ quam vicinæ deorſum, minus vero preſſæ ſurſum impellantur, perſpicue demonſtrat, ſed etiam omnia repetit paradoxa Boylei hydroſtatica.

Cæterum eandem in hoc tomo methodum ſecutus eſt Cl. Auctor, qua uſus fuit in præcedentibus, dum ſcilicet in ſingulis libris propoſuit primum experimenta, quæ ad præſens argumentum faciunt, deinde doctrinam ſuam in propoſitiones congeſſit, ac tandem addidit inventiones & artificia ad propoſitam materiam ſpectantia, nonnunquam etiam monuit, quænam in illa amplius deſiderentur. Et occurrunt quidem inter experimenta & inventa egregia multa, præſertim Boylei & Academicorum Florentinorum, nec non illa quæ ab ipſo Auctore uſu ſunt comprobata: multa vero incerta quoque fide nituntur. Utriusque generis hæc ſunto ſpecimina: Cap. 1. lib. 12. refertur, ſi candela cerea ſtatuatur in vaſculo ſpiritu vini pleno, & tam candela quam ſpiritus vini accendatur, flammam ſpiritus vini cœruleam non confundi cum rubicundiore flamma candelæ, hanc vero quater aut quinquies eſſe majorem, quam ſi extra illum ſpiritum flagraret, nec retinere figuram conicam, ſed in ſphæricam formari. De fermento lapidis philoſophici agitur cap. 3. lib. 10. Serpentis ex capillo humano putrefactionis ope productio, nec non reſuſcitatio plantarum, traditur lib. 17. cap. 3. Admirabile porro & philoſophica conſideratione dignum, cap. 1. lib. 20. cenſet Auctor phænomenon, quod obſervatur, ſi annulus ex una parte auri & tribus quatuorve argenti conflatus aquæ forti injiciatur. Licet enim hæc argentum omne exedat, & ab auro ſeparet, aureus tamen annulus integer & ſolidus remanet, ita ut minime ſpongioſus ac poroſus appareat, ſed denſus, compactus & ad minorem molem, quam antea, redactus. Lib. 19. cap. 1. variæ narrantur præcipitationes lactis, ſanguinis & urinæ, ab auctore inſtitutæ, ut,

medicis inſerviant ad morborum naturam & qualitates inveſtigandas. Modus magnetem roborandi adeo, ut naves ferro onuſtas attrahere poſſit, invitis nautis & ventis, cap. 6. lib. 23. recenſetur. Contra ſingultum certum remedium allium lib. 24. c. 1. prædicatur, ſive manu teneatur ab illo, qui ſingultu laborat, ſive alius manu illud tenens ad ſingultientem ejus rei ignarum accedat; idque ſe aliquoties tum in ſe tum in aliis expertum eſſe Cl. Auctor teſtatur.

ΠΥΡΕΤΟΛΟΓΙΑ: ſeu
EXERCITATIONES DE MORBIS VNIVERSALIBUS acutis, authore Richardo Morton, Med. D. Reg. Colleg. Medic. Londin. Socio & Cenſore.
Londini apud Sam. Smith A. 1692. in 8. Plag. 33.

UT in ruinam prona ſunt, quæ ſine fundamentis creverunt: ita e contrario non poſſunt non inconcuſſa perdurare, quæ in rationis & experientiæ fidem veluti baſin innituntur. Itaque non facile liber, cujus epitomen breviſſime ſiſtimus, periturus videtur, quod & ratiocinii ſubtilitate, & felicitate uſus creberrimi, legentibus ſeſe omnino commendet. Tanta autem rerum refertus ubertate eſt, ut non niſi multarum diſpendio contrahi in ſummam poſſit. Sunt quidem clariſſimi Auctoris ſtudio elenchus capitum eorumque rubricæ omnes tractationi præmiſſæ; unde quid in opere univerſo exſpectandum ſit, facile eluceſcit. Sed prolixius tamen illud compendium videtur, quam ut hic inſeri valeat commode. Ex noſtro igitur more brevitati operam daturi (1.) generalem tantummodo trademus hypotheſin, & (2.) indicata capitum ſingulorum materia, ac (3.) delibatis hinc inde notatu dignioribus, ad librum ipſum, lectu omnino digniſſimum, Lectorem remittemus.

Ad primum quod attinet, dum de acutorum ingenio morborum, & curandi methodo ipſis adhibenda, tractare Auctor celeberrimus inſtituit, veterum Humoriſtarum & neotericorum Spagyricorum caſtra aliquo modo a ſe deſerenda eſſe præmonet. Fomitem enim febriferum aſſerit deliterium quid in ſpirituum ſyſtemate deliteſcens, quod fermenti ad inſtar eos adoriens œſtro quaſi primum exagitet, deinde humoribus quaſi ſecundo momento varias mutationes atque qualitates morboſas nobis ſenſibiles impertiat. Quo poſito

Digitized by Google

ſito præſtare ipſe autumat noſſe veram antidotum veneno vario delendo parem, & ejus exhibendæ juſtam rationem ſeu methodum, quam vel evacuantibus aut alterantibus, morboſarum humorum qualitatum emendationem moliri, cum tamen illæ primario non peccent. Hæc omnia accurato ſtudio perveſtigaturus prolegomena præmittit, in quibus ſcitu maxime neceſſaria de ſpirituum animalium exiſtentia, natura, fluiditate, elaſticitate aërea &c. leguntur. Hinc librum duabus Exercitationibus includit, quarum quælibet novem capitibus conſtat, annexa ſub finem appendice.

Exercitationis I. caput 1. de febribus acutis in genere agit, & præſertim de febre ephemera & intermittente. Origo ipſius a miaſmate quodam deducitur, quod ſubtilitate ſua genium ſpirituum, non autem materiæ ſenſibilis æmuletur. Hinc ſpiritus animales immediate affici atque agitari; ſanguinis autem maſſam paulatim conturbari aſſeritur. Symptomata in univerſum omnia eorumque ætiologiæ exponuntur, ſubjuncto ſchemate generali febrium, de quibus in præſenti Pyretologia ſermo eſt. Cap. 2. ephemera ſeu diaria deſcribitur, quod immediate a mera agitatione & motu ſpirituum animalium nimio, ab evidenti aliquo externo accidente ſine apparatu venenato producatur, ideoque legitime tractata ſpatio 24. horarum ſponte ſæpius terminetur. Symptomata, cauſæ procatarcticæ, indicationes & diæta ſubnectuntur, ac nullum hujus febris κρίσιμον eſſe pathognomonicum ediſſeritur. Cap. 3. de febre intermittente ejusque cauſa, typo & ſymptomatibus tractatur. Hic veneni, tanquam cauſæ, in ſpiritibus ipſis, ceu primario ſubjecto deliteſcentis natura explicatu difficilis; ejus autem exiſtentia realis a poſteriori demonſtratur, ſimulque probatur corticem Peruvianum febrium recidivas minime procurare. Cap. 4. Auctor febris intermittentis ſigna diagnoſtica, potiſſimum vero ſpuriæ notas in genere tradit, ſicut cap. 5. prognoſtica proponit longo uſu & experientia confirmata. Cap. 6. febris intermittentis indicationes curativas ſiſtit cum in paroxyſmo, ubi expanſio ſpirituum juſta ſive debita conſervanda: tum extra illum, ubi venenum morbificum in ſpiritibus deliteſcens perfecte extirpandum. Notatu digna hic de regimine, de emeticorum & catarticorum, ut & venæſectionis, diaphoreticorum & opiatorum incommodis leguntur. Antiquorum quoque mala praxis perſtringitur, quod humo-

humores in receptaculis neſcio quibus morboſum fomitem eſſe putaverint, vanamque adeo medendi methodum adhibuerint. Cap. 7. de cortice Peruviano ſeu China de China, ejusque virtute febrifuga prolixius diſſeritur, dilutis ſimul variis objectionibus a Chifletio & Plempio olim motis, & ſubnexa poſtea antidotorum ratione, qua operationes ſuas peragant. Cap. 8. in legitimam corticis præparationem atque exhibitionem inquirit, & criteria ejus genuina aperit, juxta quæ optimus eligi & ab adulterino dignoſci queat. Hinc canones quidam & formulæ propinandi corticem ſubjiciuntur. Cap. 9. proteiformem febris intermittentis genium ſiſtit. Nimirum oſtenditur febrim intermittentem varios interdum affectus ſimulare, vomitiones, diarrhœas, phthiſin, ſpaſmos univerſales, colicas, & hemicranias periodicas, apoplexiam &c. Singulorum fidem adſtruunt hiſtoriæ XXX. ſtatim adjunctæ, ubi curatio prædictorum morborum ſimul exponitur.

Abſoluta ſic prima, ad II. Exercitationem progreſſus fit, ubi cap. 1. de febribus continuis in genere agitur. Expenduntur hic fermenta febrilia, ac quomodo pro gradu illorum vario ſpecies febrium ſe diſcriminent, fuſius explicatur. Caput 2. febres continuas remittentes rimatur, quæ quamvis indeſinenter affligant, manifeſto tamen atque ut plurimum periodice exacerbantur atque remittunt. Harum natura, cauſa continens ac typus ob oculos ponitur, ſymptomatumque ætiologiæ curata ſatis brevitate enucleantur. Caput 3. ſigna diagnoſtica febris continentis complectitur, & quidem a 4. fontibus petita: a manifeſta ſcilicet ſymptomatum exacerbatione & remiſſione, a pulſu, ab urina & a ſudoribus periodicis. Methodus curationis ita adornanda ſuadetur, ut ad ſymptomata vehementiora æque ac ad ipſum morbum reſpiciatur. Cap. 4. cauſa iſtius febris evidens ſeu procatarctica atmoſphæra conſtituitur, quandoquidem aer paluſtris, maritimus, vel arboribus plurimum obſitus, mirum in modum non raro ſtagnet & putreſcat; unde quovis fere loco epidemica illa ſit, tempore imprimis auctumnali. Caput 5. ſigna prognoſtica 24. articulis continet, & cap. 6. indicationes curativas depromit. Scilicet eo maxime annitendum jubetur, ut fermentum venenatum, quod naturam ad certamen irritat atque provocat, ocyus deleatur; ſic enim luctam febrilem ſponte ceſſare. Cap. 7. methodus curan-

curandi febrim continentem rationalis perveſtigatur, ubi quæ potiſſimum ſymptomata in augmento, quæ in ſtatu, ac quæ demum in declinatione obſerventur, fuſiori recenſione traditur. Deinde Practicorum errores in febris iſtius curatione obvii cenſura notantur, quidve hoc vel illo potiſſimum ſymptomate affligente præſcribendum ſit, pluribus edocetur. Capite 8. methodus ſive modus exhibendi corticis in Συνεχεῖ tam ſpuria, quam legitima delineatur. Adduntur ſimul ea, quæ ſymptomatum forte obvenientium curationi conducant. Caput 9. exprimit genium febris continentis proteiformem hiſtoriarum XVI. relatione, cui annexa eſt appendix ſecundæ Exercitationis hiſtoriam febris Συνεχέος compendiariam ab anno 1658. ad annum 1691. complexa. Finem horum omnium Index rerum excipit.

Nunc ex longe plurimis in libro obviis pauciſſima ſaltem huc trahimus rariora. Pag. 24. & 51. memoratur, ſanguinem primo febrium acutarum momento tanta perfundi frigiditate, ut eo tempore phlebotomia detractum inſtar aquæ fluentis frigidum: pag. 26. in febre autem maligna eryſipelatoſa adeo fœtidum, ut ex ejus odore tetro tam Chirurgus, quam adſtantes in animi deliquium inciderint, clariſſimus Auctor obſervarit. Pag. 25. humores ſphacelo affici dicuntur. Pag. 82. apoplexia febris intermittentis ſymptoma recenſetur. Pag. 107. ℥ii diaphoretici gr. vij. tertianam ſimplicem, & hemitritæam ipſam ſuſtuliſſe feruntur. Pag. 110. flores chamæmeli ſubtiliſſime in pulverem redacti experientia D. D. Coysh æque felices ac certi in debellandis febribus laudantur, atq; ipſe cortex Peruvianus. Pag. 112. pulvis deſcribitur, quo clariſſimus Auctor ter felici ſucceſſu uſus eſt, cum chinæ virtutem invalidam deprehendiſſet. Compoſitio talis eſt: ℞. flor. chamæmel. ſubtiliſſime pulver: (plus minus pro ætate) ℥j. ℥ diaphor. ſalis abſynthii a. ℈ß. M. F. Pulvis ſexta quavis hora per biduum vel triduum repetendus. Pag. 132. ab uſu corticis Peruviani nihil unquam mali accidiſſe, præter ſurditatem aliqualem uſus tempore moleſtam, ſed morbo devicto, vel a pulveris omiſſione, ſponte deſinentem, nobiliſſimus Auctor a 25. annis annotavit. Idem pag. 209. in cholera morbo aquam pulli copioſe uniceque bibendam commendat. Pag. 330. lympham non morboſam eſſe aſſeritur. Pag. 387. entis Veneris vires in hypochondriacorum & hyſtericorum vigiliis

Digitized by Google

& deliriis temperandis celebrantur. Verum paucula hæc saltem obiter adduximus, plura attentæ lectoris diligentiæ studiose relinquentes.

BERNHARDI FERRARII MEDIOLANENSIS Theologi de Ritu Sacrarum Ecclesiæ Veteris Concionum.

Ultrajecti ex officina Wilhelmi Broedelet, in 8. 1692.
Constat plag. 27.

Quemadmodum clarissima *Ferrariorum* familia per longum temporis spatium Mediolani floruit, viris dignitate & doctrinæ laude inclyta; ita non minus *Ferrariorum* nomen in republica literaria jamdudum celeberrimum est, ex eo utique tempore, quo *Hieronymus Ferrarius*, plenissimas bonæ frugis *in Ciceronis Philippicas* observationes edidit, in multorum jampridem manibus versantes; cujus in excolendis literis insistens vestigiis *Octavianus* filius non minore literarum gloria fulgens, libris *de sermonibus exotericis Aristotelis & de Encyclopædia* magna cum eruditione elaboratis, eruditorum curiæ innotuit. Et ad hanc familiam ortum quoque suum refert *Octavius* ille *Ferrarius*, Vir disertissimus, cujus quæ styli magnifici evulgavit eloquentiæ specimina, ab eruditis avidissime excepta sunt. Et iste *Octavius* patruus fuit hujus, quem nunc sistimus, *Bernhardi Ferrarii*, Theologiæ in Ambrosiano, quod Mediolani est, Collegio Doctoris, scriptis variis apud suos non incelebris. Nam ut alia ejus opera taceamus, vel hic de *Ritu sacrarum ecclesiæ veteris concionum* satis docet, quantum in Antiquitate ecclesiastica valuerit. Consilium nempe ipse ceperat, præcipua quæque ex sanctis Patribus monumenta depromere, quæ ad sacrarum Ecclesiæ catholicæ concionum ritus illustrandos pertinere videbantur. Quo instituto ut eo accuratius defungeretur, in *tres* opus ipsum *libros* dispescuit, in quorum *priori* ea ipsi persequi curæ fuit, quæ *de ipsa concione* quæruntur; in *secundo* quæ & *concionantem* & *auditores* respiciunt; in *tertio* denique ea exhibet, quæ *ad concionum locum & tempus* revocari commode possunt; ubique vero eam sollicitudinem præstitit, ut Ebræorum & Græcorum illos subinde admisceret ritus, unde

unde Christiani suos hausisse videri poterant. Quam vero multa hic referuntur, quæ in sacris cœtibus olim summo studio observata, nunc apud nos mora & temporis diuturnitate in desuetudinem abierunt? Ut vero nos per singulos libros, librorumque capita eamus, recensum præclare dictorum instituentes, opus non fore existimamus, cum liber eruditissimus jam olim *Mediolani*, & postea *Lugduni* in Gallia typis excusus fuerit. Huic interim editioni celeberrimus Vir, *Jo. Georgius Grævius* præfationem elegantem & lectu dignissimam præmisit, in qua ut multus quidem in commendando opusculo est, ita non dissimulat eidem, ut fit in talibus rebus, labeculas quasdam esse hinc inde aspersas, & hallucinationes in eodem nonnullas reperiri. Ut cum *Lib. I. cap. III.* rationem redditurus Auctor, cur olim Conciones *Disputationes* fuerint appellatæ, id eapropter, inquit, factum esse, quod in iis plerumque concionatorum industria ac doctrina adversus hæreticos desudaret, quorum pravitas non nisi disputando coerceri potuisset; cum tamen, ut Grævius annotat, disputatio apud Romanos non concertatio fuerit, sed dissertatio, sive in laude sive in reprehensione rei aut personæ alicujus, sive in cujuscunque argumenti deductione versaretur; id quod aliquibus ex Cicerone & Suetonio locis ulterius comprobat. Majoris ponderis illa est observatio, qua *Ferrarii* de Christi natali discursum emendat. Nimirum docuerat *Ferrarius Lib. I. cap. XXV*, diem Christi natalem dictum, esse Christianis priscis τὴν ἐπιφάνειαν, festivitatem vero in illius memoriam institutam τὰ ἐπιφάνεια; addiderat & hujus ultimæ denominationis rationem, ἐπιφάνεια, inquiens, *numero multitudinis a Græcis hic dies dictus, quod in eo uno & multiplex sane præsentiæ ac divinitatis signum dederit Christus, & plures agerentur a Christo celebritates.* Sed hanc non veram esse rationem, deducit *Grævius*. Nam τὰ ἐπιφάνεια diem notare ait festum memoriæ apparitionis alicujus Dei dicatum, non quod plures agitentur solennitates, & vocabula ista Christianos accepisse a gentibus & scriptoribus vetustioribus Christo; τὴν ἐπιφάνειαν illis fuisse apparitionem Dei, & τὰ ἐπιφάνεια sacrificium & festivitatem, quæ in memoriam & honorem talis apparitionis celebrata sit. Quanquam Scriptura sacra ipsa Christianis veteribus hanc appellationem præiviisse videtur, quando Tit. II, u. III, 4. hoc eodem verbo de incarnationis Redemptoris nostri

ſtri myſterio utitur. Interim varietate rerum non poteſt non utiliſſimus liber lectorum trahere animos, imprimis ſi cum *Joachimi Hildebrandi*, Theologi olim Helmſtadienſis, eleganti *de concionibus veterum* Diſſertatione conferatur.

A TREATISE OF CHURCH-GOUVERNMENT.

i. e.

Tractatus de Regimine eccleſiaſtico, occaſione quarundam literarum de eodem argumento editarum ſcriptus a Roberto Burſcough M. A.

Londini apud Sam. Smithum, 1692. in 8. plag. 22.

QUod circa inteſtina Eccleſiæ Anglicanæ diſſidia pridem obſervavit eruditorum ſagacitas, quod callide ea in rem ſuam vertere, & ſectarios fovendo libertatem iſtius Eccleſiæ ſupprimere didicerint ii, qui Pontificium regnum extendere laborant: illud non ſolum nuperi in Anglia motus, ſed ipſorummet confeſſio apertis indiciis hactenus comprobavit. Quod ſi enim obſervationi cuidam Italæ fides habenda eſt, aperte in illa refertur, quod in conſultatione quadam Briſtolii a Catholicis, de optima ratione Romanam religionem in Anglia propagandi, habita, commodiſima præ cæteris media deprehenſa fuerint, ſi ſectæ contra Eccleſiam Anglicanam foverentur, & ſub prætextu tolerantiæ executio legum eccleſiaſticarum interverteretur. In motibus autem nuperis quam ſollicite hæc obſervata ſint, quanta diſſentientibus ab Eccleſia Anglicana gratia in Aula conciliata, & præcipue Hierarchia ſcriptis atque aliis moliminibus petita ſit, paſſim conſtat. Etſi vero hæc etiam irrita reddiderit ſubito mutata rerum facies, nondum tamen ceſſatum eſt a ſcriptis, quibus iſta, cum ſubrui non potuiſſet, ſaltem vellicaretur. In horum cenſum referre videtur Auctor tractatus præſentis literas, quibus libellum hunc ſuum oppoſuit. De quibus ex Auctoris præfatione obſervamus, quod primum ſeorſim ſcriptæ, poſtmodum junctim editæ fuerint ſub titulo: The Nature of Churg-Gouvernment freely diſcuſsed, i. e. Natura regiminis eccleſiaſtici libere diſcuſſa. Tribuit autem literas haſce Viro, qui tempore motuum conſiliis Aulæ in-

læ interfuerit,& eadem moderatus ſit, auctorque itidem extiterit libelli, qui iſta tempeſtate prodiit inſcriptus: Prudential Reaſons for repealing the penal Lavvs againſt all recuſants &c. penn'd by a Proteſtant Perſon of Quality. Etſi enim, Auctore noſtro indigitante,epiſtolæ iſtæ primum ipſi miſſæ fuerint a Non-Conformiſta, qui & propria manu eas ſcripſerit, & ſubſcripto nomine ſuo easdem ſibi tribuerit; non diffiteri tamen hic, cum urgeretur, potuit, quod auctorem non ſe, ſed Nobilem habeant, quem modo innuimus. Quemadmodum autem in hiſce literis Epiſcopalis Hierarchia maxime oppugnatur: ita ex adverſo Auctor noſter in præſenti tractatu in eadem defendenda ac vindicanda occupatur, omnes nervos intendens, ut perſuadeat,Epiſcopale Regimen Juris eſſe Divini. In quo duo præcipue ſupponit, 1. quod Chriſtus auctor regiminis eccleſiaſtici talem miniſtrisEccleſiæ auctoritatem tribuerit,quæ dotibus reſponderet, quibus eos ornavit, h. e. ſpiritualem. 2. autem, quod hæc auctoritas ſit Epiſcopalis. In priori probando non adeo operoſus eſt; poſteriori autem aſſerendo integer prope tractatus, adductis variis argumentis, impenditur. Quorum nervus huc forte maximam partem recidit: Quod Apoſtoli ex inſtitutione Chriſti inter ſe pares, in reſpectu autem ad 70. diſcipulos Epiſcopali auctoritate gaviſi ſint; quod Apoſtolatus non fuerit officium extraordinarium, ſed omnino cum Epiſcopatu conſiſtere potuerit, & conjunctus fuerit, Epiſcopatu in Apoſtolis & Apoſtolatu in Epiſcopis locum ſimul obtinente; item, quod poſt Apoſtolorum mortem Eccleſiæ directæ fuerint a Viris, qui Epiſcopi nomine ab aliis fuerint diſtincti; & quod denique Epiſcopi Apoſtolorum ſint ſucceſſores, ſimiliter in reſpectu ad ſe invicem æquales, at aliis ſuperiores. Quæ omnia partim ex Scriptura, partim ex antiquitate eccleſiaſtica probare & vindicare nititur. Quandoquidem vero, ut ipſe in c. 18. ſub finem fatetur, nondum omnia, quæ in adverſarii ſui literis ſolutionem poſtulant, excutere potuit, negotiis diſtractus, pollicetur uberiorem adhuc argumenti hujus tractationem, in alio ſcripto, quod partem ſecundam libri hujus conſtituet, inſtituendam. Cujus cum ideam nobis in præfatione hujus partis ſiſtat, breviter inde eam exhibemus. Quemadmodum nempe in hoc tractatu, monſtravit Regiminis eccleſiaſtici originem divinam, naturam ſpiritualem, formam Epiſcopalem: ita in altera

parte ſiſtet tractationem de auctoritatis hujus exercitio circa diſciplinam & ordinationem miniſtrorum eccleſiæ, circa concilia & poteſtatem in Republ. Chriſtiana. His addit conſiderationes ſuper myſterio iniquitatis in Papatu, & cœcitate aliorum qui ſtupiditate quaſi faſcinati Epiſcopalem auctoritatem oppugnant; non præteriturus etiam de reliquo ea, quæ in Epiſtolis ſæpius memoratis incidenter adducta reſponſionem flagitabunt.

PRÆLECTIONES ACADEMICÆ IN SCHOLA Hiſtorices Camdeniana, cum appendice.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1692. in 8. Væneunt in officina Benj. Tooke, Bibliop. Londinenſis.

Conſtant alphab. 2. & plagulis 5.

INitia hæc ſunt operis non niſi multis voluminibus abſolvendi, quo (poſt obſervationes in *Cyprianum*, *Irenæum*, *Pearſonium*, aliaque ſubtiliſſimi ingenii monumenta) *Hiſtoriæ Auguſtæ* ſcriptores ſex illuſtrare moliebatur *Henricus Dodwellus*, poſtquam in ſe *d. 25. Maji A. 1688.* Camdenianam Hiſtorices Profeſſionem in Academia Oxonienſi ſuſceperat. At pulcherrimam telam abrumpendi neceſſitas ei impoſita eſt, poſtquam præter inauguralem *unam*, & *ſex* prooemiales in totum Hiſtoricorum iſtorum Syntagma, *quindecim* abſolverat *prælectiones* in vitam *Hadriani*, a Spartiano ſcriptam. Namque *die 6. Novembris A. 1691.* ultima vice cathedram conſcendit, & *ſextam decimam* ad Academicos habuit, mox (quod Regis Jacobi, ut ferunt, partibus nimium addictus eſſet,) Profeſſorio munere cedere juſſus. Quoniam autem jamdum prælectiones etiam XVII, XVIII, XIX, paraverat, easdem in orbe literario, (quum in auditorio academico non liceret,) publicandas non immerito arbitratus eſt. Utinam vero perrexiſſet, aut pergere in poſterum vellet! Sed eccleſiaſtica, quibus ſe initio dicaverat, repetere mavult, ut ipſemet ait in concluſione *appendicis* p. 779.

In prælectione *inaugurali* oſtendit, quam nupera ſit, quamque imperfecta antiquiſſima Græcorum Hiſtoria, utpote non ante Darii Hyſtaſpidæ tempora ulla fide digna. Diſputat deinde in prælectionibus *prooemialibus*, cuinam Sevirorum iſtorum quæli-

Digitized by Google

quælibet Cæſaris Tyrannive vita vindicanda ſit. Tribuit ergo AEL. SPARTIANO vitas (ad Diocletianum Imp. intra A. C. 291. & 305. ſcriptas) *Adriani*, *Ælii Veri*, *Antonini Pii*, *Marci Antonini & Veri Imperatoris*, (licet tres poſtremæ *Capitolini* vulgo credantur,) *Commodi*, (niſi forte ſit *Lampridii*, juxta inſcriptionem vulgatam,) *Pertinacis* & *Didii Juliani*. Ex his tamen penultimam & ultimam *Lampridii* eſſe, ſuſpicatur, etſi illa vulgo *Capitolini*, hæc *Spartiani* eſſe exiſtimetur.

Alter auctor eſt VULCATIUS GALLICANUS, qui Diocletiano Imp. ſolius *Avidii Caſſii* vitam inſcripſit; qua de re nunquam dubitatum eſt. Sub eodem Imperatore ÆLIUS LAMPRIDIUS enarravit vitam *Sept. Severi*. Et fortaſſis etiam *Commodi*, *Pertinacis* & *Didii Juliani*, quas tamen ſuperius Spartiano adſeruerat Dodvvellus. JULIUS CAPITOLINUS circa A. C. 335. in gratiam Conſtantini M. Imp. collegit vitas *Peſcennii Nigri*, *Clodii Albini*, *Caracallæ*, *Getæ*, *Macrini*, *Diadumeni*, *Heliogabali*, *Alexandri Severi*, *Maximinorum* duorum, *Gordianorum* trium, *Maximi & Balbini*; etſi prima, tertia, quarta Spartiano, ſexta, ſeptima, octava Lampridio adſcribi vulgo ſoleant. TREBELLIUS POLLIO, (cui debentur vitæ *Valerianorum* duorum, totidemque *Gallienorum*, item *XXX. Tyrannorum* ac *Claudii* & *Quintilli*,) juxta Dodvvellianos calculos ſcripſit ſub Diocletiano poſt A. C. 303. ſed ante Kal. Majas anni 305. Agmen claudit FLAVIVS VOPISCVS, qui admodum juvenis, eodem fere tempore, quo Pollio, ſcriptis inclaruit, & congeſſit vitas *Aureliani*, *Taciti & Floriani*, *Probi*, item *Firmi*, *Saturnini*, *Proculi & Bonoſi*, *Cari* denique ejusque liberorum: verum varia hic illic inſeruit ſupplementa poſt annum Chriſti 308, imo poſt annos 341 & 343, quæ apud Dodvvellum recenſita videbis.

Prælectionibus in IV capita priora vitæ Adriani Spartianæ, præter *Hadriani* ſub Trajano geſtos *honores*, ipſius *Trajani vita* univerſa ad chronologiæ leges exigitur. Ea occaſione non raro *Faſtos Conſulares* emendare ſatagit doctiſſimus Auctor. Notat e. c. annum Chriſti vulgarem 103. *Trajani V. & L. Appii Maximi Conſulatu*, contra VV. Clariſſ. Noriſium & Mediobarbum, qui in annum ſequentem hoc Conſulum collegium referendum putarant. Anno 104. habet *Ti. Julium Candidum II. & A. Julium Quadratum II. COSS.*

Digitized by Google

COSS. non, ut vulgo, Suranum II. & P. Neratium Marcellum. Anno Chr. 105. *Commodum & Cereaiem COSS.* non, ut vulgo, Candidum & Quadratum. Anno Chriſti 110. *Piſonem & Bolanum COSS.* non, Orfitum & Priſcianum, quos plane fictitios cenſet. Anno 111. *C. Julium Servilium Urſum Servianum II. & L. Fabium Juſtum*, non, Piſonem & Bolanum. Anno 114 *L. Vipſtanum Meſſallam & M. Pedonem Virgilianum* COSS. non, Q. Ninnium Haſtam & P. Manilium Vopiscum *COSS.* quos in A. C. 115. rejicit.

Præter dubia alia chronologica, quæ plerumque magna cum probabilitatis ſpecie expedit, *antiquitates, ritus, geſta* Romanorum paſſim præclare illuſtrat. Sic Prælect. I. & II. fuſius agit de Principum privatorumque *natalibus* in Kalendaria relatis, de *Sodalibus, Flaminibus, Saliis*, in honorem divorum Principum inſtitutis, de *Fortuna* Imperii, de *Genio* Principis *tutelari*. Prælectione III, de jure *coloniæ* & *municipii*. Prælectione V. de ætate *togæ virilis* ſumendæ & *militiæ* ineundæ apud Romanos. Prælectione VIII. & IX. cur nulli legantur in *Codice* Principes Legumlatores, nec ulli in *Pandectis* JCti, antiquiores Hadriano; nempe, quod Hadrianus, Numam imitatus, veteres leges tantopere innovarit, mutaritque, ut *primus urbem legibus fundaſſe* non abs re dictus ſit in *Sortibus*, (quas Spartianus memorat, quasque Dodvvellus prolixo commentario elucidavit) *Virgilianis*. Unde non ab Auguſto, Claudio, Veſpaſianis, Nerva, Trajanove cœpit *Codex Gregorianus*, eorum omnium antiquiſſimus, quibus in Juſtiniani codice concinnando uſus eſt Tribonianus. Quanquam enim idem Tribonianus excerpſit *Alpheni Vari* Hadriano antiquioris Digeſta, non tamen (ut Dodvvellus monet prælect. proœmiali I. §. III.) niſi epitomen oculis uſurpavit, in quam Digeſta iſta redegerat *Paulus* JCtus. Excerpſit etiam *Antiſtii Labeonis* Πιθανὰ & *Poſteriora*, ſed & illa quoque, recentiorum Hadriano JCtorum opera, in eam, quam habebant tempore Tribonia-ni, formam redacta. Πιθανὰ quippe *Paulus* notis ſuis illuſtraverat, *Poſteriorum* epitomen fecerat *Jabolenus*. Prælectione X, Dodvvellus diſſerit de *Quæſturæ* ineundæ tempore. Prælectione XVIII, de Imperatorum adoptionibus & adoptorum juribus. Prælectione XIX. de titulis *Principum Juventutis* & *Tribunitiæ poteſtatis*.

Sæpe non recentiores modo, ſed & vetuſtiores auctores errorum

Digitized by Google

rorum convincit, præcipue *Dionem Caſſium*, in rebus Trajani auctores gloriæ illius detrahentes, eaque ratione Hadriani favorem captantes, ſecutum. Digna eſt prælectio IV. quæ hanc in rem legatur. Tacemus quamplurima antiquorum Scriptorum loca, aut minus trita methodo, aut ſolerter emendata, præſertim *Statii*, *Martialis*, *Plinii*, (qui Kal. Septemb. A. C. 100. Panegyricum Trajano dixit,) & omnium fere, qui ad Hiſtoriam Auguſtam aliquid ſcriptionis contulere; *numos* item *marmora*que illuſtrata.

Ex his præcipue memoratu digna eſt inſcriptio illa, quæ ampliſſimam dicendi materiam ſuggeſſit Dodvvello in *Appendice*, a p. 651. ad p. 782. pertingente. Partem ejus, (quæ *acta* urbis Romæ *diurna* a *V. Kal. Apr.* ad *III. Non. Apr.* L. Æmilio Paullo II. C. Licinio Craſſo COSS. i. e. *A. V. C.* Varroniano *586.* complectitur,) ediderant notisque illuſtraverant Stephanus Vinandus *Pighius*, & ex eo Thomas *Reineſius* claſſe IV. inſcript. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Addidit Dodvvellus *varias lectiones*, ex apographo *Voſſiano* inſcriptionum a Paulo *Petavio* collectarum, ut & *præfationem* (de libris *linteis* pontificum, de *albis* faſtorum, atque utrorumque apographis *lapideis*,) & copioſiſſimas *annotationes*, (de imperio ſummo ac faſcibus, qui *alternis*, non *menſibus*, ſed *diebus*, ante Cæſaris tempora, penes conſules fuere, p. 668; de *matutino* euchariſtiæ Chriſtianæ *tempore*, p. 669; de *cellis* veterum, præſertim ſacris, p. 673; de *Tellure Laverna*, p. 677; de *Sacris Novendialibus*, p. 678; de Dea *Strenia*, p. 685; de *lautiis* Legatorum, p. 687.) ſimulque *Livio* medicas paſſim manus, aut facem admovit. Subjunxit dein, ex iisdem *Iſaaci Voſſii* ſchedis, fragmenta marmorea, hactenus *ἀνέκδοτα*, quæ *acta* exhibent *diurna*, anno V. C. Varroniano *692*, D. Junio Syllano, L. Muræna COSS. *III. Idus Sextiles*, *V. Kal. Sept.* *IV. Kal. Sept.* ut & *A. V. C.* Varron. *699*. Cn. Pompejo Magno II. M. Licinio Craſſo COSS. *Kal. Maji.* Subjecit notas pereruditas, quibus non in vulgus nota adfert de *DIs Penatibus* urbis Romæ, p. 694; de *mulcta ærariorum*, p. 709; de *Tribunis ærariis*, p. 717. aliisque id genus argumentis: *Ciceronis* etiam & C. Julii *Cæſaris* vitas haud perfunctorie illuſtrat, ac, (quod caput eſt,) *tabulis canonibus*que omnem *veteris anni* Romani rationem dilucide explicat.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPISTOLÆ & Panegyricus. Recenſuit ac novis commentariis illuſtravit, etiam indicibus plenioribus tam rerum quam Latinitatis auxit CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

Lipſiæ ſumtu Jo. Friderici Gleditſchii, 1693. in 12.
Conſtant plag. 36.

QUemadmodum ſcribendarum epiſtolarum utilitates in omni vitæ genere ingentes ſunt: ita qui hoc munere cum laude defungi velint, præter eloquentiam eximiam & naturali quodam decurſu ſe commendantem, ſummum ingenii acumen cum ſingulari prudentia ac rerum uſu conjunctum, ad negotium iſtud afferre oportet. Inde factum credimus, ut paucitas illorum ſit longe maxima, qui in hoc genere laudis & ante hæc tempora & nunc etiam eminuerunt. Quotusquisque enim eſt, e cujus epiſtolis, hæ ipſæ, quas diximus virtutes, eloquentiæ perfecta atque abſoluta ratio cum pari judicio prudentiaque eluceat, cujusque lucubrationes æquo aliquis animo perlegere poſſit? Equidem ſi vetuſtiores nunc ſaltem reſpiciamus, dubium non eſt, quin Cicero, ut in rebus omnibus, quibus ſuum dederat ſtudium, mirificos in exarandis literis ſucceſſus habuerit. Sed quamvis poſtea multi eum imitatione aſſequi conati fuerint, haud ita tamen multos, qui quod voluerunt, feliciter etiam conſecuti ſint, ex omni ætate deprehendemus. Unus propemodum *Cajus Plinius Secundus* fuit, qui cum Ciceronem, quod alicubi fatetur, æmularetur, haud ita longo ſpatio relictum ſe a diſertiſſimo Romanorum vidit, niſi plane in idem cum ipſo faſtigium enixus fuerit. Sicuti enim Vir iſte indole fuit litterarum omnium capaciſſima; ita inexhauſto labore id tandem indeptus erat, ut eum, quod pariter aliquibus in locis memorat, juxta cum Cornelio Tacito, pro doctiſſimo ſuorum temporum haberent. Quanto vero ingenii acumine & prudentiæ laude conſpicuus fuerit, vel hinc colligitur, quod ſemper in republica verſatus ſit, & honores ampliſſimos geſſerit, modo Quæſtoris Cæſarei, modo Tribuni Militum, modo Tribuni Plebis, Prætoris, Præfecti ærarii, Conſulis, Auguris, Prætoris Provinciæ Ponticæ, aliisque muneribus ſummam

Lib. IV. Epiſt. IIX.

Lib. IIX. Ep. XX. & Lib. IX, Ep. XXIII.

Digitized by Google

mam dignitatem habentibus perfunctus; ut nihil dicamo, ex omnibus quæ ſcripſit & egit, ſingularem morum honeſtatem effulgere. A tanto igitur viro quid mirum proficiſci potuiſſe, quod a Ciceronis operibus partes, ut id ſaltem velimus, teneat ſecundas, eumque tam in conſignandis epiſtolis, quam in habendis orationibus exacte referat? Exiſtimare de his ipſis rebus licet tum ex epiſtolis comtiſſimis, rerumque pulcherrimarum tam ad bonas litteras quam ad rempublicam ſpectantium refertiſſimis, tum ex aureo Panegyrico, quem optimo Imperatorum ethnicorum Trajano dixerat. Et aſſeverare utique poſſumus, non minori applauſu Plinii ac Ciceronis epiſtolas ab eruditis fuiſſe ſuſceptas, nec minus ſemper in delitiis habitas. Quanto etiam ſtudio in iisdem expoliendis & commendatioribus reddendis elaboraverint Viri eruditi, neminem litterarum humaniorum paulo peritiorem fugere poteſt; cumprimis poſtquam *Jacobus Thomaſius*, inſigne Academiæ noſtræ decus, in ſua Epiſtolarum Plinianarum editione Præfationis loco hæc prolixiſſime deduxit. Quam enim optimæ frugis ſunt, quæ Catanæi, Stephani, Rittershuſii, Gruteri, Caſauboni, Buchneri, Veenhuſii, & ipſius Thomaſii huc contulit induſtria? Sed poſt tantorum Virorum laudatiſſimam operam nova veſte, eaque ſine dubio ſplendidiore indutas ſiſtit nobis Plinii Epiſtolas una cum Panegyrico *Chriſtophorus Cellarius*, cujus in Actis noſtris ſæpe, cum occaſio eſſet, cum laude meminimus. Iſte enim, quemadmodum diverſis antea temporibus Cornelium Nepotem & Quinctum Curtium ſuis commentationibus illuſtratos nobis dedit: ita non minori dexteritate & eruditionis apparatu circa Plinii opera ornatiora ac magis intelligibilia reddenda ſategit. Utrumque opus, & epiſtolas & panegyricum, emendatiſſime, quantum fieri potuit, in conſilium adhibitis novis & antiquis editionibus, etiam manuſcriptis, quæ Gruterus & Modius enotaverant, virorumq; eruditiſſimorum conjecturis, exhibuit, interpretationibusq; ſuis locis obſcurioribus lucem ſatis claram affudit, duces ſecutus, quos ipſe laudat, Jo. Mariam Catanæum, Auguſtum Buchnerum, & Jacobum Thomaſium. *Indicem* rerum paſſim emendatiorem reddidit, & *novum* plane *Latinitatis* Plinianæ ſubjecit; cujus cauſa epiſtolas in ſectiones, & panegyricum non tantum in capita, ſed & numeros minores diviſos repræſentavit. Et quoniam multa ſunt, quæ in epiſtolis ſine *Geographia* non poſſunt ſatis expli-

cari, novo at utiliſſimo inſtituto *tabellas quatuor parvas* addidit, quarum *prima* Tiberinum tractum; *altera* Veſuvii incendium; *tertia* ingreſſum in provinciam ab Epheſo usque; *quarta* provinciam Ponti ipſam ob oculos ponit. Denique aliam *vitæ Plinianæ*, novo itidem invento, eamque correctiorem *deſcriptionem* ita adornavit, ut omnia, quæ de Plinii toto vitæ curſu adfert, ex ipſis Plinii epiſtolis & panegyrico, citatis ſemper locis, depromſerit.

DANIELIS GEORGII MORHOFII, CELEBERrimi Polyhiſtoris, Collegium Epiſtolicum, nunc publica luce donatum.

Lipſiæ apud Hæredes Lanckiſianos. A. 1693.
Conſtat plag. 13.

CUm non levis res ſit ac vulgaris, ut paulo ante diximus, epiſtolas cum lectoris gratia perſcribere, ſed multis virtutibus opus ſit illi, qui hoc ſe facere poſſe profiteri velit, rem ſuis auditoribus gratiſſimam facturum ſe ſperavit olim eruditiſſimus *Morhofius*, ſi iisdem de ſcribendis epiſtolis præcepta, brevia illa quidem, ſed quæ ſufficere poſſe putabat, ſuppeditaret. Quem in finem ne acta ageret, & quæ ab aliis magno numero comportata erant, cum faſtidio repeteret, ea ſaltem, quæ ab epiſtolographis vel omiſſa vel negligenter pertractata erant, ſectanda ſibi duxit, ſingularia ſcilicet illa, quæ tum ad epiſtolam ſcite exarandam requiruntur, tum ad judicium de ſcriptoribus epiſtolographis faciendum, facere poſſunt. Totum laborem in *duas* veluti *partes* diſpertitus eſt; in quarum *prima* capitibus octo conſtante theoretice veluti de epiſtolis agit, & cap. I. cenſuram inſtituit in epiſtolographos veteres & recentiores: cap. II. agit de artis epiſtolographicæ ſcriptoribus: cap. III. de Charactere ſeu dictione epiſtolarum: cap. IV. de numero & periodis epiſtolæ: cap. V. de epiſtolis familiaribus earumque conficiendarum ratione: cap. VI. de locis communibus epiſtolaribus: cap. VII. de imitatione in epiſtolis ſcribendis & cap. denique IIX. de epiſtolis Germanicis. Parte *ſecunda* ad praxin veluti tendit, varia epiſtolarum genera & exempla afferens ad præcepta ſuperiora expreſſa. Quamvis vero jam aliqua ex Collegio iſto in *Polyhiſtorem* ſuum ab ipſo Morhofio relata ſint, qui

Digitized by Google

qui ſine dubio & reliqua, ſi per fata licuiſſet, in eundem congeſſiſſet; erunt tamen fortaſſe, qui non illibenter, quæ in Collegio iſto a B. Auctore dicta ſunt, uno intuitu perluſtraturi ſint.

OPERA JACOBI SIMANCÆ, EPISCOPI PAcenſis & poſtmodum Zamorenſis.

Ferrariæ, typis Bernardini Pomatelli, 1692. in fol. Conſtant Alphab. 7. & pl. 3.

AUctor hic in Hiſpania ſuperiore ſeculo floruit, & tum operibus aliis, quæ reliquit, tum inprimis libro de *Catholicis Inſtitutionibus adpræcavendas & extirpandas hæreſes* neceſſario, Valliſoleti primum A. 1552, Compluti inde A. 1569, tandemque Romæ A. 1575. edito, famam eſt adeptus. Hanc renovare voluit Vir doctiſſimus *Franciſcus Caſtracanus* Ferrarienſis Cathedralis Canonicus J. U. D. Prioralis S. Romani Mart. Vicar. perpetuus ac S. Inquiſitionis Conſultor, dum & iſtud & alia Simancæ opera, in lucem denuo protraxit, typisque Ferrarienſibus deſcripta, ſuisque notis illuſtrata, & Conſtitutionibus inſuper Apoſtolicis recentioribus ad Inquiſitionis tribunal ſpectantibus locupletata publico uſui redonavit. Sunt autem in univerſum tractatus quatuor, quos, cum novi non ſint, ſed jam diu doctorum virorum manibus verſati, nobis quidem pro inſtituti ratione indicaſſe ſuffecerit. Primus continet *Catholicas*, quas diximus, *Inſtitutiones* titulis ſexaginta ſex, iisque juxta ſeriem Alphabeti diſpoſitis abſolutus. Alter *Praxin* exhibet *Hæreſeos*, ſive Enchiridion Judicum violatæ Religionis, titulis ſexaginta ſeptem promiſcue collocatis comprehenſum. Tertius continet *Annotationes* tum in librum *Zanchini* de Hæreticis, tum in *Camilli Campegii* in librum illum Additamenta, breviſſimas & vix trium foliorum. Quartus opuſculum itidem ſiſtit de *Patre Hæretico*, quo quæſtio ventilatur, *utrum filius patrem hæreticum accuſare vel judicibus prodere teneatur*, & negative deciditur. His quatuor Simancæ Tractatibus ſubjunxit Caſtracanus recentiorum Pontificum Decreta & Conſtitutiones ad Tribunal Inquiſitionis ſpectantes. *Alexandri* nempe *VII.* Conſtitutionem 15. Cal. Mart. A. 1664 promulgatam, quæ formulam exhibet ab omnibus Eccleſiaſticis in regno Galliæ ſubſcribendam pro

confutatione quinque propoſitionum Cornelii Janſenii, quas jam Innocentius X damnaverat: Conſtitutionem 7. Kal. Jul. 1665, qua Facultatis Theologiæ Pariſienſis Cenſuræ in Jacobi Vernantii & Amadei Guimenii libellos, velut præſumptuoſæ, temerariæ atque ſcandaloſæ, damnantur: Decretum d. 23. Mart. 1666. quo propoſitionibus 28 jam antea damnatis, 17 aliæ adjiciuntur, damnatarum propoſitionum numero quadrageſimo quinto ſic expleto: Decretum, quo libellus, *Recit de ce qui s' eſt paſſé au Parlament au ſujet de la Bulle de noſtre S. Pere le Pape Alexandre VII contre les Cenſures de Sorbonne*, damnatur ac prohibetur: Decretum d. 5. Maji 1667 circa controverſiam, *an illa attritio quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ ad impetrandam gratiam in ſacramento Pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei*, de non taxanda theologicæ cenſuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota alterutra ſententia, ſive negantium neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communiter videatur, ſive aſſerentium dictæ dilectionis neceſſitatem, donec a Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Porro *Clementis IX* Conſtitutionem d. 9. April 1668, qua liber Gallicus, *Rituel Romain du Pape Paul V. avec les Inſtructions & les Rubriques*, damnatur: Conſtitutionem d. 20. April 1668, qua verſio Gallica novi Teſtamenti Montenſis, tanquam temeraria, damnoſa, a vulgata N. T. editione difformis & offendicula ſimplicium continens damnatur. *Clementis X.* Inſtructionem d. 17. Aug. 1670. pro examine teſtium ad probandum ſtatum liberum contrahentium matrimonium: Decretum d. 15. Jul. 1673. quo Confraternitates Mancipiorum Matris Dei (*Schiavi della Matre di Dio*) quæ a regularibus & ſecularibus variis in locis, catenulis inter confratres & conſorores, ut brachiis & collo circumponerentur atque geſtarentur, diſtributis, inſtitutæ fuerant, damnantur & extinguuntur: Decretum, quo Congregationes ſeu Confraternitates aliæ, ſub invocatione ſanctiſſimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ & S. Joſephi, ſub titulo *Gregis Boni Paſtoris* erectæ ſupprimuntur & abolentur: Decretum d. 13. Sept. 1675. quo damnatur liber, cui titulus, *Naturalium Doctrina Andreæ Piſſini Lucenſis, qua funditus everſis materiei primæ*

Digitized by Google

prima, formaque ſubſtantialis & accidentalis, cunctisque ferme ſectariorum ſententiis, rationibus firmis inopinata ſubſtituuntur, aut penitus obſoleta revocantur. Sequuntur *Innocentii XI* Conſtitutio d. 28. Aug. 1677 contra ſurripientes Hoſtiam conſecratam: Decretum d. 2. Martii 1679, quo proſcribuntur 65 propoſitiones morales: Decretum d. 2. Dec. 1679, damnans propoſitiones duas alias, *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam vel librum;* &, *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam:* Conſtitutio d. 16. Sept. 1680, librum notiſſimum ſub nomine Amadei Guimenii Lomarienſis editum prohibens: Conſtitutio d. 16. Febr. 1687, qua Natalis Alexandri Selectæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculum XV & XVI, nec non Maimburgii Hiſtoria Pontificatus S. Gregorii M. prohibentur: Conſtitutio d. 19. Febr. 1688, qua damnantur dogmata Michaëlis de Molinos, tanquam hæretica, ſuſpecta, erronea, ſcandaloſa, blaſphema, piarum aurium offenſiva, temeraria, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativa & everſativa, & reſpective ſeditioſa. Agmen claudunt *Alexandri VIII* Conſtitutio d. 24. Aug. 1690, qua duæ propoſitiones, quarum altera novum de peccato philoſophico dogma continet, damnantur, & alia d. 20. Dec. 1690, propoſitiones 31 damnans, inter quas hanc no. 15. deprehendas: *Attritio quæ Gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.* Confer quæ proximo menſe Martio pag. de hoc argumento diximus.

Univerſo Operi copioſiſſimus rerum, verborum ac ſententiarum Index ſubjicitur. Cæterum nulli dubitamus, exactiorem ſi quis notitiam Inquiſitionum Romanarum, & quæ circa eam a modernis Moraliſtis, quos vocant, diſceptantur, deſideret, ei Simancæ hos tractatus, inprimis vero notas a *Caſtracanio* recens additas, haud parum profuturas.

MESCOLANZE D' EGIDIO MENAGIO &c.

h. e.

Ægidii Menagii Miſcellanea. Editio ſecunda auctior & emendatior.

Rotterod. apud Regn. Leers A. 1692. in 8.

Conſtant plag. 21.

Ultimus

ULtimus fortaſſe hic fœtus eſt, qui doctiſſimo Menagio parente gloriari poteſt, niſi, quod optandum magis credimus quam ſperandum, dudum promiſſæ veterum Medicorum vitæ, cum magno de Dialectis opere & aliis nonnullis, ad eum forte ſtatum fuerint perductæ, ut poſt mortem etiam ejus, obſtetricantes Viri cujusdam docti manus experiri, & ab iis in lucem protrahi queant.

Iſtud interea quod præ manibus habemus opus, totum fere literis ad doctisſimos Italiæ viros abſolvitur, Carolum Datium puta, Antonium Magliabecchium, Valerium Chimentellum, Franciſcum Redium, Sereniſſimum Principem & Cardinalem Medicæum, aliosque. Argumentum iſtarum Epiſtolarum omnium nullum fere aliud eſt quam variæ circa linguam Tuſcanam, & qui in ea aliquid literis conſignarunt autores, obſervationes. Cujus linguæ Veneres licet adeo usque Menagius noſter, tum in aliis hoc idiomate vulgatis opuſculis, tum in hoc præſertim expreſſerit, ut etiam celeberrimæ Academiæ, quam *della Cruſca* vocant, nec non Apathiſtarum, quæ Florentiam ornant, adſcribi meruerit; quin etiam ejusdem generis fraude, qua Scaligero olim Muretus impoſuit, Cappellano aliisque in hac lingua verſatisſimis viris, quod ipſe fecerat Epigramma pro *Torquati Taſſi* fœtu obtrudere potuerit: id tamen perfectionis in ea faſtigium nondum attigit, ut ejus in ejusdem Taſſi *Amyntam* obſervationes Academiæ della Cruſca & doctisſimorum Virorum *Antonii Magliabecchi & Ferdinandi* Comitis *Del Maeſtro*, cenſuram effugere potuerint. Quam ob rem etiam *Origines* ſuas *Italicas*, antequam in lucem prodirent, a modo laudatis Academicis, ut leges illorum jubent, emendari petiit. Cæterum iſtud moneri haud forte moleſtum erit, non pauca quæ in hoc opuſculo exhibentur, jam alibi a Menagio noſtro edita legi. Ut enim varia carmina quæ omnia in Poëmatum ejo volumine exhibentur, & præfationem elegantisſimam in Taſſi *Amyntam* taceamus; totus in Sonnettam VII. Petrarchæ Commentarius una cum Tractatu de Mulieribus Philoſophis Lugduni A. 1690. editus, nec non Epiſtolæ Marci Antonii Foppæ de patria Torq. Taſſi in priore *Anti-Bailletti* parte vulgatæ, cum aliis nonnullis hic repetita leguntur.

p. 90.
p. 153.
p. 54.
p. 121.

REMARCKS

Digitized by Google

REMARKS VPON THE ECCLESIASTICAL History of the ancient Churches of the Albigenſes.

i. e.

Annotata ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam de priſcis Albigenſium Eccleſiis: auctore Petro Allixio, Th.D. & Eccleſiæ Sarumenſis Theſaurario.

Londini apud Richard. Chiſvvel, 1692. in 4. Alph. 1. Plag. 10.

QUæ de Waldenſium & Albigenſium Manichæiſmo inter ſe decertarunt J. B. *Boſſuetus*, J. *Baſnagius*, & P. *Allixius*, in Actis Eruditorum A. 1689. 1690. & 1691. legere eſt. Nunc Albigenſium ſpecialis vindicatio prodit, Gallice quidem ab Auctore conſcripta, at in Anglicum dein idioma transfuſa, geminaque illi, quam in gratiam Pedemontii Eccleſiarum inſtituit clariſſimus Auctor. Nam ut Pedemontanas juxta ſeculorum ſeriem a Manichæiſmo contra Boſſueti accuſationem liberavit: ita & nunc Albigenſes, quarum ſedes in Narbonenſi Gallia & Aquitania figit, pari ſtudio defendit. Pernegat ipſas ab Apoſtolis, Apoſtolicisque viris (quod vult Baronius, aliique) converſas eſſe, idque Sulpitii Severi & Gregorii Turonenſis teſtimoniis: licet enim ad ea Petrus de Marca in Epiſtola ad Henricum Valeſium, Euſebii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ præfixa, reſponderit, ſufficit tamen noſtro Franciſci *Boſqueti*, Jacobi *Sirmondi* & Joannis *Launoji* aſſenſus. Hinc ab *Irenæo* orſus oſtendit, qui ſingulis centuriis has eruditerint Galliarum Eccleſias. p. 7. Sunt illi *Hilarius* Pictavienſis, (Victorinum enim, quem aliqui etiam Pictavienſem Epiſcopum appellant, excludit, quod Patavionenſium (*Paſſau*) non vero Pictavienſium Præſulem fuiſſe opinetur,) p. 13. 19. *Rhodanius* epiſcopus Toloſanus, *Phœbadius* Agennenſis, *Vigilantius*, (qui, aſſerente Petro de *Marca*, in diſſertatione nondum edita, ex *Aquitania* oriundus, & Barcinonenſis deinde Presbyter, exoſus quidem fuit Hieronymo, atq; ob cultum ſacris reliquiis denegatum reprehenſo, at in Synodo nulla damnatus eſt, licet nunc pro hæretico habeatur: imo juxta *Eliberitanam* Synodum, cereos interdiu accendi ad martyrum ſepulcra recte vetuit, nec p. 21.

p. 34. *Hieronymus* ab ipſo diſſenſit in doctrina de cultu ſanctorum, quos *neque ut amicos quidem Dei & comprecatores adorandos eſſe* cenſuit) Exuperius *Toloſanus*, *Sulpitius* Severus, *Vincentius* Lirinenſis, Joannes *Caſſianus*, patria quidem Athenienſis, at Maſſilienſis monachus, *Salvianus* Maſſilienſis, *Salonius* Eucherii Lugdunenſis filius, *Proſper* Aquitanicus, *Arnobius* commentariorum in Pſalmos auctor, *Fauſtus* Reienſis, *Cæſarius* Arelatenſis, *Ruricius* Lemovicenſis, *Ferreolus* epiſcopus Ucetienſis, *Fortunatus* presbyter Pictavienſis. Horum doctrinam orthodoxam fuiſſe, ſingulis capitibus, tum ex extantibus eorundem ſcriptis oſtendit, tum quoniam multorum perierunt libri, ex coætaneorum fide, & hiſtoria ipſorum, propria etiam conſtantia, hæreticorum oppugnatione & perſecutionibus docet. Haud tamen inficiatur, inveniri apud quosdam errores, Romanenſium modernis dogmatibus patrocinari aptos; ut vel in ipſo Irenæo de fidelium poſt mortem ſtatu

p. 13. cernere licet: & reſpondet, α) nec ipſos Pontificios in totum his aſſentiri Doctoribus, ſed reſpuere in ipſis quædam: β) a Manichæiſmo alienos fuiſſe: γ) non defuiſſe, qui irrepentibus ſuperſtitioſis ritibus forti-

p. 59. ter ſe oppoſuerint, ut Serenus Maſſilienſis Epiſcopus, imagines a plebe adoratas confringens, & alii. Synodos etiam adducit Toletanam, Francofurtanam, Arelatenſem, ex VII, IIX & IX ſeculis, in quibus non ſolum orthodoxa doctrina fuit confirmata, verum etiam heterodoxa

p. 60. iconolatrarum damnata. Ex Liturgia Gothica quoque conſtare ait, quænam fuerit Eccleſiarum harum fides. Nam licet fateatur, partes ejus non omnes ejusdem eſſe ætatis, ut ex Officio Aſſumtionis B. Virginis quoad corpus & animam in cœlum patere autumat, quam *Uſuardi* auctoritate, non niſi ſeculo nono præcipite a Gallis vult creditam eſſe; cum liturgia iſta jam ſeculis ſuperioribus fuerit in uſu: varia tamen puræ doctrinæ & a Romanis opinionibus diverſæ veſtigia ibi reperiri ait, & probat. Ex ſeculo nono *Homiliarium Caroli*

p. 8. *M.* mandato e Patribus orientalibus occidentalibusque collectum, tanquam genuinum fidei, in Gallicanis aliisque tum temporis Eccle-

p. 84. ſiis, inſtrumentum laudatur. Sequuntur *Agobardus* (Romæ quidem damnatus, at Lugduni in Gallia in Sanctorum numero hodienum cultus;) Chriſtianus *Druthmarus*; Epiſcopi Germaniæ Franciæque opponentes ſe Johanni VIII, qui per Carolum Calvum voluit eos ſubjicere Anſegiſo Senonenſium Archi-Epiſcopo; *Odo*, primus Clunia-

Digitized by Google

Cluniacenſium Abbas; *Gerbertus* Remenſis Archi-Epiſcopus, poſtmodum Pontifex Roman9 Sylveſter II. cognominatus. Quanquam enim hic, ex quo ſummam in Eccleſia dignitatem adeptus eſt, minus orthodoxus videri poſſit, id tamen haud impedire, quominus antehac ſanam doctrinam amplexus fuerit. Eſſe enim morem illorum ait Auctor, ut cum nomine etiam mentem ſuam mutent, ut *Æneæ Sylvii* (poſt *Pii II.*) exemplum docet; & de *Gregorio VII.* P. M. (antea *Hildebrando* & in cœnobio Cluniacenſi Priore,) refert Urſpergenſis, quod Synodus Brixinenſis ipſum hæreſeos Berengarianæ reum egerit, quoniam Berengarii fuerit diſcipulus. His porro accenſet *Leutbericum* Archi-Epiſcopum & *Clarium* Monachum Senonenſes, itemque *Fulbertum*, Carnotenſem epiſcopum, Gerberti diſcipulos, in articulo de Cœna Domini plane aliter, ac hodie in Papatu fit, ſentientes; unde Carolus de Villiers opera Fulberti edens ſic interpolarit verba contra Romanorum doctrinam facientia, ut pro hæreticorum objectionibus haberi queant; quam ob rem etiam vapulavit pridem clariſſimo Guilielmo Cave, in Hiſt. Literaria p. 598. Jam propius ad Albigenſium cœtus Allixius accedit, & cap. XI. largitus intraſſe has Galliæ provincias Manichæos, docet, iſtos tamen ab his minime infectos fuiſſe. Probaverat contrarium Boſſuetus ex Aurelianenſium Canonicorum exuſtione, aſſerueratque, Albigenſium ſectam ex Manichæis pullulaſſe. Reſpondet Allixius, quanquam parum referat, utrum hi Canonici fuerint Manichæi, nec ne; dubitari tamen de accuſationis integritate poſſe, 1.) quoniam alii a fœmina, quod minus ſit veriſimile, a ruſtico alii ſeductos eſſe dicant. 2.) totius hiſtoriæ veritas unius viri teſtimonio innitatur. 3.) accuſatores eorum in nullo præter hoc conſentiant, quod ipſos diffamare conentur cuncti. 4.) ipſimet in defenſione ſua a Manichæiſmo ſe alienos eſſe dicant. 5.) in martyrio ſuo ſpem, Manichæorum opinionibus contrariam, oſtenderint. 6.) ab inimicis ſuis ſanctimoniæ teſtimonium acquiſiverint. Verum, quo feliciter Albigenſes a Manichæiſmo purget, Cap. XII. probat independentes fuiſſe Eccleſias has, nec Romanorum ſubfuiſſe Epiſcopo; imo, eidem ſe opponendo, incontaminatam ſemper ſervaſſe doctrinam. Synodos enim convocaſſe Romano Pontifice non indicente, & codicem canonum ſuorum habuiſſe peculiarem, teſte Juſtello in Præfat. ad Collection. Canonum. Dein altius repetens independentiam hanc, ait,

p. 93.

p. 94.

p. 95.

102.

Ecclesias istas separatas mansisse eo ex tempore, quo *Alaricus* Tolo-
p. 109. sam regni Visigothorum metropolim constituit anno 409; Hispanicis exinde ut plurimum adhæsisse Ecclesiis, ut ex Synodorum Hispanicarum subscriptionibus constet, & sub Clodoveo demum anno 507. aut verius sub *Carolo Magno* fuisse Gallicis reunitas: nec valuisse hic quicquam Pontificem Romanum, donec, ut Pallium a se emerent, Episcopos assuefeciisset, & hinc inde Legatos suos dispositisset constituisseteq; vicarios, quales fuerunt Girardus Inculismensis Episcopus a Paschali II. anno 1107 vicarius Pontificis in provinciis Bituricensi, Burdigalensi, Turonensi & Britannia constitutus, ut Lucas D' Achery refert T. 3. Spicileg. p. 131. & Wilhelmus Auxitanus Archi Episcopus, in Diœcesin suam Legativam potestatem nactus, ut P. de Marca refert ad concil. Claromontanum. Legati enim Pontificis Romani, indultu canonis Sardicens. 7. querelas Episcoporum in aliis provinciis audientes, sic pedetentim invaluerunt, ut omnia ecclesiastica negotia ad se traherent, donec Alexander II. hanc confirmaret regulam, *ad Pontificem*
111. *Romanum pertinere omnium Ecclesiarum regimen & gubernationem*, Synodi etiam provinciales cessarent, quoniam ad eos, qui in iis conveniebant, nihil redundavit præter tædium, cum viderent irrita Romæ declarari decreta sua, & Gregorius VII. quenquam damnari prohibuit, qui ad Romanam sedem appellasset.

112. Cap. XIII. explicat, quo tempore Ecclesiæ istæ se opposuerint Romano Pontifici, & docet, non quidem exacte definiri posse, attamen ait factum id fuisse, cum in Liturgiis preces pro defunctis innovarentur, & clericis injungeretur cœlibatus, *Berengarii* item (quo nemo unquam sæpius damnatus nec defensus esse fertur) secta invalescceret; ostenditque circa initium seculi 12 Albigenses in his provinciis
114. pro hæreticis habitos, & antequam Waldenses ad ipsos venerint, hic locorum habitasse, singularesque constituisse cœtus, ut patere putat ex epist. Bernhardi ad Comitem S. Ægidii & Canone IV. Concilii Turonens. anno 1163. celebrati, ubi de Albigensium secta, tanquam inveterata, sermo est.

Cap. XIV. Petri *Brusii* (de Bruis) dogmata sistit, & quinque illis Thesibus, ob quas damnatus est, nihil ex Manichæorum fermento
115. inesse docet. Negavit enim (ut ex Petro Cluniacensi refert Allixius,) 1) infantes per baptismum salvari, parentumque fidem ipsis prodesse

deſſe. 2) docuit templa non extruenda,& extructa deſtruenda eſſe, quoniam Chriſtiani non egeant locis religioſo cultui deſtinatis, 3.) crucis figuras eſſe confringendas,& non tantum non venerandas, verum etiam ignominia afficiendas atque comburendas, ut ſic tormenta & mors Servatoris noſtri vindicentur. 4) negavit panem & vinum realiter eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, nec offerri illa voluit. 5.) omnes pro mortuis oblationes, preces & eleemoſynas contemtim habuit. Henricus diſcipulus ejus paria cum ipſo docens, a Baronio præter hæc accuſatur, quod *irrideri Deum Canticis Eccleſiaſticis* crediderit: a Manichæiſmo tamen immunis aſſeritur ab Allixio, quoniam Bernhardus non niſi pædobaptiſmum ab ipſo improbatum aſſerat,& vitam ſceleratam ei objiciat,epiſtola 240. p.130.

Cap. XV. refert,in colloquio apud Albium Albigenſes ab hujus provinciæ Epiſcopo examinatos & condemnatos eſſe, ceu Manichæiſmi reos; aſt contrarium & confeſſiones ipſorum oſtendere,& ex favore Principum perſonarumque illuſtrium, quem vitæ ſuæ ſanctimonia meruerunt, nec Ribera in Antiquitatibus Toloſanis diffitente, patere ait Allixius, rejectis contra eos teſtimoniis, tanquam ab inimicis profectis. 139.

Cap. XVI. aliud Albigenſium (non vero Waldenſium,ut vult Boſuetus) coram Bernardo ArchiEpiſcopo Narbonenſi colloquium habitum eſſe probat, ibique inprimis obedientiam Clero ab iis denegatam. Adducit etiam Alanum Magnum, cujus contra Albigenſes & Waldenſes,Paganos & Judæos,opus quadripartitum,varios refutat errores, ſed confuſe admodum, adeo ut quibus ſectis ſinguli errores adſcribantur, plerumque incertum ſit: in hac tamen confuſione eluceſcere ait Albigenſium doctrinam, quandoquidem Alanus, ipſos refutaturus, protulit argumenta eorum, quibus transſubſtantiationem impugnarunt, ordinisq; & unctionis ſacramenta atque orationes pro defunctis rejecerunt. 141. 144.

Cap. XVII. obſervat, in colloquio ad oppidum Montis regalis tractatas ſolum eſſe quæſtiones de Sacrificio Miſſæ & transſubſtantiatione,an ab hominibus vel Chriſto tradita fuerint; de Eccleſia item Romana,quam Albigenſes crediderunt eſſe non Chriſti ſponſam, ſed confuſionis cœtum; & regimine Eccleſiaſtico, quod nec bonum, nec ſanctum, nec a Chriſto inſtitutum ſtatuerunt. 158.

p. 160. Firmiſſimum pro Boſſueti ſententia argumentum videri poterat teſtimonium Inquiſitorum, in quorum actis extant liquidæ confeſſiones Albigenſium de Manichæiſmo ſuo. Quod talia Acta dentur, non negat Allixius, cap. XIIX, imo affert ipſemet bina inquiſitionum Toloſanarum apographa, quorum alterum ab H. Wetſtenio
165. Amſtelodamenſi bibliopola, alterum ab amico alio communicatum ſibi refert. Verum enim vero negat pernegatque, ullius eſſe auctoritatis teſtimonia ejuscemodi ab inimicis profecta: contrarium enim ex ipſorum Albigenſium confeſſionibus innoteſcere, teſtibus Paradi-
169. no in Annalibus Burgund. Jacobo de Ribera in Collectan. Toloſan.
170. Vignier in Bibliotheca hiſtorica ad ann. 1206. qui fatentur, quod Albigenſes Scripturæ S. innixi, omnes damnaverint opiniones ex Scriptura non demonſtrabiles.

Cap. XIX. examinat Allixius poſitionem Boſsueti, qua ſtatuit,
173. quod ſit Manichæiſmi nota, aſſerere Pontificem Romanum eſſe Anti-Chriſtum, & reſpondet α) nullum ex veteribus id de Manichæis memoriæ prodidiſſe; β) multos, qui a Pontificiis inter ſanctos adorantur,
176. credidiſſe & docuiſſe Anti-Chriſtum eſſe Romanum Pontificem, Wolfio teſte in Lectionibus Memorabilibus.

Cap. XX. eccleſiaſticum regimen & vitæ ſanctitatem in his Eccleſiis exhibet. Habuiſſe enim Epiſcopos & Presbyteros multos probat, ſobrie vixiſſe, Bibliorum in vernacula lingua lectionem laicis
187. commendaſſe, unde Raimundus Toloſatum Comes nuſquam ſine eis proceſſerit. Hinc atroces illas calumnias falſiſſimas eſſe, arguit Auctor, quas Albigenſibus inimici eorum aſperſerunt, imitando gentiles paria affricantes primis Chriſtianis. Iniquum etiam in eos eſſe monet Marianam, *Lucæ Tudenſis* librum *de altera vita fideique controverſiis* edentem: huic enim titulo adjecit, *adverſus Albigenſium errores*, quo eos Epicureiſmi & Atheiſmi inſimularet, ac ſi ſcilicet alteram non crederent ſperarentque vitam. Ad perſecutiones tandem
190. deveniens Auctor refert, non ſolum *Petrum Bruſium* combuſtum eſſe, quod crucis ligno carnem coxerit, & in ipſo Paraſceves die magno comederit, verum etiam *Henricum*, pari Petri Cluniacenſis & Bernhardi Clarevallenſis ſtudio, ſublatum eſſe: hinc leges ſynodales in Albigenſes conditas, omni ſocietate ipſis interdicentes, Inquiſitoresque contra ipſos flamma & gladio inſtruentes. Triſte imprimis
p. 192. eſt

eſt Raimundi Toloſatum Comitis, Albigenſium patroni, exemplum, in cujus territorio Petrus de caſtro novo, primus qui Inquiſitoris munus exercuit, occiſus eſt; (quanquam ipſe Pontifex ab hoc facinore p. 193.
inſontem ipſum, intercedente Philippo Galliarum Rege, poſthac declaraverit, & in ſignum plenariæ reconciliationis magni pretii annulo donaverit.) Excommunicatus enim fuit, & ſubditi ejus ab obedientia ſoluti; deinde Valentiam ad Milonem Pontificis legatum veniens veniam impetraturus, octo fortalitia ei in converſionis ſuæ pignus tradidit; anno ſequenti abſolutionis obtinendæ gratia virgis cæſus eſt ad portam ædis S. Ægidii, in qua Petrus ſepultus erat, tandemque reſti circa collum tracto ad Petri ſepulchrum uſque, coram 20. Archi-Epiſcopis & immenſa plèbe ligneum jugum impoſuit Pontificis legatus. Hic Raimundus poſtea, crucem cum aliis ſumſit contra Albigenſes, cumque ipſis proprias ſuas ſociorumque oppugnavit 195.
civitates; ubi cumprimis lectu horrendum eſt, quod *cruciati* milites in expugnatione *Bliterarum* non modo *Albigenſes*, ſed & ipſos *Romano-Catholicos* incolas victoribus gratulaturos, ideoque cum cruce, labaris, aqua luſtrali, obviam eis factos, e medio ſuſtulerint, nullo ætatis, ſexusve diſcrimine habito, ea ſolum de cauſa, quod eandem hactenus cum hæreticis urbem incoluerant. His ſubnectit Auctor Albigenſium in Angliam adventum, Johanne regnante 201.
factum, eosque poſt varias perſecutiones in *Lollardis* & *Wiclefitis* revixiſſe tradit. Ait etiam, immanes eſſe calumnias, quibus *Trithemius* Lollardos onerat, quæque apud *Natalem Alexandrum* Sec. 13. P. 1. pag. 387. recenſentur, ideoque opponit iis *petitionem* ab illis ipſis Parlamento exhibitam & confeſſionem eorundem complectentem, in qua præter orthodoxam doctrinam Romanæ adverſam, errores quidem aliqui deprehendantur, ſed tanquam indicia humanæ fragilitatis, eadem qua Patrum nævi æquitate excuſandæ. Exhibetur autem heic illa *Lollardorum* petitio tum, quo ſcripta eſt, idiomate *Anglico*, tum *Latino*, in quod convertit Rogerius *Dimmock*, monachus ord. D. Jacobi, adjuncta refutatione, *Richardo II.* R. dicata, cujus bina exemplaria hodienum Cantabrigiæ ſuperſunt, unum in Bibliotheca publica, alterum in Trinitatis Collegio. *Wiclefum*, quem 222.
(ut conjicit Allixius) non fuiſſet criminatus Boſſuetus, ſi Woodi Hiſtor. Univerſit. Oxonienſis legiſſet, a criminibus intentatis purgaturus,

Digitized by Google

rus, oppoſuiſſe ſe notat Romanæ ſedi, multos in aula & clero habuiſſe
p. 224. ſibi faventes, in Cantuarienſi Synodo anno 1377. fortiter ſe geſſiſſe, & ab Univerſitate Oxonienſi ante Concilii Conſtantienſis tempora defenſum, non damnatum, elogiumque tandem nactum fuiſſe tale: *ſingulos mendicitate ſpontanea Chriſti religionem blasphemantes S. Scripturæ ſententiis catholice expugnavit.* Adeoque fruſtra fuiſſe *Thomam Walden*, qui ipſum de 800. erroribus accuſavit, & adhuc
225. eſſe, qui inter hæreticos eum numerant: eo enim polluiſſe judicio, pietate & eruditione, ut in operibus ejus controverſiæ inter nos & Pontificios agitatæ, fere omnes exacte videantur pertractatæ; indeque etiam factum, quod Pontificii *Thomæ Walden* opera ſumma diligentia recudi fecerint.

Ad *Hiſpanos* etiam Albigenſes perveniſſe, *cap. XXV.* docetur ex
p. 237. Spondani vita a *Friſonio* ſcripta, *Luca Tudenſi* (Gregorio IX. coævo,) *Emerico* in Directorio Inquiſitorum, & *Rainaldo* aſſerente, quod Albigenſes anno 1344. ab inquiſitore Toloſano *Joanne Molino* male vexati, alii in Benearniam, in Arragoniam alii ſeceſſerint, atq; heic ad inſtantiam ejusdem inquiſitoris a Pompelonenſi Epiſcopo perſecutionem paſſi fuerint. Huc quoque referri poſſe putat *Petrum*
244. *Oxonienſem* in Academia Salamanticenſi Doctorem, eadem fere cum Albigenſibus docentem, ut patet ex propoſitionibus illis, quas juſſu Sixti IV. Archi-Epiſcopus Toletanus damnavit, & apud Caranzam leguntur Summæ Conciliorum p. 661. edit. Duacenſis.

Corollarii loco ex regeſto eccleſiæ Sarumenſis adjicitur inſtrumentum partim Anglicum, partim Latinum, exaratum in perpetuam memoriam *abjurationis errorum*, quam coram *Thoma* epiſcopo *Sarumenſi* d. 28. Januarii A. C. 1490. fecere Auguſtinus *Stere*, Henricus *Benet*, Willielmus *Brigger*, Richardus *Highnell*, Willielmus *Priour*, Richardus *Goddard*, variis ſimul adflictionum pœnitentialium generibus in ſe ſuſceptis; quanquam opiniones, quarum palinodiam cecinere viri iſti, non capita fidei catholicæ tetigerant atque improbaverant, ſed ritus tantum *ſuperſtitioſos* eccleſiæ Romanenſis.

LES

LES OEUVRES DIVERSES DE MR. PATRU &c.

i. e.

OPERA VARIA OLIVERI PATRU, ACADEMICI REGII.

Nimirum Orationes ejus Forenſes, Elogia, Epiſtolæ, Vitæ quorundam ex autoris amicis, & Obſervationes de Lingua Gallica, quæ in hac editione primum comparent, pariter ac nonnulla alia inter ſchedas autoris poſt mortem ejus reperta.

Pariſiis apud Sebaſtianum Mabre-Cramoisy, 1692. in 12mo.

Conſtant plag. 39.

NOvæ huic editioni operum Oliv. Patru, qui magna quondam Academiæ Regiæ Pariſienſis, cujus Decanus erat, pars fuit, haud pauca acceſſere, quæ majus ei pretium conciliare queant. Ut enim Obſervationes de lingua Gallica, quarum in rubrica mentio fit, quasve Autor ſupplementi loco eſſe voluit iis, quæ *Vaugelas* olim de hac materia conſignavit, taceamus: nec non orationem XVII. & poſtremam forenſem (cujus generis etiam omnes ferme ſunt reliquæ ab Autore noſtro in Curia Regia, utpote ejus advocato, pronuntiatæ) quæ olim ſeorſim prodierat, & ſi cauſæ, quæ in ea agitur, ratio eſſet habenda, primum ſine controverſia locum mereretur, utpote in qua Regum Galliæ circa nominationem ad prælaturas jura, occaſione quarundam Ordinis S. Claræ monialium, quæ Urbaniſtæ ob ſuſceptam Urbani IV. Regularum S. Claræ reformationem dicuntur, & electionis jus in conſtituendis Abbatiſtis ſolæ hactenus conſervaverant, docte & copioſe diſceptantur. Hæc inquam ut taceamus, exhibentur in nova hac editione duo elegantiſſimi Tractatus, quorum prior agit de Clericorum in Gallia *Synodis* vel potius *Congregationibus*, (conſtituit enim Autor iſtud inter utrasque diſcrimen, ut illas propter ſolas fidei res vel eccleſiaſticam diſciplinam, has vero propter temporalia Eccleſiarum bona principaliter inſtitui dicat;) poſterior de Decimis quas Regi ſuo Clerus Gallicanus præſtare tenetur. Adjungere his præterea placuit familiares quasdam Autoris noſtri Epiſtolas, nec non alias Dablancourtii ad Autorem noſtrum, in quibus tamen

præter linguæ elegantiam, nihil eſt quod magnopere commendandum putemus.

G. G. L. SUPPLEMENTUM GEOMETRIÆ PRActica ſeſe ad problemata tranſcendentia extendens, ope novæ Methodi generaliſſimæ per ſeries infinitas.

CUm antea Series infinitæ fuerint quæſitæ cum primo inventore Nicolao Mercatore Holſato perdiviſiones, & cum ſummo Geometra Iſaaco Neutono per extractiones; viſum mihi fuit, poſſe ad eas perveniri commodius & univerſalius per ſuppoſitionem ipſius ſeriei quæſitæ, tanquam inventæ, ita ut terminorum coëfficientes ex ſucceſſu definirentur. Atque ita data lineæ proprietate, non tantum in calculo communi, ſed & in ſummatorio vel differentiali, aut differentio-differentiali &c. utcumque implicato ſemper ad ſeriem veniri poteſt, cujus ope quæſitum, ſi totam ſeriem concipias exacte; ſi partem ſeriei adhibeas, quantumlibet appropinquando, exhibetur. Exemplo res patebit, facili quidem, & dudum propoſito, ſed ad intelligentiam apto; quærendo ſcilicet vel Logarithmum ex numero, vel numerum ex Logarithmo.

Sit Ratio, vel numerus, $a + x$, : a, & Logarithmus ſit $Y = \int$: $a\,a\,dx$: : $a + x$, ob quadraturam hyperbolæ; fiet ergo $dy = adx$: : $a + x$ ſeu $a\,dy : dx + x\,dy : dx - a = 0$. Si jam dato numero quæratur logarithmus, fiat $y = bx + cx^2 + ex^3 + fx^4$ &c. & fiet $dy : dx = b + 2cx + 3ex^2 + 4fx^3$ &c. itaque:

$$0 \left\{ \begin{array}{l} +a\,dy : dx = ab + 2acx + 3aex^2 + 4afx^3 \text{ \&c.} \\ x\,dy : dx = \quad + bx + 2cx^2 + 3ex^3 \text{ \&c.} \\ -a \quad = -a \end{array} \right\} = 0$$

in qua æquatione explicata, nec aliam indeterminatam quam x continente, ut omnes termini deſtruantur, ſeu ut *æquatio* fiat *identica*, fiet $ab - a = 0$ ſeu $b = 1$ & $2ac + b = 0$ ſeu $c = -1 : 2a$ & $3ae + 2c = 0$ ſeu $e = 1 : 3a^2$, & $4af + 3e = 0$ ſeu $f = -1 : 4a^3$. & ita porro.

Ergo fiet $Y = \frac{X}{1} - \frac{X_2}{2a} + \frac{X_3}{3aa} - \frac{X_4}{4a^3}$ &c.

Contra

Contra ſi dato Logarithmo y quæratur numerus a+x, : a, adeoque ſi quæratur x, ſcribatur $x = ly + my^2 + ny^3 + py^4$. &c. fiet $dx:dy = l + 2my + 3ny^2 + 4py^3$ &c. eſt autem utique per priora $a+x - adx:dy = o$ Unde

$$o = \left\{ \begin{array}{l} x + a = a + ly + my^2 + ny^3 + py^4 \text{ &c.} \\ - adx:dy = - la - 2amy - 3any^2 - 4apy^3 - 5aqy^4 \text{ &c.} \end{array} \right\} = o$$

Quæ æquatio ultima, ut deſtructis terminis fiat identica erit $l = 1$ $m(= l:2a) = 1:2a$ $n(= m:3a =) 1:2.3a^2$; $p = (n:4a =) 1:2.3.4a^3$; & ita porro

& fiet $X = \frac{Y}{1} + \frac{Y^2}{1.2a} + \frac{Y^3}{1.2.3a^2} + \frac{Y^4}{1.2.3.4a^3}$ &c.

Addamus aliud exemplum, prima fronte difficilius, cum ſcilicet inveniendus eſt ſinus rectus ex dato arcu & radio, ſeu quod eodem redit (ob peripheriam practice ſatis datam) ex dato ſinu toto & angulo. Sit arcus circuli Y, & ſinus rectus X, radius vero ſit a; conſtat ex noſtra Methodo differentiali, generalem relationem inter arcum & ſinum poſſe exprimi hac æquatione: $a^2 \overline{dy^2} = a^2 \overline{dx^2} + x^2 \overline{dy^2}$. Jam fiat $x = by + cy^3 + ey^5 + fy^7$.&c. erit $dx:dy = b + 3cy^2 + 5ey^4 + 7fy^6$ &c. Et hos valores ipſius x, & ipſius dx: dy ſubſtituendo in æquatione differentiali, explicatamque æquationem reddendo identicam, ſeu terminos deſtruendo, invenientur valores coefficientium aſſumtitiarum b, c, e, f, &c. Sed idem multo brevius conſequemur, deſcendendo ad differentio-differentiales. Nam æquationem differentialem $a^2 \overline{dy^2} = a^2 \overline{dx^2} + x^2 \overline{dy^2}$ rurſus differentiando, poſita dy conſtante, fiet $2a^2 dx\, ddx + 2xdx \overline{dy^2} = o$; ſeu $a^2 ddx + xd\overline{y^2} = o$ jam $ddx:d\overline{y^2} = 2.3cy + 4.5ey^3 + 6.7fy^5$ &c. ut patet valorem ipſius dx:dy paulo ante habitum, differentiando. Unde jam æquatio differentio-differentialis ſic explicabitur:

$$o = \left\{ \begin{array}{l} X = bY + cy^3 + ey^5 + fy^7 \text{ &c.} \\ a^2 ddx:d\overline{y^2} = 2.3a^2cy + 4.5a^2ey^3 + 6.7a^2fy^5 + 8.9a^2gy^7 . \end{array} \right\} = o$$

Et deſtruendo terminos æquationis explicatæ, aſſumatur $b = 1$ jam $b + 2.3a^2c = o$ ergo $c = -1:2.3a^2$, & $c + 4.5a^2e = o$ ſeu $e = (-c:4.5a^2 =) 1:2.3.4.5a^4$ & ſimiliter $f = -1:2.3.4.5.6.7a^6$

Sicq; porro, hinc $x = \frac{Y}{1} - \frac{Y^3}{1.2.3a^2} + \frac{Y^5}{1.2.3.4.5^4} - \frac{Y^7}{1.2.3.4.5.6.7\,a^6}$ &c. posito a esse sinum totum seu radium, x sinum rectum, & y arcum, qui in praxi debet esse notabiliter minor radio.

Esto adhuc aliud exemplum, in quo ex data Tangentium proprietate quæritur Linea. Nimirum sit ordinata z, abscissa y, subtangentialis (ut Hugeniano verbo utar) seu portio axis intercepta inter tangentem & ordinatam sit t; quæritur curva in qua sit $t = yy - zy, : a$. Est autem generaliter ex legibus calculi differentialis $t : y = dz : dy$. Ergo fit hoc loco $dz : dy = y - z, : a$ seu $a\,dz : dy + z - y = 0$. Sit $z = by + cy^2 + ey^3 + fy^3$ &c. fiet $dz : dy = b + 2cy + 3ey^2 + 4fy^3$ &c. itaque:

$$0 = \left\{ \begin{array}{llll} a\,dz : dy & = ab & +2acy + 3aey^2 + 4afy^3 & \text{&c.} \\ +z & = & +by + cy^2 + ey^3 & \text{&c.} \\ -y & = & -1.y & \end{array} \right\} = 0$$

Et destruendo, fiet $ab = 0$ adeoque $b = 0$ & $2ac + b - 1 = 0$ seu $c = 1 : 2a$; & $e = (-c : 3a =) -1 : 2.3a^2$ & $f = (-e : 4a =) 1 : 2.3.4a^3$. Et ita porro. Unde

$$Z = \frac{Y^2}{1.2a} - \frac{Y^3}{1.2.3a^2} + \frac{Y^4}{1.2.3.4a^3} - \frac{Y^5}{1.2.3.4.5a^4}$$ &c.

Cæterum colligitur, ex supra inventis, si $a :, a - x$ sit numerus, & y sit logarithmus,

fore $X = \frac{Y}{1} - \frac{Y^2}{1.2a} + \frac{Y^3}{1.2.3a^2} - \frac{Y^4}{1.2.3.4a^3}$ &c. Ergo $z = y - x$

itaque quæsitæ lineæ, cujus subtangentialis sit $yy - zy, : a$, hæc est natura, ut posito y logarithmo, fiat z differentia inter logarithmum y & ejus subnumeralem. Voco autem subnumeralem x, posito $a :, a - x$ esse numerum. Unde patet aliquando per series infinitas commode obtineri valorem finitum, etiam transcendentem. Sed hoc obiter; nobis hic sufficerit, problemata etiam impeditissima quantalibet exactitudine per hanc methodum in praxi solvi posse. Eadem methodo etiam *æquationum* utcunque assurgentium *radices* obtineri posse, manifestius est, quam ut explicari hoc loco sit opus.

Digitized by Google

EXPERIMENTA ET OBSERVATIONES PHYsica; wherein are briefly treated &c.

h. e.

Experimenta & obſervationes phyſicæ, in quibus breviter de variis ſubjectis, quæ ad philoſophiam naturalem pertinent, experimentali methodo agitur. His accedit brevis narrationum admirandarum collectio. Auctore Roberto Boyle, Regiæ Societatis ſodali.

Londini apud Joh. Taylor, & Joh. Wyat. A. 1691. in 8. Conſtant plag. 14.

QUum omnia Boylei ſcripta magno habeantur ab eruditis in pretio, non omittenda nobis hujus quoque recenſio fuit, quod oculos hucusque noſtros effugerat. Quamvis autem duobus abhinc annis demum in lucem prodierit, bene multi tamen ſunt, cum ab Auctore fuit compoſitum, ut ex epiſtola ad Oldenburgium eidem præfixa patet, ad quem hunc libellum miſerat tanquam ſpecimen magni, quod meditabatur, operis. Hinc non plura quam ſex comprehendit capita, quorum *primum* recenſet magnetica quædam experimenta, ex quibus illa præcipua ſunt, quibus deprehendit, quod non omnes magnetes vi ſua attractiva ſpolientur ab igne vehementi, ſed nonnulli aliquam retineant, quæ augeri etiam poſſit, ſi refrigeſcere permittantur admoti polo magnetis cujusdam validi; quod magnes candens in aquam ſubito immerſus plus deperdat virtutis, quam ſi in aëre ſenſim defrigeſcat; quod ſolutio magnetis facta ſpiritu ſalis communis non viridi ſit colore, ſed obſcure flavo, infuſionem tamen gallarum infuſcet. In *ſecundo capite* de adamantibus ſequentia referuntur: (1) illos, qui jam ad nos deferuntur, tanta non eſſe duritie, quanta ſunt ex vetere rupe olim exciſi; (2) plerosque vix triplo eſſe ſpecie graviores aqua; (3) figuram illorum non ſatis determinari poſſe, cum vel fracti, vel jam expoliti ad nos perveniant, plerumque tamen ſex planis comprehendi; (4) obſervari in illis quandoque determinatam lamellarum, ex quibus coaluerunt, ten-

dentiam, & ſecundum has lineas facile diffindi poſſe; (5) nonnullos rubro colore, aureo alios eſſe infectos; (6) quosdam a magnete attrahi, & procul dubio refertos eſſe Martialibus particulis. *Tertium caput* variam colorum mutationem enarrat, in diverſis factam ſubjectis, ope ſimplicis ingredientis, ſpiritus nimirum ſalis communis. *Quartum caput* partim hiſtorias quasdam medicas, partim chymicas præparationes complectitur. Ad priores ſpectant: (1) paralyſis dextri lateris, ejusque atrophia orta ex particula cranii diffracti innitente duræ matri; (2) paralyſis dextri brachii terrore contracta; (3) malum iſchiadicum metu curatum; (4) emeticorum uſus ſalutaris; (5) cinnamomi vis catharctica vehementiſſima in quadam muliere; (6) entis Veneris efficacia in curando ſubſultu tendinum; (7) epiſpaſticorum emplaſtrorum uſus in febre petechiali ad præſervandum genus nervoſum. Ad alteram claſſem pertinent: (1) præparatio liquoris emetici antimonialis, nec non (2) acidularum artificialium ex limatura Martis cum aceto deſtillato digeſta; (3) cryſtalliſatio ſolutionis lapidis Bezoar orientalis factæ ſpiritu nitri; (4) ſolutio Martis facta ſpiritu urinæ ſine calce viva parato; (5) vitriolum Martis viride, confectum ope ſpiritus ſalis marini, quodque in ſpiritu vini reſolvitur, & ſi deſtilletur, ſpiritum fundit, qui admixtus aquæ forti aurum ſolvit. *Quinto in capite* variæ quoque habentur obſervationes & experimenta: nimirum (1) aurum dividi poſſe in ſatis tenues particulas, quæ tamen in aqua ſubſidant; (2) granatos quosdam ſaturo colore tinctos a magnete attrahi; (3) prope Genuam piſcinam eſſe, cujus piſces ab hortulano, quem videre nequeant, certo ſono convocentur; (4) cryſtalli, nec non lapidis Lydii ſuperficies, quamvis politæ adpareant, exhibere tamen colores iridis, ſi lumini ſcite objiciantur; (5) lapillum, qui oculus mundi vocatur, colore album, aquæ injectum diaphanum fieri, &, dum ſiccatur, recuperare ſenſim opacitatem priorem; (6) cerebrum in quodam nobili, cui cranium ex vehementi lapſu confractum, pleniluniorum tempore intumuiſſe; (7) typhones, quos Oracan vocant, portendi a maris intumeſcentia inſolita, ingrato in aere odore & faſciculis, qui in nubibus comparent, ab Indisque caudæ equorum nominantur, varii coloris; (8) a ſale Ammoniaco oleo vitrioli injecto efferveſcentiam oriri frigidam. *Ultimi* etiam *capitis* varium argumentum

mentum eſt. Nam (1) docetur, quomodo ex auri foliis cum ſale Ammoniaco, alumine & nitro tritis, ignique admotis, extrahi poſſit ſpiritu vini tinctura auri non contemnenda. (2) Præparatio Lunæ corneæ exponitur, ſublimati adminiculo. (3) Mercurium animatum ſeu antimonialem admiſtum argenti puriſſimi pulveri incaleſcere, plus argenti, quam ſolet Mercurius vulgaris, in ſe recipere, ipſumque amalgama in duram & fragilem ſubſtantiam concreſcere, narratur. (4) Mercurius cum auro incaleſcens ab Auctore quibusdam demonſtratus dicitur. (5) Præparatio antimonii, quæ omnem aerem excludit, dum ex eodem & creta fit SSS, examinanda ulterius proponitur. (6) Calx, quæ ex ſolutione auri facta aqua regia ſpirituoſa (parata ex ſpir. ſal. p. 1. & ſpir. nitri p. 2.) ad oleique conſiſtentiam evaporata præcipatur, poſt affuſionem ſpiritus vini, commendatur. (7) Aqua deſtillata fere dimidium ſui ponderis ex ſale Ammoniaco reſolviſſe fertur. (8) Spiritus æruginis ſemel aut bis abſtractus a ſale ♀i, quod frigidus reſolverat, facere illud in ſpiritu vini rectificatiſſimo diſſolubile dicitur. (9) Spiritus inflammabilis ex roſis fermentatis præparatio deſcribitur. Tandem (10) recenſetur analyſis chymica unionum, in oleum obſcurum, liquorem empyreumaticum, ſpiritum urinoſum, & caput mortuum lixivialis & alcalinæ naturæ.

Ad appendicem libri quod attinet, complectitur ea non nulla quæ Auctori a viris fide non indignis fuerunt relata. Quamvis enim quædam ex illis mira, & pæne incredibilia videantur, non negligenda tamen illa cenſuit, ſed in peculiarem potius libellum congerenda, cujus exiguam particulam ea, quæ ſequuntur, conſtituerent. Nempe (1) Reſuſcitationem plantarum variarum demonſtratam fuiſſe ab Apothecario quodam Belgico, ſed ab illa, quam Quercetanus deſcribit, diverſam. Habuiſſe enim illum lagenulas certis liquoribus repletas, quarum in fundo pulvis jacebat, qui agitatione per liquorẽ diſperſus coaluerit in plantulas ſui generis, non tamen coloris, & facile deſtruendas levi ſuccuſſione vitri. (2) Malleabile vitrum, quod vitri antimonii ſpeciem præ ſe tulerit, Heidelbergæ ab Helvetico quodam fuiſſe exhibitum. (3) Effluvia contagioſa peſtis muros infeciſſe maculis. (4) Liquorem ex Bismutho paratum fuiſſe, incremento & decremento ſuo Lunaris luminis vices æmulantem. (5) Hirundines hyemis tempore

pore in ſtagnis glacie obductis delituiſſe. (6) Arbores in Jamaica reperiri, quarum circumferentia 60 pedes æquat. (7) Inuſitatum plane affluxum aquæ in littoribus Sumatrenſibus deprehendi. (8) Nubeculam typhones præſagire. (9) Mercurium viridis coloris a quodam fuiſſe paratum, ab alio autem coloris aurei, qui admotus igni in rubicundum pulverem per ſe præcipitatus fuerit.

MISCELLANEA ITALICA PHYSICO-MATHEmatica collegit Gaudentius Robertus, Carm. Cong.

Bononiæ ex typographia Piſariana 1692. in 4to.

Conſtant plag. 38. & tabb. æn. 13.

VAria ſcriptorum Italorum opuſcula, quæ in matheſi & philoſophia naturali explicanda verſantur, in unum corpus colligere, illisque præcipue, quæ non amplius in ſtudioſorum manibus verſantur, vitam quaſi ac ſpiritum reddere conſtituit Cl. Vir, Gaudentius Robertus, cujus Miſcellanea Erudita alia in Actis Erud. A. 1690. pag. 585, & nuper Sectione 1. Tomi II. Supplementorum laudavimus. Specimen ergo quoddam daturus laboris ſui, volumine hoc complexus eſt I. *Dominici Gulielmini libros VI. de fluentium aquarum menſura, nec non duas epiſtolas hydroſtaticas*, de quibus vid. Act. Erud. A. 1691. p. 72, & A. 1692. p. 431. & 510.

II. *Evangeliſtæ Torricellii*, Sereniſſimi Magni Ducis quondam Mathematici, *de ſphæra & ſolidis ſphæralibus libros duos*, in quibus Archimedis doctrina de ſphæra & cylindro denuo componitur, latius promovetur, & in omni ſpecie ſolidorum, quæ vel circa vel intra ſphæram ex converſione polygonorum regularium gigni poſſunt, univerſalius propagatur.

III. Libellum *Flaminii de Mezzavachis*, Civis & J. V. D. Bononienſis, in quo *de terræ motu* ſuam dicit ſententiam (quod ſcilicet ſit terræ concuſſio, quæ fit a ſpiritibus intra terram incluſis & exitum molientibus, dum attrahuntur a Sole) & ſpeciatim terræ motum, A. 1672 per totam fere Æmiliam factum, enarrat.

IV. *Joh. Dominici Caſſini de Solaribus hypotheſibus & refractionibus epiſtolas tres*, quarum prima Latino idiomate, reliquæ Italico ſunt conſcriptæ. In *prima* Cl. Auctor Geminiano Montanario expo-

Digitized by Google

veterem ſuam hypotheſin Solarem, quæ lumen ex altioribus cœli locis proveniens nullam pati refractionem ſupponebat, immutarit, novamque conſtituerit, quæ correctis per tabulam refractionum Caſſinianam, quam Marchio Malvaſiæ edidit, obſervationibus innititur; methodumque conſtructæ refractionis tabulæ declarat. Defendit etiam illam contra Ricciolum, qui in Aſtronomia reformata Caſſinianam refractionis methodum in dubium vocarat, multas ob rationes, quas omnes perſequitur & refellit Caſſinus, defectus etiam notans, quibus tabula refractionum a Ricciolo conſtructa laborat. *Secunda* epiſtola explicat Carolo Renaldino modum, quo circini dioptrici adminiculo obſervata fuerit a Caſſino refractionum in aqua & vitro quantitas, nec non ſinuum angulorum incidentiæ & refractorum ratio; *tertia* vero D. Mengoli fundamenta refractionum & parallaxeon examinat, qui ab omnium fere Aſtronomorum ſententia in refractionibus determinandis diſceſſerat, nixus falſo principio, quod ſinus angulorum refractionis ſinibus angulorum incidentiæ ſint proportionales.

V. *Ejusdem Theoriam Cometæ A. 1664 & 65*, in qua ſupponens Cometas obſervationis tempore moveri æqualiter per lineam inſenſibiliter a recta differentem, non ſolum eorum Perigeum, ſed & reliqua in cœlo loca, velocitatem ac tarditatem, nec non diſparitionis tempus determinat & prædicit.

VI. *Geminiani Montanarii Diſſertationem Aſtronomico-Phyſicam de Cometa A. 1664 & 65*, in qua varias Auctor obſervationes Cometæ, quem eundem in cenſum refert cum maculis Solaribus, recenſet, ejusque ſitum ſupra Lunam fuiſſe ex parallaxi demonſtrat.

VII. *Faſciculum variarum epiſtolarum & opuſculorum de Cometis* agentium. Continentur enim in eo (1) *Epiſtolæ Italicæ duæ Dn. Bongiovane, de Comet. 1664.* (2) Epiſtolæ *quatuor Montanarii*, quarum tres ad Illuſtr. Magliabechum Italico ſermone conſignatæ, *Cometas A. 1680, 81 & 82* deſcribunt; quarta Latine exarata ad Cl. Patinum de *Comet. A. 1682* diſſerit. (3) *Marc. Antonii Cellii literæ Italicæ* ad Joh. Dom. Caſſinum ſcriptæ de *obſervationibus Cometicis A. 1680* habitis. (4) *Diſcurſus* Academici cujusdam Phyſico-Mathematici Romani *Italicus de Cometa A. 1680 & 81*

obſervato. (5) *Joſephi Dionyſii Ponthæi*, Academiæ Phyſico-Mathematicæ Romanæ a ſecretis, *Cometicæ obſervationes* habitæ ab Academia Phyſico-Mathematica Romana *A. 1680 & 1681.*

VIII. *Matthæi Campani nova experimenta Phyſico-Mechanica*, quibus Tenſioniſtarum, Lini, Fabri, &c. principia ſubruuntur, & ſuſpenſio Mercurii in Torricelliano tubo ab aeris preſſione derivatur.

Spondet autem doctiſſimus Robertus, ſe plura deinceps exhibiturum opuſcula Lectori non parum profutura, ad quod faciendum otium ipſi liberale apprecamur, quale cumprimis requiritur ad ſcripta Mathematica ſine mendis edenda, quæ non ſolum fœdare ipſa ſolent, ſed etiam clariſſimis rebus tenebras obducunt.

CHRONICON SAXONICUM. EX MSS. Codicibus nunc primum integrum edidit ac Latinum fecit EDMUNDUS GIBSON A. B. e Collegio Reginæ.

Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1692, in 4 maj. Conſtat Alphabetis circiter duobus.

CHronici Saxonici titulum Annales hi jam pridem apud Anglos meruerunt, quod Saxonico, quale antiquis illis temporibus viguit, idiomate compoſiti eſſent, & inprimis res in Anglia ab eo tempore, quo Saxones in Britanniam delati, ſedes ibi & Penates fixerunt, geſtas complecterentur. Ac illud quidem Chronicon jam ante annos circiter quinquaginta, adjecta etiam verſione Latina, edidiſſe viſus ſibi aliisque fuit *Abrahamus Wheelocus*, Arabicæ linguæ in Academia Cantabrigienſi, dum viveret, Profeſſor. Verum is codice mendoſo atque mutilo fuerat uſus, eoque non niſi fragmentum majoris operis exhibuit, Latina etiam interpretatione indolem Saxonici ſermonis parum feliciter exprimente. Itaque cum codices manuſcripti alii, Wheeloco nunquam viſi, & inter hos exactiſſimus ille, quem Bodlejana Academiæ Oxonienſis Bibliotheca, *Guil. Laudi* Cantuarienſis quondam Archiepiſcopi dono poſſidet,

Digitized by Google

poſſidet, ſupereſſent, tantumque Antiquitatis Anglicanæ monumentum extare integrum & accurate in Latinum ſermonem verſum, orbis eruditi, & Angliæ cumprimis, intereſſet; id tandem laboris, ſuaſu & adjumento *Johannis Millii* & *Georgii Hickeſii*, clariſſimorum virorum, in ſe ſuſcepit vir diligentiſſimus *Edmundus Gibſon*, ut novam numerisque omnibus abſolutam Chronici hujus Saxonici editionem adornaret. Cæterum non uni auctori Chronicon illud, a Chriſto nato ad annum usque 1154 perductum deberi, ſed a pluribus pluriumque ſeculorum decurſu contextum, vel ipſa ſtyli diverſitas evincit; ut illi paulo diligentius attendens obſervare inſimul poſſit, quibus velut gradibus idioma vetus Saxonicum ad hodiernum linguæ Anglicæ genium ſucceſſu temporis deflexerit. Aſt magnæ non immerito auctoritatis apud Anglos eſt antiquitatis hoc monumentum, velut fons, ex quo hauſta ſunt & ad quem exigenda, quæ tum Florentius Wigornienſis monachus, qui circa annum 1110 Chronicon ſuum compoſuit, tum Scriptores poſteriores alii de his rebus tradidere: præcipue vero in pretio haberi ab omnibus debet, ob enarratam in eo bellorum ab Anglo-Saxonibus cum Britannis longo ſatis tempore geſtorum hiſtoriam, cujus auctorem idoneum alium habemus neminem, fruſtra in Gilda, fruſtra in Beda, aliisve antiquioribus, qui ſuperſunt, ſcriptoribus quærendam; ita ut Chronico Saxonico unice debeamus, quod aliqua illorum temporum notitia ad manus noſtras pervenerit.

In eo vero edendo ſtudium Gibſonus doctiſſimus non mediocre poſuit. Nam & Saxonicum Chronici textum, addita e regione accurata verſione Latina, quam emendatiſſimum exhibuit, variis diverſorum codicum lectionibus ſub calcem cujusque paginæ annotatis: & indicem ſubjunxit chronologicum, mira induſtria confectum, & qualem in Thuani aliorumve Hiſtoriographorum editionibus optes, in quo non paginæ tantum & lineæ, quibus quidque continetur, ſed anni etiam, quibus quæque contigerunt, expreſſi comparent.

Porro, præter generales regulas, ad inveſtigandas vocum, quibus deſignata olim loca fuere, origines, ſubjecit ordine alphabetico nominum locorum, quorum in Chronico facta eſt mentio, explicationem, neceſſariam utique omnibus, qui in lectione libri

cum fructu verſari & inoffenſo pede progredi velint, quod & loca bene multa, quæ olim floruerunt, exſtincta ſint, & quæ hodie ſuperſunt, maximam partem alia plane aut multum diverſa nomina induerint: quale præſidium omnibus fere in hoc genere libris, qui adhuc in lucem prodierunt, deeſſe, ſæpe ſe acerbe tuliſſe *Gibſonus* memorat, & queſti ſunt alii. Denique ut indicem alium nominum virorum, qui in Chronico Saxonico memorantur, taceamus, mappam quoque Geographicam exhibet, ea locorum nomina, quæ in Annalibus hiſce continentur, complexam: ut adeo ſpecimen nobile Vir clariſſimus dederit induſtriæ in edendis veterum monumentis adhibendæ.

HISTOIRE DES EMPEREURS.

i. e.

Hiſtoria Imperatorum Romanorum aliorumque Principum, qui ſummam rerum tenuere prioribus ſex Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis, &c.

Auctore D. T.

Pariſiis, apud Carolum Robuſtellum; T. I. A. 1690. T. II. A. 1691, in 4: Bruxellis apud E. H. Fricx A. 1692, in 12.

Conſtat editio Pariſienſis fere alphabetis novem, Bruxellenſis $2\frac{1}{2}$.

OPtime egregio hoc opere de veritate hiſtorica meritum eſſe doctiſſimum auctorem, (qui in privilegio regio *Tilletus*, at in *Diurnis* eruditorum Pariſienſibus d. 10. Jul. 1690. & 21. Maji 1691. *Tillemontius* appellatur,) non abs re dixeris. Hic, cum nulli muneri publico admoveri ſe paſſus eſſet, ſibi ſoli ac Muſis victurus, ut eo felicius *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, (quam pluribus abhinc annis meditatur,) enarratione defungeretur, *profanam* omnium primo *hiſtoriam* a ſe accuratam edidit, cum in ea plerique lateant temporum characteres, quorum ductu geſta SS. Patrum, Pontificum, Epiſcoporum, Martyrum, Confeſſorum, &c, quo par eſt, ordine collocavit.

Tomo

Tomo *primo* habentur vitæ *Auguſti, Tiberii, Caji, Claudii, Neronis, Galbæ, Othonis, Vitellii.* Accedit hiſtoria gentis *Judaicæ* ab exceſſu Herodis Aſcalonitæ usque ad Hieroſolymorum excidium per Titum Veſpaſianum. *Alter* tomus complectitur vitas *Veſpaſiani, Titi, Domitiani, Nervæ, Trajani, Hadriani, T. Antonini, M. Aurelii Antonini & L. Aurelii Veri, Commodi atque Pertinacis. Domitiano* ſubjungitur vita *Apollonii Tyanæi; Hadriano* autem rebelliones & ſiniſtra fata Judæorum, quæ tempore Trajani & Hadriani ipſius contigere; itemque *Neroni, Domitiano, Trajano, Hadriano* atque *M. Aurelio* perſecutiones Chriſtianorum, eis imperantibus peractæ. Singulis Tomis ſubnectitur (præter *canonem chronicum* utiliſſimum & *indicem* nominum ac rerum notabilium) collectio non exigua *notarum* fuſius conceptarum de quæſtionibus quibusdam chronologicis hiſtoricisq;, in quibus varias Baronii, Bollandi hujusque ſociorum ac ſucceſſorum, itemque Caſauboni, Salmaſii, Noriſii, Pagii, Dodwelli aliorumque ſummorum virorum opiniones ſingulari ſolertia expendit, nec raro periculum, absque tamen verborum acrimonia facit, meliora certioraque docendi.

Ex his nonnullas ſpeciminis cauſa recenſebimus: *Nota IV. in Auguſtum*, contra Antonium Pagi diſputat, initia imperii *Tiberii* petenda eſſe non ab eo tempore, quo in communionem poteſtatis in provincias ab Auguſto ſuperſtite adſcitus fuerat, ſed a die 19 Aug. A. Chriſti XIV, Romæ conditæ 767. quo Auguſtus vita exceſſerat, adeoque S. Joannem Baptiſtam cœpiſſe demum a. C. 29. Romæ 782. ante 19 Auguſti, (juxta Lucæ c. 1. v. 1. ubi anni XV. Tiberii mentio fit,) pœnitentiam prædicare.

Nota I. in Claudium, operoſe probat, Britannicum, Claudii Imp. F. natum circa 14 Febr. a. C. 41. V. C. 794.

Nota I. in Perſecutionem Neronianam, de epiſtola ad Diognetum agit, quam Eruditi tantum non omnes Juſtino Martyri adſcribere amant, ſed antiquiori auctori tribuendam & jam ante a. C. 70. exaratam fuiſſe contendit Noſter, eo quod auctor ille, quisquis ſit, p. 501. (edit. Pariſ. 1636.) ſe diſcipulum Apoſtolorum vocet, p. 494, de Chriſtianiſmo tanquam re nova & in orbe tunc primum innotescente loquatur, denique (quod caput eſt,) quoniam p. 495. 496. indicet, ſuo adhuc tempore Judæos ſanguinem victimarum Deo offerre ſolitos, id

quod ab ipſis poſt excidium Hieroſolymitanum, (ſive A. C. 70.) fieri haud potuit. Quæ p. 501. lin. 44. & deinceps extant, cum aliis eruditis non niſi pro lacinia habet, antiquiſſimæ huic epiſtolæ vertente tempore adſuta.

Nota III. in eandem perſecutionem, confutat vitam Hermagoræ epiſcopi & Fortunati archidiaconi Aquilejenſium, apud Mombritium tomo 2. de vitis Sanctorum p. 1. extantem, nec Sanctos illos ſub Nerone, ſed Diocletiano, martyrio defunctos eſſe, aſſeverat.

Nota I. in Othonem, Flavium Sabinum Conſulem anno C. 69. a Flavio Sabino Præfecto Urbis, & ab aliis (in inſcriptionibus Gruterianis pag. CXXIX. 5. DCCCCXII. 2. reperiundis) ſolicite diſtinguit.

In *notis* quadraginta & una, ſuper *hiſtoriam excidii Hieroſolymitani* per Titum, multa invenias Fl. Joſephum non perfunctorie illuſtrantia. Præcipue lectu digna eſt *penultima* de binis locis, ubi Joannis Baptiſtæ & Jeſu Chriſti Servatoris mentionem feciſſe putatur. Neutrum vero *γοθείας* inſimulandum arbitratur Tillemontius. *Ultima nota* occupatur circa obitum Herodis Agrippæ. Retulerat hunc in *annum III. Veſpaſiani*, h. e. Chriſti 72. Henr. Dodvvellus. Nam quum apud Photium *Juſtus Tiberienſis* anno tertio Τϱῳϊανῦ Agrippam deceſſiſſe dicat, apertiſſimum eſt, loco huic medicas manus adhibendas. Tentavit id (ut ſupra p. 123. diximus,) Dodvvellus, & legit τῦ ἀυτῦ (i. e. Veſpaſiani, de quo antea Photius verba fecerat,) pro Τϱῳϊανῦ. Atqui, juxta Tillemontii obſervationes, Agrippa vidit epiſtolisque 62 adprobavit *hiſtoriam Belli Judaici* a Joſepho conditam. In hac autem non pauca offendas, quæ anno demum Veſpaſiani IV. contigere. Accedit, quod numiſmata fidem faciant, Agrippam ad minimum annos XXIX. regnaſſe. Regnare autem cœpit intra Septembrem A. C. 49. & Majum A. C. 50. ut Tillemontius antecedente nota XIIX. probatum iverat. Unde tandem in hæc verba perorat: *Si itaque Photii textus corrigendus eſt, ſatius erit, loco* Τϱῳϊανῦ *ponere* Τίτῦ *aut* Δομετιανῦ, *adeoque ſtatuere, Agrippam obiiſſe a. 81. intra 24. Junii & 13. Sept. aut intra 13. Sept. a. 83. & 13. Sept. a. 84. Multo tamen tutius eſt acquieſcere in eo, quod ſcias, Agrippam vixiſſe adhuc a. 77. & mortuum jam fuiſſe a. 93.*

Nota

Nota XVII. in Trajanum, oſtendere ſatagit, bis Trajanum in orientem profectum adverſus Parthos, primum m. Octob. a. C. 106. & Antiochiam perveniſſe 7. Jan. a. C. 107. (id quod tamen, quoad diem & menſem, nititur ſubleſta Joannis Malelæ fide,) mox ad beſtias condemnaſſe Ignatium, qui eodem anno d. 20. Dec. martyrio defunctus ſit. Anno ſequenti Niſibin occupaſſe aliaque Meſopotamiæ loca, atq; ſic Parthici nomen meruiſſe; rediiſſe dein Romam, & anno demum 114. alteram adverſus Parthos expeditionem ſuſcepiſſe, cui immortuus eſt 8. Aug. circiter, a. C. 117. Differt hæc hypotheſis maximopere a placitis Noriſii, Pagii, Lloydii aliorumque recentiorum Chronologorum, quorum tamen omnium argumentis reſpondere, ſuarum partium eſſe cenſuit Tillemontius.

Nota I. in perſecutionem Hadriani, univerſa S. *Euſtachii* acta, (etiam ea, quæ Combefiſius an. 1660. edidit,) ab auctore contemporaneo profecta fideve digna eſſe, pernegat.

Nota IV. longe rigidiori cenſura invehitur in acta *Mariæ*, Tertulli ancillæ, a Stephano Baluzio publicata tomo 2. Miſcellaneorum, pag. 115.

Nota V. Apologiam S. *Quadrati* Hadriano oblatam autumat a. C. 126. An id autem *Athenis* factum ſit, dubitat, cum *Euſebius* taceat, etſi *Hieronymus* affirmet c. 19. de viris illuſtribus. Cum vero idem, ut & Græci in menæis, Uſuardus, Notkerus, Ado, ac plerique moderni hiſtoriæ literariæ Scriptores, *Quadratum* hunc eundem faciant cum *Quadrato* Athenarum epiſcopo, (de quo Euſebius l. 4. H. E. c. 23. e Dionyſio Corinthio agit,) *Tillemontius*, diſtinguendos eſſe omnino, nullus ambigit. Urget itaq;, quod, quando Euſebio Quadrati apologiſtæ meminit, non addat epiſcopum fuiſſe, & vice verſa, dum de epiſcopo verba facit, nunquam apologiſtam vocet, prophetamve aut diſcipulum apoſtolicum; imo Apologiſtam *Evangeliſtæ* nomine ſalutet, ſicque indicare videatur, nulli eum eccleſiæ particulari ſeſe addixiſſe, ut Epiſcopi ſolent, ſed per univerſum orbem Evangelii doctrinam prædicaſſe. Certum ſane eſt, Quadratum epiſcopum coætaneum fuiſſe Dionyſii Corinthii adeoque an. circiter 160. aut 170. Athenis præfuiſſe. Hoc autem quadrare non credit Tillemontius in *Quadratum* apologiſtam, utpote qui teſtatur in fragmento apud

to apud Euſebium, vidiſſe ſe multos, qui a Servatore in diebus carnis conſtituto ſanati fuerint.

Nota XIX. in M. Aurelium, non uno argumento evincere nititur, epiſtolas illas *M. Aurelii Antonini & Fauſtinæ* Auguſtæ, quas *Vulcatius Gallicanus* c. 9. 10. 11. vitæ Avidii Caſſii inſeruit, ſuppoſititias eſſe.

Notis I. II. III. in perſecutionem M. Aurelii, Acta Sanctæ Glycerii, item Sancti Victoris Sanctæque Coronæ, ut & Sancti Hermiæ, (quæ habentur in Actis SS. Bollandio-Henſchenio-Papebrochianis, diebus 13. 14. 31. Maji) multiplici obelo confodit.

Deſinimus plura, tomos reliquos, quibus Imperatores tertii, quarti, quinti ſextique ſeculi ſiſtentur, ut & non pauca hiſtoriæ eccleſiaſticæ volumina a Tillemontio promiſſa, avide expectaturi.

LECTOR BENEVOLE.

Loco *Novorum Literariorum*, quæ in proximum menſem rejicimus, par nunc clariſſimorum virorum redivivum ſiſtimus, quos mortuos falſus rumor extulit. Eorum alter Theologus Anglus eſt celeberrimus, *D. Guilielmus Cave*, Canonicus Vindeſorienſis, cujus velut defuncti cum in Epiſtola ad *D. Joh. Frid. Mayerum*, Lugduni Batavorum anno ſuperiore edita, *Caſimirus Oudinus* mentionem injeciſſet, ſparſa inde late fama de obitu ejus fuit. Sed vivit, per Dei gratiam; certe proximis Idibus Martii, quibus ad quendam e noſtris litteras humaniſſimas exaravit, in vivis fuit, etſi valetudine non omnino optima. Alter Medicus eſt non minus celebris, *Johannes Nicolaus Pechlinus*, Sereniſſimi Ducis Holſato-Gottorpienſis Archiater, quem & nos in Novis Litterariis menſi Januario hujus anni ſubjunctis, fama publica dubium unde nata deluſi, inter mortuos retulimus. Sed & hunc vivere & valere, læti ſane poſtea cognovimus. Quod ſi multorum opinioni locus eſt, qui falſum de obitu cujusdam rumorem pro augurio longævæ vitæ reputant, næ habemus cur Reipublicæ Litterariæ gratulemur, cujus intereſt, utrumque vivum & incolumem quam diutiſſime conſervari, ut doctis lucubrationibus ſuis Orbem Eruditum, quem obſtrictum ſibi dudum habent, beare porro valeant. Certe in votis id nobiſcum habent omnes, qui publico bene cupiunt.

ERRATA.

In Actis anni 1692, pag. 528, lin. 24, tollatur parentheſis poſt *intelligens*, & ponatur poſt *cap. 39.* in linea ſequente. In Actis hujus anni pag. 118. lin. 26, pro *Franconicum* lege *Suevicum*.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Maij Anno M DC XCIII.

POLYCARPI TENZELII SELECTA NVMISMATA, aurea, argentea & area maximi moduli,

Jenæ ſumtu Jo. Bielkii, 1693. in 4.

Conſtat plag. 15.

TOto paſſim orbe literario jampridem fama percrebuit, quod Celſiſſimus Dominus, Dominus *ANTONIVS GVNTHERVS, e quatuor S. R. Imperii Comitibus, Comes Schwarzburgi & Hohnſteinii, Dynaſta Arnſtadiæ, Sondershuſæ, Leutenbergæ, Lohræ & Clettenbergæ*, elegantiores Muſas faſtigio ſuo non indignas arbitratus, *nummophylacium* vel Regi invidendum, ac auro, argento, ære, nullius non ævi moduliq;, refertiſſimum congeſſerit, & quidquid myſterii ſub vetuſtæ præſertim monetæ emblematibus latet, aut quid inde utilitatis in veritatis hiſtoricæ cultores redundet, ita calleat ac in numerato quaſi habeat, ut eruditione non minus edecumata, quam pietate, prudentia, æquitate, auctoritate, omnibusque quæ patrem patriæ decent, virtutibus illuſtriſſimum non immerito dixeris. Verum iſta quidem *κειμήλια* intra arcis Arnſtadienſis parietes hactenus latuere: donec nuper demum quædam, etſi pauciſſima, ſelecta tamen, cum univerſa literatorum republica communicata ſunt, indultu Celſiſſimi Poſſeſſoris, opera vero ſtudioque viri doctiſſimi *Polycarpi Tenzelii*, qui vel hoc ſpecimine ſatis oſtendit, quod *Jacobum* patrem & *Wilhelmum Erneſtum* fratrem, *Tenzelios*, (clariſſima apud literatos nomina) feliciſſime æmuletur.

Tabulis vero æneis ita inſculpi curavit numiſmata, ut juſtam eorum magnitudinem craſſitiemque inde cognoſcas; pondus etiam adnotavit in commentariis, ubi ex antiquitatibus Latinis & Græcis

neceſſariam illis lucem fœneratur. Cæterum ſex *aurea*, *argentea* ſeptem, *ærea* denique maximi moduli duodecim numismata exhibentur. *TAB.III.* Eminet in altera claſſe argenteum primæ magnitudinis, in cujus altera area ſpectare eſt caput fœmineum diadematum & velatum, *Fig.1.* in altera *Mauſoleum* pulcherrime repræſentatum, cum epigraphe: ΑΡΤΕΜΙΣΙΑΣ. Equidem alia *Artemiſiæ*, Mauſoli Cariæ R. viduæ, numiſmata eruditis dudum innotuerunt. Sed hujusce numi, quovis auro contra cari, copiam primus, quod ſciamus, fecit Tenzelius. Paris commatis ſunt duodecim majoris moduli ænei. Ex his tertius ca- *Fig.2.* put exhibet Commodi Auguſti cum Latino, ſed Græcis literis exarato lemmate: M. ΚΟΜΟΔ. ΑΝΤ. ΑΥΓ. ΙΜΠ. id eſt, *Marcus Commodus Antoninus Auguſtus Imperator.* In averſa, ſub arcu aut porta quadam triumphali figura quædam humana pugnam ſpectat, qua *leo* (juxta Tenzelii conjecturam *Commodum* FELICIS inde nomen adeptum deſignans) *equum* (qui *Perennem* ſignificare fertur) humi ſtratum interficit, cum inſcriptione: ΦΟΕΛΙΚΙΤ. ΑΥΓ. id eſt, *Fœlicitas Auguſti.*

Fig.3. Nonus, decimus & undecimus ſunt *conturniati*, quos vocant. *Fig.4.* Ex his prior deprædicat M. Aur. Severi Alexandri liberalitatem. In altero legas: IMP. GORDIANUS PIUS FELIX AUG. circa caput Gordiani tertii laureatum. Averſa inſcribitur: ADLOCUTIO AUGUSTI. Imperator illic ſtat in ſuggeſtu cum alia figura militari, allocuturus milites, ſigna clypeosque tenentes. Nummus ſimilis æreus theſauri Regis Galliæ, *Joanne Vaillantio* judice, *præſantiſſimus & rariſſimus* eſt; hunc autem raritate non ſuperare videtur, quia materia Schvvartzburgici cuprum eſt orichalco circumdatum, cujus generis conturniatum nullum adhuc divulgatum obſervat Ten- *Fig.5.* zelius. Undecimus capitibus inſignitur Poſtumorum patris & filii laureatis, ſed ſolo patris nomine adſcripto: IMP. C. M. CAS. LATI. POSTUMUS. P. F. AUG. id eſt: *Imperator Cæſar Marcus Caſſius Latienus Poſtumus Pius Felix Auguſtus.* In averſa ſtat Hercules, & qui ei ſacrificat, Poſtumus togatus & caput velatus, itemque popa taurum tenens; addita epigraphe: HERCULI COMITI AUG. COS. III. Adjiciamus numi elogium Tenzelii verbis: *Non duplex tantum materia & duo capita juncta, ſed etiam averſæ partis inſcriptio atque typus Nummum hunc maxime rarum & quantivis pretii reddunt; nam apud nullum ſcriptorem ejus ulla fit mentio.*

ANTI-

Digitized by Google

TAB. III. ad

pag. 194

Fig. 2.

Fig. 3.

nt-
tlia
ius
ræ-
um
in-
ici-
aris
on-
ade
um
cri-
ret,
ere
&
vi-
am
ie,
ios.
ori-
die-

ro-
re-
ttio
os.
um
um
esse

TAB. III.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Digitized by Google

ANTIQVITAS ECCLESIÆ DISSERTATIONIbus, monumentis ac notis illuſtrata, opera ac ſtudio Emanuelis a Schelſtrate S. T. D. & Bibl. Vatic. Præfecti. Tomus I, continens Opus Chronologicum a Caſaris Imperio usque ad Juſtiniani obitum.

Romæ typis Congregat. de propag. fide, 1692. fol. 7½ alphab.

CUm in Belgio verſaretur celeberrimus operis hujus Autor, Antverpiæ A. 1678 *Antiquitatem illuſtratam circa concilia generalia & provincialia, decreta & geſta Pontificum, & præcipua totius hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita* vulgavit, in qua, poſt diſſertationem præviam de chronotaxi vitæ Chriſti & ſummorum Pontificum, primum de inſtitutione eccleſiarum per Chriſtum & Apoſtolos facta, ac deinde de rebus eccleſiaſticis a temporibus Apoſtolorum usque ad concilium Nicænum agitur. Poſtea hanc *Antiquitatem* ſecundis curis augendam, & in plures tomos ita dividendam duxit, ut primum conciliorum & Pontificum decreta in *Opere Synodico* elucidaret; deinde Sacramentaria, nec non canonum pœnitentialium & ordinationum libros, in *Opere Rituali* examinaret; tum Martyrologia & Patrum ſcripta in *Opere de ſanctorum actis & ſcriptoribus eccleſiaſticis* expenderet, & denique *difficiliora hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita ſpeciali quodam Opere* complecteretur. Operibus autem iſtis *Opus chronographicum & geographicum* præmittere ipſi placuit, e quibus Chronographicum vivo adhuc Autore, Geographicum poſt ejus mortem, lucem publicam adſpexit. Num & reliqui, quos animo conceperat, tomi eo usque perducti ſint, ut obſtetricantibus Amicis lucem aliquando videre poſſint, dicere non poſſumus. Id nobis tantum conſtat, quod *Acta orientalis eccleſiæ* ab eodem doctiſſimo Autore compoſita prælum ſubierint, ut nuper in Novis Literariis menſis Februarii indicavimus.

In Opere, de quo nunc aliquid dicendum eſt, Chronologico prolixius ea tractantur, quæ in diſſertatione prævia prioris editionis breviter diſcuſſa fuerant. Et primo quidem loco exhibetur *diſſertatio de chronotaxi vitæ Chriſti*, in qua docet, Chriſtum natum eſſe Coſs. Lælio Balbo & Antiſtio Vetere, adeoque ſexto anno ante principium vulgaris æræ, quod in Conſulatu C. Cæſaris & Æmilii Pauli figendum

esse ex eo probat, quia æræ Diocletianæ initium in annum 284 vulgaris æræ incidisse constet. Quod autem annus nativitatis Dominicæ æram vulgarem integro quinquennio antevertat, ex tempore quo Herodes mortuus est, deducit; qua occasione Herodis mortem non mense Martio sed Novembri contigisse, ex antiquo Hebræorum volumine de jejuniis colligit, quod ante templi eversionem a Judæis scriptum esse, partim ex ipso volumine, partim ex Abrahami Hallevi in librum illum commentariis, anno 1655 Amstelodami editis, contra *Papebrochium*, qui autoritatem hujus scripti extenuaverat, observat. Præterea epocham nativitatis Christi ante vulgarem æram statui debere, ex tempore, quo Archelaus principatum adeptus & postea in exilium missus est, confirmat, nec non ex nummo Herodis Antipæ, cujus typum Rigordus patricius Massiliensis viro clarissimo *Antonio Magliabechio* communicavit, & a Magliabechio acceptum celeberrimus *Norisius* in appendice operis de Epochis Syro-Macedonum luce publica donavit. Descriptionem illius nummi in Actis nostris A. 1690 Cal. Sept. p. 439 dedimus, ubi simul notavimus, Norisium de sinceritate hujus nummi videri dubitasse. Nunc Schelstrateni judicium addimus, qui etsi non dissimulet, Norisium, qui typum tantum illius nummi viderat, genuinusne an adulterinus esset dubitasse, ex amicorum tamen literis se intellexisse indicat, quod nummus ille, cum postea Parisios delatus fuisset, ab omnibus eruditis, qui eum viderunt, pro germano & genuino agnitus fuerit, quibus astipulari non veretur. Cum autem literam L in isto nummo annum denotare Norisius in prædicta appendice, seu epistola ad Antonium Pagium, pluribus argumentis jam probaverit, Schelstratenus illam sententiam ex nummis quibusdam Christinæ Suecorum Reginæ, & nonnullis antiquis marmoribus confirmat. Tandem æræ vulgaris initium post Christi nativitatem collocandum esse, etiam ex descriptione illa probat, quam tempore nascentis Christi institutam Lucas c. II, v. 1. memorat; qua occasione de Syriæ Præsidibus ex nummis Præsidum Syriæ, quos vir doctissimus *Johannes Harduinus* in suo Antirrhetico publicavit, nonnulla differit. Nequaquam tamen se probare posse ait, quod Harduinus Christum mense Septembri natum ex nummis istis collegerit, cum hoc traditioni ecclesiæ Romanæ imprimis, & aliarum occidentalium, quæ Christum d. 25. Decembris natum

tum a multis ſeculis crediderunt, plane adverſetur. Ab anno nativitatis Chriſti ad ejusdem baptismum pergit, & *Natalem Alexandrum* refutat, qui Chriſtum anno ætatis ſuæ 34 baptizatum aſſeruit. Etſi enim *Papebrochius* ſententiam hanc partibus conciliandis perquam commodam judicet, eam tamen verbis Luc. III, 23, nec non canoni XI concilii Neocæſarienſis, aliisque Conciliis & Patribus adverſari, Schelſtratenus noſter obſervat. Antequam autem Autor ad tempus paſſionis accedat, quot annis Chriſtus poſt baptiſmum prædicaverit, inquirit, & rejectis aliorum ſententiis, Chriſtum tres annos totidemque menſes Evangelium prædicaſſe docet. Hinc de morte Chriſti acturus, duplicem annorum Tiberii epocham fuiſſe ſtatuit, unam quæ a Proconſulari ejus imperio ſeu anno ante Auguſti obitum quarto, alteram quæ ab Auguſti obitu cœpit, & prioris rationem a Luca habitam fuiſſe cenſet, cum anno 15 Tiberii verbum Domini ad Johannem factum eſſe aſſerit. Confirmat hanc ſententiam illorum Patrum teſtimoniis, qui Chriſtum duobus Geminis Coſſ. paſſum tradunt, quæ ſententia conſiſtere non poſſet, ſi Lucas Tiberii annos a morte Auguſti numerare cœpiſſet. Euſebium & qui cum eo Chriſti annos ita computant, ut nativitatem ad annum Auguſti 42, mortem ad 18 Tiberii annum referant, ex eo falli putat, quod illo Tiberii anno feria 6 in 25 die Martii non inciderit, cum tamen juxta communem traditionem, tot Patrum & Martyrologiorum veterum ſuffragiis confirmatam, Chriſtus feria 6 VIII Cal. April. paſſus fuerit. Quod autem Chriſtus duobus Geminis Coſſ. anno vulgaris æræ 29 mortuus fuerit, confirmat ex eclipſi, quæ tempore patientis Chriſti contigit, ex æra Edeſſenorum, & ex relatione Oroſii, narrantis Sejanum Præfectum prætorio Chriſti apotheoſi, de qua Tiberius ad Senatum retulerat, obſtitiſſe; cujus hiſtoriæ veritatem adverſus *Petrum Poſſinum* aſſerit, notans etiam *Baronium* erraſſe, dum Oroſium erroris ex ea ratione argueret, quod Sejanus ante Chriſti mortem defunctus apotheoſi Chriſti a Tiberio tentatæ obſtare non potuerit. Schelſtratenus enim, qui Chriſtum non anno 34 cum Baronio, ſed anno 29 paſſum aſſerit, Sejanum tertio poſt Chriſti mortem anno obiiſſe obſervat. Cæterum de apotheoſi Chriſti adducit etiam locum Chryſoſtomi, quem *Pearſonius* in prælectionibus poſthumis ad Acta Apoſtolorum ex homilia 27 in poſteriorem ad Corinthios

epiſt. allegaverat, quem locum ſe non reperire potuiſſe dicit, etſi eum a Pearſonio non confictum ſed male citatum ſuſpicetur. Reperturus autem illum Chryſoſtomi locum fuiſſet, ſi homiliam 26 in prædictam Pauli epiſtolam evolviſſet. Nova argumenta, quibus Chriſti mortem ad annum vulgaris æræ 29 referendam probat, depromit Schelſtratenus ex traditione Apollonii, qui Apoſtolis, ut per 12 annos Hieroſolymis & in Judæa ſubſiſterent, a Chriſto mandatum retulit, ex Petri in urbem Romam adventu, & 15. annis, quibus cathedram Romanam tenuit, ex Petri & Pauli martyrio, ex Jacobi ordinatione ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum & martyrio, ex annis 25, quos Lactantius in libro de mortibus perſecutorum a Chriſti adſcenſione usque ad primum Neronis annum numerat, ex tempore excidii Hieroſolymitani, & ex nonnullis locis veterum quorundam ſcriptorum. Ut autem ea quæ de tempore nativitatis, baptiſmi & mortis Chriſti diſſeruit, eo melius cognoſcantur, & harmonia, quæ eſt inter ſcriptores Hebræos, Romanos & Chriſtianos, oculis ſubjiciatur, ſeriem Chronologicam a ſuſcepto per Julium Cæſarem imperio uſque ad mortem Chriſti tabellis incluſam exhibet, in qua præter Conſules & Imperatores Romanos, & Judæorum Reges, quædam obſervatu digna breviter memorantur.

Secunda operis hujus diſſertatio occupatur circa *chronotaxin Romanorum Pontificum*. Incipit a Clemente, quem cum alii ſecundum, alii tertium, alii denique quartum Romæ Epiſcopum faciant, Schelſtratenus ultimæ ſententiæ adhæret, & reliquas opiniones falſis inniti fundamentis docet. Epiſtolam ejus ad Corinthios ſub Veſpaſiani imperio, ſtante adhuc templo Hieroſolymitano, ſcriptam eſſe negat, & locum ex ipſa Clementis epiſtola, ab *Antonio Pagio* adductum, non de Clementis ætate, ſed de tempore veteris legis agere arbitratur. Cletum ab Anacleto diſtinguendum eſſe cenſet, etſi plerique veterum in ordine Pontificum vel Cletum vel Anacletum omiſerint, & e recentioribus *Papebrochius* ſtatuerit, Cletum, cum urbe expulſus fuiſſet, pontificatum Clementi ceſſiſſe, poſtea vero, cum Clemens a Domitiano in exilium mitteretur, ad priſtinam dignitatem rediiſſe, & ab eo tempore Anacletum ſeu revocatum appellari cœpiſſe. Alexandrum non ſub Hadriano, quod *Baronius* in notis ad martyrologium malit, ſed ſub Trajano paſſum, ex ejusdem Alexan-

Digitized by Google

Alexandri actis probat, quæ nonnullis quidem in locis interpolata, maxima tamen ex parte ſincera & genuina eſſe opinatur: ex iisdem diſciplinam arcani exſculpens, cum Alexander in oratione ad captivos nullam Spiritus ſancti mentionem fecerit, nec myſterium Trinitatis prodiderit, nec de ſacramentis diſſeruerit, ne myſteria illa gentilibus propalaret, & Aureliano jubenti, ut omnia ſectæ ſuæ dogmata manifeſtaret, reſponderit, ſancta canibus dari a Chriſto non permitti. Ad ſequentes Pontifices pergens, cum in nonnullis Anaſtaſii codicibus, & Pontificum catalogis aliorumque Patrum monumentis Anicetus Pio, in aliis Pius Aniceto præponatur, Irenæi, Hegeſippi & Euſebii autoritate Pio priorem locum concedendum exiſtimat. Quatuor tantum annos Soteri perperam a *Baronio* tribui notat, cum omnes antiqui novem vel octo ſaltem annos ipſi tribuant: & quamvis Baronius annum, quo Soter martyrii palmam adeptus Eleutherio cathedram Romanam reliquit, ad 17 M. Aurelii annum recte referat, minus tamen recte annum 17 M. Aurelii, qui anno vulgaris æræ 177 reſpondet, a Baronio cum anno vulgaris æræ 179 componi obſervat. Antequam ad alios Pontifices pergat, de actis S. Pontii Martyris diſſerit, & quod ea a coævo ſcriptore conſignata ſint, cum ob alias rationes, tum eo quoque nomine dubitari poſſe ſtatuit, quia in his actis Pontius Philippis Imperatoribus adhuc gentilibus myſterium Trinitatis explicet. Id enim diſciplinæ illo ſeculo uſitatæ adverſum eſſe deprehendit. Quamvis autem nonnulla minus veroſimilia & a veritate prorſus aliena in his actis occurrunt, non plane tamen ea rejicienda eſſe opinatur, cum quædam in his legantur, quæ vel ex genuinis Pontii actis vel ex aliis antiquis monumentis hauſta putat. Occaſione publicæ ſolennitatis, qua natalis urbis Romæ milleſimus in actis Pontii celebratus dicitur, obſervat Schelſtratenus, quod in omnibus ferme Caſſiodori editionibus legatur, Æmiliano & Aquilino Coſs. milleſimum urbis Romæ annum expletum, eoque nomine a Philippo Patre & Filio inſignia ſpectacula edita fuiſſe, cum tamen, Capitolino teſte, ludi illi, qui milleſimo Urbis anno celebrati ſunt, in conſulatum duorum Philipporum incidant. Errorem hunc in omnibus Caſſiodori editionibus, quæ ab anno 1558 uſque ad annum 1679 in lucem prodierunt, ſe deprehendiſſe ait, rectius tamen ſe habere editionem, quam A. 1553 Johannes Cuſpinianus procuravit, quippe in qua ludi illi

ſeculares non ad conſulatum Æmiliani & Aquilini, ſed ad conſulatum Philippi Patris ſecundum & Filii primum referantur. Quamvis enim numiſmata nonnulla milliarium hoc ſeculum cum tertio Philippi Patris & ſecundo Philippi Filii conſulatu connectere videantur, probe tamen obſervandum Autor noſter monet, quod milleſimus Urbis annus d. XI Cal. Maji initium ſumſerit, adeoque ſecundo Philippi Patris conſulatu inchoatus, & tertio expletus fuerit. Ab his Pontii actis ad Romanos Pontifices reverſus oſtendit, in actis illis recte exhiberi ordinem & tempora, quibus Pontianus, Anterus & Fabianus cathedram Romanam tenuerunt. Acta Cornelii ex MSC. Vaticano exhibet, eaque martyrologiorum ſcriptoribus non incognita fuiſſe collatione inſtituta oſtendit. Acta autem illa poſt Leonis Magni tempora ſcripta pronunciat, ac in eo errare notat, quod Cornelium ſub Decio obiiſſe dicunt: cum ex Cypriano aliisque probatis monumentis conſtet, Cornelium in Deciana quidem perſecutione, non tamen Decio adhuc vivente, ſed ſub Gallo & Voluſiano, qui Decianam perſecutionem continuarunt, terris emigraſſe. Corrigit etiam Autorem primi catalogi Pontificum, qui Cornelium Centumcellis in exilio mortuum tradit, cum Romæ gladio percuſſum & ibidem in cœmeterio Calliſti ſepultum, Romanæ eccleſiæ traditio a Leone M. & Hieronymo confirmata teſtetur. Contigiſſe illud martyrium d. XVIII Cal. Octobr. anno 253, cum anno 251 circa menſem Aprilis ad Epiſcopatum Romanæ eccleſiæ evectus fuiſſet, pluribus teſtimoniis confirmat. Neque enim probare poteſt ſententiam *Henſchenii*, qui Cornelium menſe Junio anno 250 Epiſcopum ordinatum ſtatuit, quam ſententiam ipſe *Papebrochius*, Henſchenii in edendis ſanctorum actis ſocius & ſucceſſor, corrigendam exiſtimavit. Opinioni autem ſuæ de morte Cornelii ad annum 253 referenda non repugnare dicit antiquum catalogum, qui Cornelium usque ad Galli & Voluſiani conſulatum, qui in annum 252 incidit, ſediſſe teſtatur, cum Autori illius catalogi ſolenne ſit, penultimum Conſulatum exprimere, ne in ſucceſſorum pontificatu deſignando eosdem Conſules repetere cogatur. In [illegible]bus Stephani diſciplinam arcani iterum inculcat, cum in actis Stephani legatur, Tarſicium Acoluthum, quid portaret, ab hoſtibus rogatum, occidi, quam ſacra prodere maluiſſe. Xyſti acta falſi arguit,

Digitized by Google

arguit, quæ eum ſub Decio paſſum referunt, cum ex Cypriano aliisque monumentis conſtet, eum anno 258 Tuſco & Baſſo Coſſ. martyrium ſubiiſſe. Poſt Xyſtum vacante ſede Presbyteros usque ad d. 12. Cal. Auguſti Æmiliano & Baſſo Coſs. præfuiſſe notat, eumque conſulatum non minus ac ſequentem conſulatum Cornelii Secularis & Junii Donati a *Baronio* omiſſum, ideoque eum per aliquot annos a vera chronologia eo uſque deflexiſſe monet, uſque dum anno 284, cui æræ Diocletianæ principium aſſignat, in viam redeat. Perſecutionem Diocletiani non anno 302, quod *Onuphrio*, *Petavio* aliisque viſum, ſed anno 303 cœpiſſe, ex Lactantio aliisque Scriptoribus probat. Marcellinum autem ſequenti anno 304 paſſum eſſe ſtatuit, non quidem d. 26 Aprilis, ut *Labbeus* putavit, ſed d. 16 Martii, cum die 26 Aprilis, quo memoriam Marcellini Bedæ, Rabani aliorumque martyrologia celebrant, non mors Marcellini, ſed ejusdem ſepultura contigerit, poſtquam per plures dies inſepultus jacuiſſet; unde & in Bedæ martyrologio MSC. Vaticano ad d. 6 Cal. Maj. non natale Marcellini, ut in editione vulgata legitur, ſed ejusdem depoſitio referatur. Confirmat ſuam ſententiam ex eo, quod Diocletianus & Maximianus purpuram depoſuerint Calendis Aprilis, ideoque dici non poſſit, quod Marcellinus anno 304 ſub Diocletiano paſſus ſit, niſi ejus mors ante calendas Apriles conſignetur. Marcellum, qui Marcellino ſucceſſiſſe creditur, ab Euſebio & Hieronymo & in antiquis nonnullis Pontificum catalogis omitti non diſſimulat, & forte nominum ſimilitudine Euſebium deceptum opinatur. Notat præterea & illos, qui tanto brevius ſpatium Marcello tribuunt, quanto longius poſt Marcellini obitum ſedem Romanam vacaſſe crediderunt. Ultimum hujus diſſertationis caput de Felice Liberii ſucceſſore agit, cujus geſta ex *Onuphrii* hiſtoria eccleſiaſtica, quæ in Vaticana bibliotheca MSC. aſſervatur, recenſentur. Fatetur autem Onuphrius, quod ea, quæ de Felicis ſchiſmate, electione & morte ſcripſit, hauſerit ex vetuſtiſſimo Romanæ eccleſiæ Regiſtro, quo Romanorum Pontificum præcipua acta, a Liberii Papæ exilio usque ad Hormisdam comprehenſa ſunt, cujus copiam a Marcello II. Papa ſibi factam eſſe dicit, qui librum illum literis majuſculis ſcriptum ex bibliotheca monaſterii S. Crucis de Avellana diœceſis Eugubinæ ſe habuiſſe ipſi retulit. Conveniunt autem ea, quæ ex illo Regiſtro Onuphrius

Digitized by Google

de Felice narravit, cum iis quæ Marcellinus & Fauſtinus in præfatione libelli precum Imperatoribus Valentiniano, Theodoſio & Arcadio oblati, ac a Jacobo Sirmondo editi, de ſchismate iſto literis mandarunt. Repetit deinde Schelſtratenus, quæ Baronius ad A. C. 357 de invento Felicis corpore & epitaphio Sancti & Martyris titulum exprimente retulit, quod obſtitit, quo minus nomen Felicis ex martyrologio expungeretur, cum Baronius & alii qui de emendatione Romani martyrologii deliberabant, nomen hujus Papæ delendum vel ſine Martyris titulo relinquendum ſuaderent. Affert etiam quædam in Felicis gratiam ex geſtis Euſebii presbyteri Romani a Baluzio tom. 2. miſcellaneorum editis, nec non ex actis Felicis, in quibus tamen illud deſiderat, quod Conſtantium Conſtantini F. ab Euſebio Nicomedienſi juxta Nicomediam in Aquilone villa rebaptizatum dicant, quem errorem etiam ex his actis Autor libri Pontificalis hauſit. Subnectitur huic diſſertationi ſeries chronologica, ab anno æræ vulgaris primo uſque ad obitum Juſtiniani ſeu annum 566, quo Conſulares faſti & plerique Pontificum catalogi finem accipiunt. In hac chronologica ſerie anni Pontificum cum annis Imperatorum & Conſulum Romanorum componuntur, ex qua chronotaxi non difficulter patere Autor exiſtimat, quantum *Pearſonius* & *Dodwellus* in digerendis primorum Pontificum temporibus hallucinati fuerint.

Diſſertatio tertia agit de *antiquis Romanorum Pontificum catalogis, & de libri Pontificalis autore & præſtantia*, ac primum quidem de antiquis Patribus & Scriptoribus, qui Romanorum Pontificum ſucceſſionem chronicis ſuis aliisque operibus inſeruerunt, Irenæo, Optato, Auguſtino, Victore Tununenſi, Euſebio, Hieronymo & aliis; deinde de antiquiſſimo catalogo Pontificum, qui in Liberio deſinit, unde Schelſtratenus ejus autorem circa Liberii tempora vixiſſe, ejusque antiquitati perperam a *Dodwello* detrahi opinatur, refutans quoque *Henſchenii* & *Papebrochii* ſententiam, e quibus ille priorem catalogi partem ab Antero, poſteriorem a Damaſo, hic poſteriorem partem a quatuor diverſis autoribus compoſitam ſtatuit. Ne quis autem ex Hieronymi epiſtola ad Damaſum, qua geſta Pontificum ab ipſo recenſeri petit, & Damaſi reſponſione, hunc catalogum a Damaſo ſcriptum exiſtimet, duas illas Hieronymi & Damaſi epiſtolas ſuppoſitas eſſe probat. Pergit ad alium catalogum, qui in actis Felicis IV. termi-

Digitized by Google

terminatur, & quem ex Chriſtinæ Suecorum Reginæ bibliotheca Henſchenius & Papebrochius in prolegomenis ad tomum 1. Aprilis publicarunt. Notat autem Schelſtratenus, quod, cum hanc editionem cum manuſcripto Reginæ contuliſſet, nonnulla præpoſtero ordine collocata deprehenderit. Cum enim in editione Henſchenii 1, Petrus, 2. Linus, 3. Clemens, 4. Cletus, 5. Anacletus collocetur, in manuſcripto codice Cletum Clementi præponi obſervat. Neque dubitat veriſimam eſſe illorum ſententiam, qui hunc catalogum ſeculo 6. ſcriptum aſſerunt. Quamvis enim in codice MSC. poſt Felicem IV. aliorum duodecim Pontificum nomina addantur, ea tamen ab alia manu adjecta eſſe probat. Autorem autem hujus catalogi Romanum fuiſſe & forſan Archivi Præfectum, ex ipſis catalogi verbis colligit. Ab his catalogis ad librum Pontificalem ſæpius editum progreditur, & neque Damaſum neque Anaſtaſium Bibliothecarium libri hujus autorem eſſe notat, *Lambecium* quoque confutans, qui priorem hujus libri partem a Notariis Apoſtolicæ Sedis conſignatam ſuſpicatus eſt. Ipſe autem priorem hujus libri partem, quæ vitas Pontificum uſque ad Conſtantinum Papam continet, poſt ſextam Synodum conſcriptam, & poſt mortem Conſtantini ab eodem autore, quem Romanum & forte bibliothecæ Pontificiæ vel Archivo Curiæ Romanæ præpoſitum fuiſſe cenſet, Gregorii II. & III. vitam adjectam, poſtea ab alio autore vitam Zachariæ, Stephani III, & Pauli I, itemque ab alio Stephani IV. & Hadriani I. vitam, & ſic etiam ſequentium Pontificum vitas a diverſis autoribus additas fuiſſe contendit. Eſſe autem nonnemínem indicat, qui ex his Pontificum vitis Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, & Nicolai I. geſta Anaſtaſii ſtylo conſignata exiſtimet. Eſt ea ſententia doctiſſimi *Ciampini*, quam ex ejo examine libri Pontificalis in tomo I. Supplementorum ſect. 4. p. 170 retulimus. Verum Schelſtratenus ab hac ſententia recedit, & tantum Nicolai I. vitam Anaſtaſio acceptam refert; animadvertens præterea, priorem hujus libri partem ex variis Pontificum actis, & imprimis ex catalogo illo, quem ſexto ſeculo confectum ſupra indicavimus, depromptam eſſe, poſteriorem autem libri Pontificalis partem a Zacharia uſque ad Nicolaum I. cum primis lectu dignam eſſe, cum a coævis autoribus ſcripta & ex authenticis illorum temporum monumentis deſumta ſit. Subjungitur huic diſſertationi ipſe *liber Pontificalis*, cum variis lectionibus

Lucæ Holſtenii. In oppoſita autem plagularum facie, quæ in diverſas columnas diviſa eſt, exhibentur acta Pontificum, partim ex duobus illis antiquis catalogis, quorum ſupra mentionem fecimus, partim ex Euſebii hiſtoria & chronico ejusdemque continuatoribus, partim ex aliorum Patrum ſcriptis. Utrique catalogo non minus quam libro Pontificali brevia quædam ſcholia doctiſſimus hujus operis editor adjecit, qui etiam tomo huic primo appendicem addidit varia antiquitatis monumenta continentem, quæ vel nunc primum, vel correctiora edidit, & notis illuſtravit.

Exhibentur a Schelſtrateno in hac appendice I. nummi Præſidum quorundam Syriæ æri inciſi, cum nummo Herodis Antipæ, & Ægyptio numiſmate, quorum rationem breviter explicat. II. Excerpta ex *Hippolyti Thebani* chronicis juxta fidem codicis Vaticani, qui a *Caniſii* editione plurimum differt, cum alio quodam Hippolyti fragmento. III. Fragmentum incerti alicujus autoris ex eodem codice Vaticano depromptum. IV. *Clementis Alexandrini* fragmentum ex libro I. Stromatum de annis Romanorum Imperatorum. V. Supputatio annorum ab Adamo usque ad Chriſti adventum & usque ad ædificationem Conſtantinopoleos, Græce & Latine. VI. Fragmentum chronici, quo continentur res eccleſiaſticæ ab anno 42. Auguſti usque ad Clementis Pontificatum. VII. Excerpta ex chronico *Hippolyti Portuenſis*, quod *Caniſius*, *Labbeus* & *Cangius* ſub variis titulis ediderunt, ex codice MSC. Collegii Claromontani Pariſienſis Soc. Jeſu. VIII. Series Imperatorum a Julio Cæſare uſque ad Valentem ex MSC. Vaticano. IX. Opuſculum de præfectis Urbi, & quibus conſulibus Magiſtratum geſſerint, a *Bucherio* & *Contelorio* editum, ex membranis bibliothecæ Cæſareæ ante annos 1300. conſcriptis. X. Faſti conſulares autoris anonymi ex bibliotheca Cæſarea a *Noriſio* editi. XI. Faſti conſulares ab anno Chriſti 138 uſque ad A. C. 273 a *Dodwello*, qui eos *Theoni Alexandrino* tribuit, ex MSC. Savilii, itemque a *Cangio* in appendice ad Chronicon Paſchale Græce editi, nunc vero Latine redditi, additis annis æræ vulgaris. XII. Faſti Idaciani, a *Sirmondo* & plenius a *Labbeo* editi, ex codice Claromontani collegii correcti, additis æræ vulgaris annis. XIII. Chronicon *Caſſiodori* non integrum quidem, ſed ab imperio Julii Cæſaris, ex antiqua & correctiori editione *Johannis Cuſpiniani.* XIV. Laterculus faſto-

Digitized by Google

Faſtorum Conſularium ab Auſonii & Olybrii Conſulatu, ex editione *Arnoldi Pontaci*, collata cum codice Colbertino. XV. Laterculus Conſulum poſt Chronicon Senatoris, ex eodem codice Colbertino. XVI. Chronicon *Iſidori Hiſpalenſis*, ex codice Vaticano, qui ab editis diſcrepat. XVII. XVIII. &c. usque ad XXXIX. Varii catalogi Imperatorum, & Pontificum aliaque hujusmodi monumenta, quorum pleraque brevibus notis & ſcholiis illuſtrantur. In extremo hujus tomi folio iterum excudi fecit Autor *nummum Herodis Antipæ*, cujus ſupra mentionem fecimus. Cum enim opus hoc abſolviſſet, monitus fuit per literas a *Noriſio*, in antica nummi illius parte non legi: ΓΑΙΩ. ΚΑΙCΑ. ΓΕΡΜ–ΝΙΚΩ, uti prius ex Rigordi fide, qui ita legerat, a Noriſio & a Schelſtrateno in fronte hujus appendicis expreſſus fuerat, quæ inſcriptio etiam in Actis noſtris loco ſupra allegato legitur, ſed: ΓΑΙΩ. ΚΑΙCΑ. ΓΕΡΜ. ϹΕΒ. i. e. *Gajo Cæſari Germanico Auguſto*, ut obſervatum a *Toinardo*, aliisque veterum nummorum peritis, cum Pariſiis nummum iſtum pauliſper expolitum inſpexiſſent. Cum hoc Herodis nummo Schelſtratenus *alium* quoque *Herodis Antipæ nummum* jungit, qui inter cimelia Regis Galliæ ſervatur, & cujus typum itidem a Noriſio accepit. In ejus antica parte exhibetur palma cum inſcriptione: ΗΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ L. ΑΔ, i. e. *Herodis Tetrarchæ anno 34*; in parte averſa apparet laurea cum nomine ΤΙΒΕΡΙΑC, unde *Noriſius* in literis ad Schelſtratenum colligit, alterum quoque Herodis nummum Tiberiade percuſſum fuiſſe, non autem apud Sepphorim, quæ prior fuit Noriſii ſententia in Actis noſtris A. 1690. p. 439 etiam relata, & nunc ex his ad Schelſtratenum literis corrigenda. Ex omnibus autem Herodis Antipæ nummis non plures, quam iſtos duos, ſupereſſe Schelſtratenus exiſtimat, & cauſam, cur Tiberiade potius, quam in aliis Galilææ civitatibus, cuſi ſint, exponit.

DE ORIGINE CARDINALITIÆ DIGNITATIS Schediaſma Hiſtoricum, auctore M. Jo. Franciſco Buddeo.

Jenæ, ſumptibus Joh. Bielckii, A. 1693. in 12.

Conſtat plag. 8.

IN Purpuratorum Patrum natales inquisiturus Cl. Autor, notat
p. 5. primum eos, qui originem Cardinalium ad Deum ipsummet referre non dubitant, idemque e Scriptura S. evincere conantur.
p. 9. Nec felicius in hoc mari navigare censet, quibus vocis ortus subsidio esse visus fuit, ad splendorem Cardinalibus conciliandum. Id quidem non diffitetur, si ex Criticorum præscriptis judicium ferendum sit, præcipuum quid & singulare hac voce denotari; quo pacto autem in sacri ordinis viros ista vox translata sit, nondum inter omnes convenire observat. Animadvertit vero, plerisque persuasum esse, *titulos*,
p. 11. ut vocant, Cardinales huic muneri præbuisse ansam, ac eo nomine sacras venisse ædes, in quibus Deum placare precibus & Christiani cultus peragere sacra moris fuerit; titulorumque cum non una eademque esset conditio, sed quidam præ cæteris eminerent, eos *Cardinales* seu *præcipuos* fuisse appellatos, ac mox Presbyteris ipsis, qui titulis præfuerint, idem nomen adhæsisse: non procul hinc abire sententiam Bellarmini, censentis, Cardinalis nomen primo quidem impositum fuisse loco, a loco vero ad personam derivatum: Onuphrium Panvinium autem opinari, illos vocatos fuisse Cardinales, qui inter reliquos sui ordinis homines eminuerint, aliisque fuerint præfecti: a
p. 16. nonnullis apud Autorem libri, *Traitté de l' origine des Cardinaux du Saint Siege* cap. I. & II. ad Romanæ urbis præfectos, qui certæ civitatis præerant parti, atque Curatores sive capita Regionum Urbis appel-
p. 18. litabantur, primos natales referri: Guidonem Pancirollum in Comment. ad Notit. Imperii Orientalis cap. II. Patritios Romanos Cardi-
p. 21. nalibus tradidisse lampada, existimare: Boxhornium a Notariis veteris Ecclesiæ Cardinalium originem derivare: alios, teste Polydoro Vergilio de inventoribus rerum, tradidisse, a Pontiano Pontifice tertio a Servatoris nativitate seculo, 36. sacerdotes Cardinales esse constitutos, a Marcello autem quindecim creatos, qui mortuis sepeliendis, infantibusque salutari fonte abluendis navarent operam. Horum omni-
p. 26. um sententiis discussis, ostendit incertum item atque ambiguum esse, quo potissimum tempore Clericis Cardinalium obtigerit nomen: Romanensium plerosque, ex nominis antiquitate muneris ipsius dignitatem metientes, primis seculis a Christo nato jam hoc nomen viguisse, sibi aliisque persuadere: Robertum vero Bellarminum ultra Constantini M. tempora non audere certi quid polliceri, tum autem

autem Concilium Romanum ſub Sylveſtro I. convocatum eſſe, autumare, in cujus canone VI. Cardinalium injiciatur mentio, atque huic documento multos præterea clariſimos viros inniti. Verum obſervat, omnibus his concilii iſtius impoſuiſſe autoritatem; id tamen, ſi accuratius expendatur, nihil aliud fore, niſi inane otioſorum ingeniorum commentum. Nec certiora eſſe monet, quæ pro antiquitate Cardinalium profert Raphaël Volaterranus in Anthropol. l. 22. aut juris Canonici compilator Gratianus diſtinct. 24. c. Presbyteri; ſed magno diſcrimini ſe expoſiturum affirmat, qui hiſce teſtimoniis fretus certam & indubitatam de hac lite ſententiam ferre velit. Reprehendendum quoque cenſet errorem Hieronymi Plati, libro de Cardinalis dignitate & officio c. 2. aſſerentis, Conſtantini M. tempore jam tantam Cardinalium fuiſſe dignitatem, ut cæteris Clericis ſuperiores fuerint; cum tamen vix Cardinalium nomen tum innotuerit, multo minus Romanis Clericis major honor, quam reliquis, fuerit habitus. Itaque dubiis ac perplexis miſſis judicat, ante Gregorii M. ætatem de ſtatu Cardinalium pariter ac vocis uſu nihil poſſe definiri; ſaltim ex probatæ autoritatis ſcriptoribus hodie nullum exſtare arbitratur, qui ante illum aut tam diſerte Cardinalium meminerit, aut ſæpius quoque hac voce inter antiquos fuerit uſus. Inde invehitur in Petrum Gregorium Tholoſanum, qui Cardinales non tantum dignitate & potentia a Conſtantino M. auctos, ſed ejusmodi quoque veſtitu, quali hodie utuntur, ornatos eſſe contendit, atque illius ſententiam inter alia everti oſtendit communi Hiſtoricorum ſuffragio, quo in Innocentium IV. Pontificem decorati rubeis pileis aliisque ornamentis Cardinalitii ordinis gloria redundat. Obelo item notat Franciſcum Duarenum, cenſentem, Cardinales olim dictos eſſe Presbyteros non quosvis, ſed qui in majori Eccleſia, quam cathedralem dicimus, rem divinam cum Epiſcopo ſuo faciebant: obſervatque, Cardinales omnes eos fuiſſe appellatos, qui certæ erant addicti Eccleſiæ, adeoque fixi, & in ſede ſua permanentes, ſine Eccleſiarum diſcrimine aut graduum varietate. Quo autem tempore nomen Cardinalium, Clericis omnibus fixis commune, ſoli ſibi vendicaverint Romani, definire temerarium ſtatuit, ac rejecta ſententia Polydori Vergilii, contendentis, evecta per Bonifacium III. ad primum ſupremæ dignitatis gradum Romana ſede, Clericos quoque Romanos, non tantum

p. 30. p. 31. p. 35. p. 37. p. 39. p. 42. p. 49.

Digitized by Google

tantum majores ſumpſiſſe ſpiritus, ſed &, ut communi ſorte ſe exem-
p. 52. tos oſtenderent, proprio hoc & peculiari nomine voluiſſe inſigniri; arbitratur ſenſim apud cæteros uſum hujus vocabuli, perinde ut aliorum (ſcilicet Papæ, itemque Catholici) in deſuetudinem abiiſſe, ac penes Romanos Clericos tantum permanſiſſe, ac quo ſuæ commentationi majorem fidem faciat, Cleri Romani conditionem luculenter
p. 57. in ſequentibus declarat. Quam ubi expoſuiſſet, & diſcrimen veterum ac recentiorum Cardinalium ſatis indicaſſet, evolvendum ſibi
p. 83. ſumit, in quo Cardinalitia dignitas potiſſimum conſiſtat, ut in origine ejus detegenda eo commodius progrediatur. Et licet multa ſint, quæ Cardinalium ordinem omnibus venerandum reddant, præcipuum tamen iſtud eſſe judicat, quod jure eligendi Pontificem gau-
p. 90. deant. Ad hoc prope accedere monet, quod ad ſummum ſacerdotii Romani faſtigium nemini adſpirare liceat, niſi prius in Cardina-
p. 99. lium numerum fuerit cooptatus. Tertiam Cardinalitii muneris partem in eo conſiſtere cenſet, quod Conſiliariorum munere apud Pontificem fungantur, ac Senatum quendam Eccleſiaſticum exhibe-
p. 103. ant. Inde in harum Cardinalitiæ dignitatis partium originem ſigillatim inquirit, ac poſtquam ſecundam conciſe, tertiam vero paulo plenius propoſuiſſet, ad primam ex profeſſo pertractandam ſe
p. 113. accingit, arbitratus, Cardinalium eminentiam, cum jure eligendi Pontificem tam arcto junctam eſſe vinculo, ut tum demum Cardinales hodiernos exortos eſſe, haud abſurde aliquis dixerit, cum iſta ele-
p. 110. ctionis facultas ad eosdem fuit translata. Demonſtrat poſthæc, per undecim a Chriſto nato ſecula populo non minus quam Clero ſuas in eligendo Epiſcopo fuiſſe partes, adeoque fruſtra in iisdem quæri Cardinales, quales noſtra ætas videat atque veneretur; ac propu-
p. 160. gnat, Innocentium II. primum omnium fuiſſe, quem ſolum Cardinalitium Collegium creavit, qui etiam iſtud jus eligendi eidem proprium eſſe voluerit; cum nec ante eum citra populi & cleri conſenſum quenquam ad hoc faſtigium evectum fuiſſe, evinci poſſit, nec poſtea iterum populum ad hæc ſacra admiſſum fuiſſe, certis documentis quis-
p. 172. quam demonſtrare queat. Tandem de Autoribus, qui in eodem argumento ingenii exercuerunt vires, ſuum exponit judicium.

LE MEMORIE BRESCIANE. OPERA HISTORICA e Simbolica di OTTAVIO ROSSI &c.

i. e.

Memoriæ Brixienſes. Opus Hiſtoricum & Symbolicum *Octavii Rubei.* Editio nova, adornata a *Fortunato Vinacceſio*, qui adjecit ſpicilegium marmorum hactenus ineditorum.

Brixiæ apud Dominic. Gromium, 1693. in 4.
Conſtat duobus Alphab.

NOva hæc eſt editio libri jam olim quidem typis vulgati, noſtri tamen orbis Eruditis fortean vix ultra titulum noti. Poſtquam enim Brixiæ ſub initium hujus ſeculi, anno ſcilicet ejus XVI, publicam lucem primum adſpexit, paria fata cum altero ejusdem autoris fœtu de claris viris Brixianis paſſus, in ipſa Italia adeo rareſcere cœpit, ut magno quoque ære non niſi difficulter acquiri potuerit. Non ægre igitur laturos Lectores noſtros ſperamus, ſi cum libro, qui in noſtris oris plane novus videri queat, ita nos geramus, quaſi nunquam antea publici juris factus fuiſſet.

Ut vero de totius Operis ſtructura ante omnia conſtet, ſciendum eſt, poſtquam de Brixiæ natalibus actum eſſet, (quos cum Stephano ad Herculem potius, quam vel cum Juſtino ad Brennum, vel cum Livio ad Editovium, vel cum aliis ad Cycnum, referendos eſſe probatur,) variaque itidem de primo ejus ſtatu usque ad tempora quibus Romæ civitatis jure juncta fuit, nec non de antiquo ſitu ex vetuſtis ruderibus allata fuiſſent; omnia reſidua templa atque ſtatuas, quibus Brixia quondam Pagana ſuperſtitioni ſuæ velificabatur, nec non alia publica ædificia ab autore noſtro ita perluſtrari, ut ſi ex monumentis aliunde petitis aliquid lucis ipſis accedere queat, iſtud quoque non reſpuat. Ut adeo non pauca haud ſane ubique obvia liber mole non adeo magnus ſuppeditare videatur; ex quibus aliqua, quæ imprimis notatu digna viſa fuere, decerpere, & quaſi per ſaturam hic exhibere placuit, ut ex unguibus, quod dicitur, leonem Lectorum quilibet judicare queat. p. 2.

p. 4. In explicandis originibus Brixianis dum Autor noſter verſatur, inter alia monumenta, quibus in peculiari honore Hercules apud eos fuiſſe oſtenditur, ſequens quoque marmor in fundamentis Eccleſiæ S. Dominici repertum adducitur: ÆTERNUM HERCULI JOVI APOLLINI ROMANORUM ET BRIXIANORUM FOEDUS CONTRA POENOS L. CAMURUS VIBULUS Q. RUSTIUS VOLCA TAURUM AD LIMITES PERCUSS. Ex quo in fœderibus boves mactandi mos, de quo non niſi ex paucis quibusdam eisque admodum obſcuris autorum locis eruditorum quibusdam ſuboluit, mirum in modum confirmatur, quin & Græcorum nummus pariter ac alius Latinorum illuſtratur, quorum ille in altera parte Themiſtoclis imaginem, in altera bovem cum tæniis, hic vero in priori parte Porſennam, in averſa bovem cum ara & lituo exhibet. Quorum nummorum utrumque ad fœdus aliquod referendum, illum quidem ad Græcorum contra Perſas, hunc ad Hetruſcorum contra Romanos, non obſcurum eſſe videtur.

p. 16. Publicum ritum explicabat quod modo adduximus marmor; en alterum quod ut privatæ Brixianorum ſimplicitati teſtimonium præberet, Autori in lucem protrahere placuit. Exhibet iſtud tres figuras more hodieque conſueto menſæ aſſidentes, quas inſcriptio adjecta Publ. Rufrium Balbinum Coloniæ Brixianæ Decurionem, cum fratre & Rufria Amœna patris liberta deſignare oſtendit. Marmor cum in finem a Rufrio poſitum fuiſſe Autoris noſtri eſt conjectura, ut manifeſtum faceret, intemeratos Brixianorum mores a corruptelis Romanorum ſervatos fuiſſe, qui & ipſi antequam poſt Græciam devictam, luxum mœniis ſuis inveherent, menſis non accumbebant, ſed aſſidebant, ut ex Servio, Varrone, Iſidoro & aliis Eruditi obſervarunt.

p. 30. Sed redeamus ad publicas ſuperſtitiones Brixiæ Paganæ, quarum haud paucas a Noſtro egregie illuſtratas videmus. Herculi neque votum feciſſe, neque per eum juramentum ſibi permiſiſſe ſequiorem ſexum apud gentiles, res eſt non adeo ignota. Illuſtre tamen hujus rei exemplum extat in ſaxo Maderni in agro Brixiano effoſſo. Aram iſtud repræſentat, quam Herculi pro ſalute filii dedicavit pater Valerius Severus, addito quoque uxoris Clodiæ Cornelia-

nelianæ nomine. Noluiſſe autem Clodiam, ut ſuo quoque nomine Herculi fieret votum, quod Junonibus ſe potius debere arbitrabatur, inde colligit Autor, quod HERCULI in inſcriptione conjunctionem ET adjunxerit ſculptor, in altero vero aræ latere vocem JUNONIBUS expreſſerit, hoc modo:



Exponit vero etiam hac occaſione Autor, quid iſtæ apud veteres Junones ſibi voluerint, quas in aliis etiam quibusdam Brixianorum monumentis ſe invenire affirmat; quemadmodum & in juramentis fæminarum Junonem frequentem fuiſſe, vel iſtud Quartillæ apud Petronium oſtendit: *Junonem meam iratam habeam*, ut & inſignis Juvenalis locus virum effæminatum perſtringentis, qui ſervum per *Junonem Domini jurare* patiebatur. Politiano itaque accedit, qui Plinii autoritate fœminis Junones idem eſſe quod viris genios oſtenderat; id quod ex præclaro Senecæ in Epiſt. ad Lucilium loco Noſter ulterius dedit confirmatum.

Matronarum quoque frequentiſſima in Brixianis monumentis mentio occurrit, quas apud Germanos etiam celebratas fuiſſe, Marmor Lipſianum tres fæminas ſedentes & flores in ſinu foventes exhibens, perſuadere videtur. Solicitus eſt Autor in earum eruenda origine & officii ratione. A Græcis eas ad Brixianos translatas eſſe, nulla antiquitatis autoritate, ſed ſola conjectura inductum ſeſe exiſtimare fatetur. Ab Elæis itaque eas deducendas eſſe ſuſpicatur, quorum poſt Demophontis Piſarum Tyranni obitum exortæ diſcordiæ, aliter quam honeſtiſſimarum iſtius gentis fœminarum interventione componi placide haud potuerunt. Quibus ut gra- p. 59.

tiæ pro hac navata in reconciliandis dissidentium civium animis opera redderentur, *divinarum* titulo ornatis Junonis custodia publica autoritate demandata fuit. Brixiæ potissimum earum fuisse de pudicitia fæminarum judicium, ex Abbatis Ascanii Martinengi Tabula in Templo Pacis reperta probatur, in qua decretum harum Matronarum contra Tertullam Cenami uxorem, ob læsam conjugalem fidem ad vivisepulturam condemnatam, proponitur.

p.106. Sed de his fæminarum sacris abunde satis. Ad masculos Deos nunc redeundum, quos inter Castorem & Pollucem primos producimus. Describit Autor satis prolixe festum, quo memoria eorum quotannis Romæ celebrabatur. Mos erat in istis solennibus inter alia, ut Equites Romani se cum equis suis, quos albos esse oportebat, Censori sisterent, a quo si labis quippiam in iis reperisset, equus ipsis adimebatur. Petendam inde istius Latinorum proverbii, *equis albis præcedere*, explicationem sibi persuadet, quicquid etiam de eo Erasmo visum fuerit. Planissimum enim putat, de vitæ integritate claris istud accipiendum esse proverbium, quos vel illis ipsis vitæ puritate superiores pronuntiet, quibus equis albis uti sit concessa facultas. Quæ si vera est interpretatio, aliquid luminis affundere videtur commati 14. cap. XIX. Apoc. Valde tamen veremur, ne suspendere assensum Eruditis persuadeant ista Horatii ab Erasmo etiam allegata:

Durus homo atque odio qui possit vincere Regem,
Confidens tumidusque adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis præcurreret albis.

Facile enim patet, Persium, cui proverbium istud a Poeta accommodatur, non admodum a vitæ integritate fuisse commendandum.

Dei Noctulii non inscriptiones tantum aliquot, sed ipsam statuam quoque Autor noster nobis exhibet, quæ hominis profundis meditationibus immersi figuram repræsentat, noctua ad pedes ejus apposita. Deum meditabundorum hunc esse, tum ex ipso idoli habitu, tum ex adjuncta Palladis alite, tum ex ipso quoque nomine (nox enim meditationum mater vocatur) facile sibi persuaderi patitur. Id vero quod cum sepulcris communem hujus Dei templum locum obtinuerit, eo spectare existimat, quod tota vita nostra, meditationi

cito

Digitized by Google

cito tranſeunti perquam videatur ſimilis: cui interpretationi an ſtandem ſit, aliis excutiendum relinquimus.

Quæ de Deo Bergimo, Tyllino & aliis quibusdam Numinibus vulgo minus cognitis referuntur, adducere ſuperſedemus, ne in nimiam molem excreſcat hæc noſtra relatio. Sed id intactum relin- p.140.
quere nolumus, diſplicere Autori noſtro, quod eloquentiæ Deus vulgo Mercurius credatur: talem enim qui eum faciunt, cum Mercurio Trismegiſto, cui gloria iſta debetur, Majugenam illum ex ejus ſententia confundunt. Quin iſtud quoque mirum videri queat, Sirenis fi- p. 153.
guram Autori noſtro adeo fuiſſe incognitam, ut eam neſcio pro quo naturæ humanæ Symbolo nobis obtrudere fuerit inductus. Sed procul dubio Vir doctus a vulgato errore, qui non in avem ſed in piſcem deſinere Sirenes fingit, ſibi imponi paſſus fuit, quem tamen firmiter adeo jam olim exploſerunt Viri eruditi, ut otio noſtro abuti merito crederemur, ſi verbulum de eo nunc adderemus.

Ut vero tandem, quo recentior hæc editio antiquiori ſuperior evaſerit, Lectori conſtet, non contemnendum Brixianarum inſcriptionum ſpicilegium ei ſub finem acceſſiſſe ſciendum eſt, quæ ut a jam olim editis diſcerni queant, duobus aſteriſcis ſemper notantur.

JOANNIS LVYTS, PHILOSOPHIÆ PROFESſoris, Introductio ad Geographiam novam & veterem: Adjiciuntur Oceani, Terræ & cujusque regionis Tabulæ, etiam Chartæ LXV Sanſonis.

Trajecti ad Rhenum 1692. in 4.

NOvum hoc opus Geographicum in quinque ſectiones diviſum eſt. Prima in prolegomenis Geographicis tota eſt inſumpta, ſive in doctrina de Terræ quantitate, axe, polis, circulis, zonis, climatibus, parallelis, longitudine ac latitudine locorum; nec non de diſtantiis earumque menſuris; de plagis, uſu globi terreſtris, & ſimilibus, quæ ex Geometricis Aſtronomicisque principiis dijudicantur; quemadmodum paſſim in hac ſectione clariſſimus Auctor ad Inſtitutionem ſuam Aſtronomicam, quam menſe Septembri A. 1689 breviter delineavimus, lectorem remittit. Secundæ ſectionis

quatuor priora capita Hydrographiam continent, qua tam Oceanus, quam Mediterraneum Mare, & utriusque diversi sinus, eorumque nomina, a gentibus plerumque, quas alluunt, petita, explicantur; etiam de motu marium generali aliquid adjicitur: posterioribus, Terræ divisio, & Europæ præcipua regna ac respublicæ, inde a Portugallia usque in Turciam Europæam, ita recensentur, ut singularum regionum divisiones, flumina, oppida potiora continuo ordine enarrentur, habita etiam ad antiquum statum regionum & locorum, sed parcius, ratione, quam in nova seu nostrorum sit temporum Geographia, cui præcipue hoc Opus destinatum fuit. Singulis provinciis subjiciuntur Tabulæ, quæ illarum divisiones cum urbibus primariis ante oculos proponunt, ut memoria legentium perspicuitate adjuvetur. Tertia sectio Asiæ, & quarta Africæ imperia eodem modo ac ordine pertractat: in quinta demum seu ultima, duplex America, septentrionalis & australis, in quantum cognita est, perlustratur. Quæstiones quoque, ubi res exigere videbatur, non inusitatæ quidem, at vero nec inutiles injiciuntur, ut in Asiæ parte de loco Paradisi, & de Ophir Salomonis: & sectione ultima, an America antiquis fuerit cognita, & unde primi homines, ac quando in eam pervenerint, in quibus id Cl. Auctor agit, ut varias variorum sententias enumeret, & quæ probabilior videatur, non obscure significet. Omnium autem, quæ de situ urbium ac regionum tractat, fundamentum præcipuum in chartis Geographicis ponit, chartis nempe novis Belgicis, & Nicolai Sansonis, cujus minores chartæ, cum Gallica descriptione in Batavis A. 1683 recusæ, occasionem huic operi dederunt. Illarum enim laminas, Gallico idiomate incisas, bibliopola acquisiverat, cui Auctor laborem suum atque operam addixit. Inde factum est, ut Latina hæc Geographia Gallicis tabulis exornata sit. Quum vero ea conditio chartarum plerarumque sit, ut non raro digniora omittant, pagos & alia parva pro claris oppidis exhibeant, etiam in vero horum situ frequenter aberrent; non facile fieri posse apparet, ut qui illis mappis confidit, non in errorem aliquando inducatur. Quo referri debent, quæ obiter in solis provinciis, quas Serenissima Domus Saxonica possidet, sine accuratiori discussione observavimus.

Pag. 314. Electoralis Saxoniæ propriæ portio nimis coarctatur,

Digitized by Google

tur, dum ad Wittebergam tantum & oppidulum Elſter reſtringitur: quum cis & trans Albim plura numeranda fuiſſent, nec exigua, oppida. Pag. 315. Metallici montes, das Ertz-Gebirg/ male vertuntur *Archimontana*. Ibidem inter Miſnenſem & Lipſienſem tractum interponitur Voigtlandia, quo jure, aut ordine, non apparet. Ibidem in Voigtlandia confunduntur Franconici ſeu Brandeburgici quæ juris ſunt, cum Saxonicis & Ruthenicis, nec dominia & poſſeſſiones exprimuntur. Pag 316. Hala, Hall/Magdeburgici juris, in Miſnia ponitur, & *urbs minor* vocatur, quum ſit facile harum regionum ampliſſima. Ibidem Ciza dicitur epiſcopali ſede excidiſſe, quam ſemper tenuit, & adhuc tenet ſub Ser. Adminiſtratore: Capitulum tantum & Cathedralis Eccleſia translata ſunt Numburgum, manente tamen Cizæ Capitulo inferiore & Eccleſia collegiata. Ibidem vel pag. præc. In Miſnia multa addenda eſſent, v. g. Eulenburg, Wurzen, Delitſch, Colditz, Rochlitz, & alia. Ibid. pag. 316. Gotha dicitur urbs *parva* & Iſenacum *exiguum*; utrumque oppidum non parvum, ſed mediocre, & bene cultum, & Ducum ſedes. Ibidem in Thuringia omittuntur Salfeld, Orlemunda, Ordruf, Langenſalz, Weiſſenſee, Sangerhauſa, Heldrungen, & alia non contemnenda. Pag. 317. Arnſtadienſis Comitatus, quæ pars nobilis Schvvarzburgici, perperam dicitur includi in Mansfeldenſi; quod ibidem etiam de Querfurto traditur, in quod nullum jus eſt Mansfeldicis, ſed quod Principatum nunc Saxonicum denominat. Pag. 293. In Comitatu (nunc Principatu a tribus ſæculis uſque) Hennebergico, qui etiam Saxonicæ ditionis eſt, dicitur *Meinunga commune regimen habere*, quod deſiit habere ante plures quam XXX. annos, quum communis poſſeſſio divideretur. Sedem autem nunc præbet Principi ex familia Gothana, ejusque regimini proprio, non communi. Nec *Hilperhuſa* ad Hennebergiam pertinet, ſed ad Coburgenſem Ducatum, tribus ſæculis avulſum ab Hennebergide. Omiſſa ſunt alia Hennebergiæ, ut *Sula*, non parvum oppidum & armorum officinis celebre.

Et quum tot familiæ Domus Saxonicæ ſint, non diſtincte, quæ ſingulorum poſſeſſiones ſint, oſtenditur, immo nec ſedes illorum indicantur, quod omnino Geographici officii erat. Sed hæc obiter, & eo notavimus animo, ut clariſſimi Auctoris eruditioni,

tioni, & induſtriæ nullo modo detractum cupiamus. Perfectum omni ex parte, nulloque etiam in minimis defectu laborans hujus argumenti opus nec vidit hactenus, nec viſurus eſt Orbis Litteratus.

ERHARDI VVEIGELII CONSILIAR. CÆSAR. & Palat. nec non Senioris Prof. P. Philoſophia Mathematica, Theologia naturalis ſolida, per ſingulas ſcientias continuata, univerſæ Artis inveniendi prima ſtamina complectens.

Jenæ, ſumtibus Matth. Birkneri 1693. in 8.
Conſtat plag. 60.

QUanquam Matheſis hoc ævo fere ſummo faſtigio ſuo videatur admota, nec ulla ejus pars ſit, quæ non ab aliquot Viris doctis juſtis ſit exculta Voluminibus, tot nihilominus tantaque ſubinde progenerat Inventa nova, ut iis qui etiamnum aliquid in ea moliuntur, non ſpicilegium ſed integra meſſis relicta videatur. Teſtatur hoc præſens ſcriptum Autoris nobiliſſimi, novarumque Inventionum gloria apud exteros quoque celeberrimi. Primus eſt Tomus univerſæ quam meditatur Matheſeos, diſtribuiturque in duas partes, quarum priore ſollicite magis in naturam Matheſeos inquirit. Atque initio quidem Sect. I. ejus limites longe extendit ultra metam a Scholaſticis illi ex ignorantia fixam. Oſtendit enim quantitatem, velut ejus objectum, non eſſe extenſionem, ſed determinatam rerum finitarum rationem, quam exacte æſtimare ac definire ſit Matheſeos; cum autem nulla non ſcientia objecti ſui rationem, ſeu naturam & affectiones exacte determinare teneatur, mox inde infert, Matheſin in hac ſua latitudine ſpectatam a reliquis diſciplinis ſimul ſumtis non differre; utut quædam ſcientiæ, in quibus id quod commune eſt omnibus majori præſtatur rigore, κατ' ἐξοχὴν nomen Mathematum ferant. Cæterum quia quantitas hoc modo accepta conſtituit ipſam rerum finitudinem (ceu vocat) exacte æſtimatam, fuſius ſibi hac occaſione agendum ſumſit de finibus ipſoque nihilo. Hujus genuinam faciem tunc ait expreſſam ſiſti in mente, quando plane non cogitamus. Si vero reflexione mentis atten-

attenditmus, nos antea non cogitasse, anniti nos, ipsum τὸ non-cogitasse nobis velut objectum quoddam sistere. Id vero cum re ipsa nullum sit; ne plane gratis etiam hac vice cogitare videamur, nihilum illud quodam velut pallio a nobis cingi, ut genuini objecti speciem commodius mentiatur.

Et quoniam a pueritia rebus corporeis adsueti sumus, prima corporum proprietate, extensione nempe a corporibus abstracta, nihilum a nobis vestiri; aut eam ipsam loco nihili infiniti concipi, atque ita spatium, Ubicativum dictum, extra mentem fingi. Utut vero spatium hoc de se nihil sit, æque ac spatium temporis, quod a condito mundo elapsum, aut adhuc futurum concipimus, nihil est; quia tamen hac sua extensione corpus subtilissimum de se indefinitum, sine termino extremo quaquaversum undique diffusum & expansum refert; vel ipsi *Cartesio* imposuisse, ut crederet reale corpus esse. Quando porro Ens quoddam certam hujus spatii partem occupare deprehendimus; limites, quibus spatium Ens illud proxime ambit, fines ejus dici: qui proinde a nihilo reipsa non sunt distincti. Cumque corpus quoddam in infinitum dividendo, singulæ partes, quæ vel mente possunt concipi, similiter meris jungantur finibus, adeo ut fine uno mente velut abraso, mox prodeat alter; hoc ipso patere rem ejusmodi finitam nudis finibus constare, ac proinde de se nihil esse. Ut vero illud quod de proprio suo nihil est, aliquid valeat, id unice deberi VALORI positivo, aliunde ipsi imputato atque velut impresso. Cæteroquin tamen Autorem eum qui nihilo plus imputare potest, eundem nihilo & minus imputare posse: & qui id quod ponit loco nihili, plus nihilo valere imperare potest; eum & quippiam valere minus nihilo jubere posse, si quis ab eo dependens id committere conetur.

Valore autem hoc positivo substantiam rerum finitarum absolvi. Testari siquidem fines, Entia finita nequaquam pro se stare & durare, si non sustineantur aliunde; adeoque non esse aliquid per se subsistens absolute: sed sicut finitæ rationis nostræ Entia, non a se ipsis extant, sed a nobis præter ea existentibus, & ineffabili prærogativa plus valentibus, dum loco nihili aliquid cogitamus, statuuntur, nec nisi continuata cogitatione nostra sustinentur: Ita quoque Entia realia finita pendere atque statui ab Autore aliquo, qui est præter Mun-

dum, &(propter Entium finitorum infinitam varietatem & copiam, immenſam item præſtantiam præ noſtræ rationis Entibus) infinita eminentia intelligens & volens, loco nihili de Entibus finitis cogitat, & jubet ut ex illis quædam actu ſint & valeant id inter ſe, quod experimur.

Inde vero prono alveo fluit, quod, ſicut tota ſubſtantia rerum pendet unice a juſſu Entis illius infiniti, nempe Dei; ita quoque Exiſtentia earundem, in momenta ſingula reſtaurationis indiga, ab eo proveniat. Nempe fluxa eſt quarumcunque rerum finitarum adeoque totius Mundi exiſtentia, numerumque conſtituit unitatum ſeu momentorum ſe mutuo continua ſerie & ſine ullo hiatu inſequentium. Exiſtentiam enim præteritam mox excipit præſens, hancque ullo absque interſtitio futura. Ut adeo numerus hic unitatum ſit non diſperſarum aut diſſitarum, ſed continuarum; quæ omnes ſimul ſumtæ menti totum quoddam ſeu tractum repræſentant a præterito in futurum protenſum: licet quoad rem non niſi unicum ejus momentum, præſens nempe, aliquid ſit; réliquæ autem vel jam in nihilum abierint, vel ex nihilo demum ſint prodituræ.

Multitudinem autem tanti numeri nequaquam ipſi eſſentiæ ſeu formæ mundi imputari poſſe: quaſi ſcilicet tot diverſæ mundo competant, una poſt alteram, quot Exiſtentiæ diverſæ ipſi mundo ſucceſſive imponuntur. Sed manente ſemper eadem mundi Eſſentia atque forma, mundum eundem toties permutare ſuas exiſtentias, ut una tantum ſemper ſalva ſit, præteritis prætermiſſis. Licet enim Eſſentia mundi cum qualibet poſitione ejusdem indivulſo nexu ſit conjuncta; adeo ut quævis unitas præſentiæ totius mundi ipſam etiam eſſentiam præſentem ſecum vehat, quæ prætereuntem æque ac ſequentem comitetur: quia tamen formæ & eſſentiæ, qualitates item & affectiones rerum finitarum non dicuntur aliæ diverſæ, niſi ſint oppoſitæ, h. e. alius ſpeciei; eandem tam diu manere eſſentiam, donec alia qua ſpeciem, h. e. oppoſita, reddatur pro priore in poſitione ea, quæ prioris vice fungi debet. Atque hoc uſque adeo verum eſſe, ut, etiamſi inter eſſe prius & poſterius magnus hiatus, magnaque mora intercedat, qua ſubjectum ſingulare, antequam id ipſum denuo ſe ſiſtat, ſub eadem forma interim corruptum & in elementa ſua reſolutum ſit; tamen eadem cenſeatur

eſſentia

Digitized by Google

eſſentia & forma, modo ſimilis per omnia momentis omnibus ſubjecto illi ſingulari inſit: id quod homini poſt mortem in altera vita eventurum novimus.

Cæterum fluxam hanc totius mundi exiſtentiam, ſeu eſſe, cum non-eſſe temperatum, *Tempus* dici: quod ideo a Veteribus definitum, quod ſit numerus motus ipſius eſſe ſecundū prius & poſterius. Ut proinde tempus ſit fundamentalis & ſubſtantialis Motus rerum finitarum indifferenter omnibus Entibus communis; cui motus reliqui, quales ſunt Generatio, Augmentatio, Alteratio, Latio &c. non niſi aliquem ſitualem addant reſpectum, ſive ad intra ſive ad extra. Ubi imprimis mirandum ſit, quod omnis vis agendi cujuscunque rei per hancce ſitualem mutationem tanquam per activum medium exerceatur; cum tamen omnis motus nihil aliud ſit quam Status ſive Situs mutatio, in qua equidem Status prior & poſterior aliquid ſint, ipſa autem, quæ utrisque intercedere dicitur, mutatio & actus neceſſario nihil ſit; eo quod nihil iſtis ſtatibus intercedat, quo ambo ſe immediate contingant. Inde ergo manare Corollarium iſtud univerſale: *Vim agendi naturalem non eſſe rerum hujus mundi, ſed ſolius Dei, mero juſſu, nihili tamen ſub charactere efficacis.* Nempe noſtri reſpectu Deum non agere ſine medio ſeu charactere, niſi extra ordinem. Ordinarie autem Deum in ipſis rebus ordinaſſe certos characteres ſuæ Efficaciæ, ex quibus ut ex certis mediis & rationibus cauſalibus, quid circa talia acturus ſit, cognoſcere, & decernendo noſtras actiones illis conformare poſſimus. Eum enim in finem Deum non ſolum rationes illorum characterum nobis clariſſime expreſiſſe, ſed & ſevere injunxiſſe, ne Dei modo agendi ordinario abutamur. Quicquid enim executive vult homo, qui omnino plena gaudet volendi libertate, id præſtare ipſum Deum, modo homo voluerit ſecundum procedendi modum ordinarium, quo Deus penes ſe conſtituit uti. Et hoc ipſo fieri, ut effective hominem egiſſe id, quod ſponte executus eſt, exiſtimari jure poſſit, imo debeat. Quod ſi autem abutatur homo proceſſu ordinario adverſus voluntatem Dei ſibi notam, ipſum peccare: licet Deus actus naturales, (quibus totus nititur mundus) ut hoc præcaveretur non inhibeat, aut homini vires ſubtrahat. Hoc enim ſi præſtaret, eo ipſo hominem non-hominem, i. e. activam

Creaturam non activam facturum esse, id quod foret contra Dei intentionem.

Sect. II, agit de modo quantitatem cognoscendi & ad usum applicandi, uno verbo, de *Æstimatione*. Huic Præliminarium nomine totam præmittit Logicam, paucis incluſam lineis. Siquidem cum alias doctrina Syllogismorum propter tot cautiones & regulas, circa Figuras Modosque observandas, reductionem item Syllogismorum ad primam Figuram, reddat Logicam prolixiorem; eleganti monstrat compendio (quod *Logometron* vocat) quomodo Præmissis vix dum recitatis, debitam conclusionem illico ad oculum demonstrative exhibere possimus, hoc modo: literas initiales nominis & verbi, extremorum & communis, (sive medii) dum recitantur scribe ita, ut coincidant aut discoincidant, ceu dicta volunt (plene nempe si dicatur *omnis*; semiplene si dicatur *quoddam*) & patebit justa quantitas coincidentiæ aut discoincidentiæ, intuitu scripturæ literarum pro conclusione debita. Cujus quidem Canonis sensus ex adjuncto Schematismo clarius patebit. Refert autem Logicam universam inter præliminaria æstimationis, quod non artem æstimandi sed prædicandi tradat. Siquidem omnis æstimatio etiam simplicissima requirit comparationem inter plura. Contra vero tertiam quoque mentis operationem Logicam, quam Syllogismum vocant, circa id solum occupari, quomodo unum idemque tribus efferatur propositionibus, constare cuivis vel ex ipso ejus fundamento, quod *dictum de omni* appellamus, cujus hic est tenor: quicquid dicitur de omni (distributive nempe, adeoque de quovis,) dicitur de quovis contento sub eodem. Insuper in æstimatione nobis scientiam singularium numerando, mensurando, computando, & proportionem eorum evolvendo, acquirere nitimur, ad quæ logica se non extendit.

Additamenti loco doctrinæ de æstimatione subjicit Catalogum suarum Inventionum novarum, quarum numerus ad quinquaginta ascendit. Primam præcipuamque earum plenius expositam, quæ est demonstratio Mathematica, quavis Euclidea fortior, esse Deum, mundi conditorem & rectorem, ipsi huic Tractatui inseruit. Cumque illa fundamentum sit plerorumque omnium, in quibus Nobilissimus Autora placitis aliorum discedit, malumus Lectorem ad ipsum ablegare librum, quam eam verbis truncatis proferre. Reliquarum:

Digitized by Google

quarum Inventionum aliquæ ab ipſo jam alibi prolixius ſunt deſcriptæ, cæteræque ſuo prodibunt tempore. Iſtud proinde hic ſolum indicandum duximus: *Globos perpetuos*, quorum correctioni Autor noſter per 30 annos inſudavit, tandem penitus eſſe elaboratos, atque ex metallo ſolidiore confectos. Concernit autem correctio non ſolum circulos, in quibus cautum, ne per variatam ſtellarum fixarum longitudinem, ullus error in globos irrepere queat: ſed & ipſos Aſteriſmos. Siquidem tractus ſtellarum, quos hucusque certis imaginibus, obſcœnis aliquando ſatisque monſtroſis exhibuerunt, retento equidem nomine antiquo, ductibus Geometricis Chinenſium more inclusit; tandemque ornatus gratia, Cœlum univerſum Inſignibus Principum Europæorum texit: ceu hæc fuſius in peculiari tractatu, qui his ipſis Nundinis publicam aſpexit lucem, exponuntur.

Pars ſpecialis, quantum ejus hoc volumine prodit, complectitur, *Pantometriam*, *Archimetriam*, *Archilogiſticam* atque *Phoronomiam*. Priores duæ diſciplinæ conveniunt cum Arithmetica & Geometria: quarum tamen nomina ſibi immutanda putavit, quod duæ hæ ſcientiæ ſimul ſumtæ rationes Elementares, quas vocat, hujus univerſi conſiderent. In Arithmetica enim tractari valorem rebus a Deo impreſſum, a quo habeant, quod in claſſem Entium poſſint referri: cumque is rebus finitis omnibus ſit communis, materiale earum abſolvere. Collineationes autem & directiones ad certos ſcopos finesque, in quibus formæ rerum conſiſtant, objectum Geometriæ ſeu Archimetriæ conſtituere; quæ proinde per inſignem errorem habeatur pro ſcientia extenſionum.

Archilogiſtica tradit Artem inveniendi veritatem. Statim hinc a limine procul arcet Logicam cum ſuis locis Topicis atque Syllogiſmo: utpote qui nihil in ſe contineat, quam repetitionem trinam unius ejusdemque aſſertionis, adeoque ineptus ſit non ſolum ad veritatem inveniendam, ſed etiam ad inventam aliis demonſtrandam; ceu prolixe probatum ivit. Inde expendit, quousque in hac arte ſimus progreſſi, quantumque adhuc deſit. Nempe in numeris, iisque problematibus Geometricis, ubi addendo, ſubtrahendo, dividendo ac multiplicando totum negotium conficitur, artem veritatem inveniendi per Arithmeticam atque Algebram ad ſummum faſtigium eſſe evectam. Ubi vero extra hos caſus in moralibus, civilibus, natura-

libus, ipſaque Matheſi, (vulgo ſic dicta,) præſertim mixta, aliqua veritas ſit invenienda, nos ad hanc usque diem omni regularum atque compendiorum ope deſtitutos, unice naturale judicium eſſe ſecutos. Quanto autem hoc cum damno jacturaque temporis ſit conjunctum, quotidianam clamare experientiam. Neque tamen eſſe, cur deſpondeamus animum: ſed ſicut olim etiam in numeris & copia determinanda caruimus regulis, quæ hodie in tanta proſtant copia; ita nullum eſſe dubium, quin etiam pro formis computandis artificiales regulas ſimus impetraturi a Divina Sapientia, ſi æque hic ac illic eam indefeſſis meditationibus ſollicitabimus. Spem vero tanto majorem eſſe; quod probabile ſit ſapientiores veterum hanc artem jam calluiſſe, ſed ſtudioſe texiſſe. Quod ſi autem Algebram, ſeu primam Analyſeos ſpeciem, itidem deperditam, protraliere in lucem & ad ſummum culmen perducere potuimus: nihil ſubeſſe cauſæ, cur non ſimilia nobis de altera hac Analyſeos ſpecie polliceamur. Socias autem hic requiri operas.

Quem in finem noſter omnes provocat doctos, ut in cauſa hac communi, quæ maximi ſit momenti, ſuas conferant ſymbolas. Debetur interim celeberrimo Autori noſtro hæc gloria, quod non ſolum primus ſit auſus hanc doctrinam ad certa revocare capita & genuina ejus ponere fundamenta: ſed &, donec prodeat aliqua regularum copia, interim per exempla plura, eundo nempe per primum *Euclidis* librum, monſtrare fuerit conatus, quo modo in hac veritatis inveſtigatione ſit procedendum.

Phoronomiam Noſter penitus ſuperſtruxit demonſtrationi Dei: ut ita non ſolum viam præiret aliis, quo pacto ſolida Philoſophia naturalis queat confici, ſed & oſtenderet, hoc modo difficultates, quæ alios hac in cauſa premunt & ad præcipitia ducunt, facile evitari.

AD JOHANNEM FECHTIVM, JOH. CHRISTOphori VVagenſeilii diſſertatio epiſtolica.

Altdorfi Noricorum, typis Joh. Henr. Schœnerſtædt 1693. in 4.
Conſtat plagulis 18.

Toto

Digitized by Google

TOto paſſim literario orbe innotuit paradoxum celeberrimi Polyhiſtoris promiſſum de vulgando *infundibulo Norimbergenſi*, aut, (ut nunc, illuſtris Magliabechii ſuaſu, vocare mavult,) *Minervæ*, cujus ope in cujusque ſexus, ætatis, qualitatis & conditionis homines, ſine moleſtia ac jucundiſſime, aliquam divinarum & humanarum rerum peritiam transfundi poſſe confidit. De infundibuli hujus occaſione, conſilio & inſtituto, doctiſſimus auctor differit equidem in hac epiſtola, ad *Joannem Fechtium*, Virum & Theologum celebratiſſimum, Conſiſtorii Ducalis Mecklenburgici Adſeſſorem, diſtrictus Roſtochienſis Superintendentem & in alma Roſtochienſi Academia Publicum Profeſſorem, Altdorfii m. Febr. 1693 data. At nolumus ea fuſius repetere, cum nec dum ſatis clare mentem ſuam explicaverit, adeoque expectandum omnino ſit, donec inventum, in quo elaborando jam totus occupatur, ad umbilicum perduxerit; ſicque univerſas inventi ſui rationes myſteriaque dilucide pandat publicique juris faciat.

Proximo loco vindicatur *Hydraſpis* contra clariſſ. W. E. *Tenzelium*, auctorem colloquiorum menſtruorum vernaculorum, quæ Lipſiæ m. Apr. A. 1691 edita ſunt, negaturque, quod homo, qui Viennæ in Danubio Hydraſpide ſe armavit, violentiæ undarum pene ſuccubuerit; & provocatur ad Excellentiſſimum *Abensbergium* & *Traunium Comitem*, Sacri Conſilii Cæſarei conſortem, & Auſtriæ inferioris ſupremum Mareſchallum, aliosque, qui experimento illi Viennenſi præſentes affuerint. p. 20. Additur, machinam expectationi Reverendiſſ. & Celſiſſ. Principis, *Patavienſis Epiſcopi*, cum in Danubii loco, qui ob Oeni & Iliſſi amnium, vectigales ſuas aquas hinc & hinc exonerantium impetum, pro Scylla aut Charybdi haberi poſſit, exploraret, ex alle ſatisfeciſſe. p. 21. Feciſſe amplius in Tigurino lacu Hydraſpidis periculum Virum ampliſſimum *Petrum Valkenierium*, ut & Witebergæ V. Cl. *Martinum Knorrium* Mathematum Profeſſorem, in collegio curioſo; adeo ut horum auctoritas ora obſtruere poſſit illis, quibus doctiſſimus *Dialogiſta* opinionem de infelicitate tentaminis Viennenſis inacceptis referat. p. 22.

Cæterum *Tenzelius* noſſe deſiderarat, quantæ eſſe debeant hydraſpidis dimenſiones. Reſpondet *Wagenſeilius*, ſive paulo minor illa fiat, ſive paulo major, nihil referre; menſuram tamen præter- p. 23.

propter

propter eam esse, ut semidiameter hominis, qui illa usurus sit, brachii longitudinem manu tenus adæquet: altitudinem eam convenire, ut lumbis incumbens, brachiis liberum motum relinquat, nec respirationem impediat. Cumque in unoquoque homine inter mentum & verenda trium spithamarum, (quales quisque manu sua describat,) deprehendatur intervallum, unius spithamæ altitudinem Hydraspidi sufficere. Proinde latitudinis ad altitudinem triplam quasi esse proportionem, a latitudine vero nihil differre longitudinem, quippe in circuli area. Nec ultra asserem unum pineum, si longus latusque sit, ad Hydraspidem construendam requiri. Negarat *Dialogorum auctor*, intellectu se assequi, quomodo tueri hominem queat hydraspis, si fluctus illum modo in cœlum, modo in barathrum projectent, & unus post alium obruat. Regerit *Noster*: Naufragis sæpe ad salutem profuit aut parva tabula laceræ ratis, aut mali fragmen, fortuito oblata; quantò magis hydraspis, hominem a suffocatione immunem præstans, citra manuum, pedum & oris lassitudinem. Objecerat alter, neminem diu sub aquis absque respiratione durare posse, nisi *foramen* ejus *ovale* adhuc sit apertum, sanguisque per eosdem *canaliculos arterioſos* feratur, per quos fluxit, cum embryo esset; quo fine piscatores margaritarii liberos suos a teneris unguiculis, sub aquis agere ac manere, adsuefaciant, sine quo usu & *foramen* illud & *canaliculi* prorsus claudantur, adeo ut homo extorna respiratione ad vitam non possit non indigere. *Wagenseilius* objectionem elidit, alia observatione, quod nempe tempestas multa doceat hominem & facere & pati, ad quæ alioquin facienda aut patienda impar foret. Sic D. Paulum sociosque, *Act. XXVII.* diebus quatuordecim jejunos permansisse, cum ultra septem dies inedia sit lethalis, juxta *Hippocratem* & *Macrobium*. Inficiatur paritatem margaritarii & naufragi. Illum enim per longum temporis spatium in fundo maris oberrare, manusque & pedes totumque adeo corpus impeditum habere: at Hydraspide armatum haud unquam fere sub aquis agere, sed superficiei innatare, fluctibusque obsecundare, sive hi summa petant, sive in ima prolabantur. Licet etiam quandoque undis tegatur, mox tamen emergere, ac manibus, quas liberas habeat, nares, aures & os sibi obturare posse, ne aquæ per illas rimas in corpus influant. Verum enim vero sollicitus fuerat *colloquiorum*

p. 30.

p. 31.

p. 37.

p. 43.

Condi-

Digitized by Google

Conditor, ne hydraſpis nulli uſui eſſet naufrago, cum a *carchariis* vivus deglutiri poſſet. Hunc itaque bono animo eſſe jubet *Wagenſeilius*, eo quod pleraque Europæ æquora ſulcaverit, neque ſibi tamen carcharias canis vel cetus viſus ſit, neque fando acceperit, aliis, poſt hominum memoriam, ab his monſtris fuiſſe aliquod periculum.

Quod ſupereſt, vellicaverant ſæpius aurem *Wagenſeilio* viri eruditi, ut promiſſi memor, *Apologiam pro Judais* in lucem emitteret, doceretque, quod *Judæi Chriſtiano ſanguine myſteria nulla faciant*. Affert ergo *ichnographiam* operis illius ſui, *JUDICIUM SANGUINIS* inſcribendi. p. 70. p. 73.

In hujus *exordio* ipſemet probabit exemplis, Judæos Chriſtiani ſanguinis eſſe appetentiſſimos, quemadmodum olim a Choſroë (teſte Zonara) nonaginta millia captivorum Chriſtianorum redemerint, ut haberent, quos propria manu trucidarent. Inter cauſas cædium ejusmodi, primariam eſſe monſtrabit *Judicium Zeli* adverſus Dei, quos putant, hoſtes, quod ſibi licitum eſſe perſuaſi ſint. Pernegabit autem, quod eas commiſerint, ut ſanguinem exciperent reponerentque, medicinæ myſteriorumve cauſſa. *Viginti quinque* rationibus victum id ibit, e quibus *quatuor* jam adduxit, aliis intactis. Ex hac redeunt. *Principio*, Martyris ſui ſanguinem non colligunt Judæi, tametſi memoriam ejus ſacroſanctam habent; quantominus Chriſtiani, cujus vel vivi contactu aut ſaliva ſe pollui exiſtimant? *Porro*, (Maimonide in More Nev. P.III. c.46. teſte,) præceptum de non fruendo ſanguine, eorum opinione, æquipollet iſti, quo filium Molocho offerre vetatur. *Tertio*, cum Judas, Chriſti proditor, triginta argenteos ſacrum munus facere vellet, noluere Sacerdotes & [redacted], (h. e. Synedrii in templo congregati adſeſſores,) pecuniæ in [redacted]locum concedere, eo quod eſſet τιμὴ αἵματος *pretium ſanguinis*. Nullam enim e re illicita acquiſitam pecuniam in Corbonam deponi potuiſſe, ex *Sanhedrin* fol. 112. b. liquet. Licet vero in uſus ſacros & pios proprie tales impendere fas non eſſet, in id tamen impendi debebat, quod *pluribus* eſſet *profuturum*, ut e.c. fontes, putei, ciſternæ extruerentur, juxta traditionem ex Maſſ. *Bezæ* f. 29.a. excerptam. Pari ratione argenteis illis comparatus eſt ager figuli in ſepulturam τῶν ξένων, *peregrinorum*, (a politia nempe Iſraelis & a teſtamentis, *Epheſ. II, 12.*) h. e. gentilium & proſelytorum domicilii, quo- p. 76. p. 77.

lii, quorum numerus ſub Herodibus valde auctus fuerat. Ex hactenus dictis argumentum Wagenſeilio enaſcitur: *a pretio ſanguinis cadisque abhorrebant Judæi, & nos credemus, illos ipſum ſanguinem innocenter occiſi hominis in ſuos uſus ſecum conditum habere? Quartum* eſt: Judæos Chriſtiana ſacra, præ ſuis, magis ad ſalutem corporis animæque conducere agnituros, ſi Chriſtiano ſanguine tantopere ſe egere cenſerent. Hoc ergo falſum eſſe, quid illud non fiat. Accedere, quod ſoli *occidentales*, non *orientales*, apud quos itidem frequentes exiſtant Judæi, hanc illis dicam impingant.

p. 83. His præmiſſis, prolixe explodet graviſſimus Auctor omnes illos uſus, in quos Judæis adhiberi fertur ſanguis Chriſtianus. Probabit igitur, non uti eos cruore tali 1) ad *philtrum*, quale quidem ex *proprio*, non ex *inimici ſanguine* conficere quis poſſit. Nec 2) ad *ſiſtendum circumciſi ſanguinem*, quo potius faciat ligni putridi, carioſi ac a vermibus eroſi pulvis, quem lippiens forſan e longinquo ſpectator ſanguinem Chriſtianum, ex ſiccitate in pulviſculos redactum, crediderit. Nec 3) ad *nuptialem benedictionem*, ubi quidem, juxta Maimonidem, nonnulli נהגו להביא הדס עם היין *ſolent cum vino adferre myrtum*, ſed pro qua facile legere aliquis potuit הדם *ſanguinem*. Nec 4.) ad *benedictionem* populi *ſacerdotalem* in ſynagoga, aut 5) ad *ſacrificia*, qualia ſane nulla poſt exciſum templum in uſu ſunt. Nec 6) ad puerperii dolores mitigandos, qua de re Samueli Friderico *Brenzio* ſatis reſponderit Salman *Zebbi*; nec 7) ad *amuleta*, de quibus, in gratiam ſupra laudati Tenzelii, peculiarem digreſſionem *Wagenſeilius* inſtituit. Invaluit denique apud multos eosque eruditos opinio, Judæos Chriſtiano ſanguine linteolum imbuere, eoque contegere tribulis ſui animam agentis vultum, ac in aures [illegible] verba acclamare: *Si Jeſus eſt verus Meſſias, ſanguis hujus [illegible], qui in Servatorem ſuum credens mortuus eſt, conducat tibi ad vitam*

p. 88. *æternam.* Wagenſeilius ex adverſo oſtendit, ſolere quidem Judæos morti propinquum ad confeſſionem peccatorum coram Deo adhortari, & preces nonnullas eidem præire; at tantum abeſſe, ut de Meſſia, qui jam venit, præclare tum ſentiant, ut potius in precatione, cujus initium יגדל אלהים חי quamque tunc maxime in memoriam ei revocant, alium ſe Meſſiam expectare profiteantur: ישלח לקץ ימין משיחנו לפרות מחכי קץ ישועתו *Mittet*

(Deus)

(Deus) *in fine dierum Meſſiam noſtrum ad redimendum eos, qui fatalem horam ſalutis ejus expectant.* Adducit etiam verba extremæ precandi formulæ: ואם אומה תהא מיתתי כפרה על כל חטאים ועונות ופשעים שחטאתי ושעויתי ושפשעתי לפניך *Quod ſi mori me convenit, eſto mors mea expiatio omnium peccatorum, delictorum & iniquitatum, quas coram te commiſi, peccavi & deliqui.* Ubi non in morte pueri Chriſtiani, ſed propria, ſolatium aut præſidium deſperabundus quærit. Hæc forte audiens vel legens quidam Chriſtianus pro מיתתי ſubſtituit מיתתו *mors ejus*, & *mortem* intellexit *puelli Chriſtiani* martyris, eo quod non crederet, quenquam in propria morte, tanquam peccati ſtipendio, fiduciam collocaturum. At quod ita ſe iſtius orationis verba habeant, evincit Noſter non auctoritate tantum librorum precum Judaicarum, aut Buxtorfii avi & Hoornbeckii, ſed vel maxime Chriſtiani *Gerſonis*, hominis fide digniſſimi, imo & dogmate Talmudico ex *Joma* f. 86. a. Præterea ex Maſſ. *Moëd Katon* f. 28. a. confirmat, quod Judæi credant, hominum juſtorum ac pietate præſtantium, (quales Aharon & Mirjam,) obitum expiare & ipſorum & totius populi peccata. Negat autem, quod tale quid ſibi polliceantur de morte hominis extranei ac infidelis.

Progredietur deinceps in opere deſideratiſſimo celeberrimus Auctor ad diplomata Petri *Mocenigi*, Ducis Veneti, *Gregorii IX.* & *Innocentii IV.* itemque *Bonæ* & *Joannis Galeatii Sfortiæ*, Ducum Mediolanenſium, quæ jam extant apud *Iſaacum Vivam* Judæum in Vindice ſanguinis, quem clariſſimus quoque *Wulferus* Theriacæ Judaicæ annexuit. Itemque reſcriptum *Ferdinandi III.* Imp. datum *Pragæ* d. 23. Jun. 1638. & aliud, (quod omnium maxime notatu dignum & ad quod ſequentes Auguſti Imperatores provocare ſolent,) *Friderici III.* Imp. datum *Volckmarck*, feria 6. ante Joh. Bapt. A.C. 1470, itemque recentiſſimum Sereniſſ. *Comitis Palatini*, datum *Solisbaci* 16. Jul. 1692. In his enim univerſis Judæi immunes declarantur a crimine vulgo iis objecto, ac ſi infantes Chriſtianorum in contumeliam Chriſti ſuumve commodum interficere ſoleant. p. 100.

Origines hujus criminationis inde repetet, quod Judæi internecino Chriſtianorum odio nunquam non flagrantes, opprobriis paronomaſticis eorum religionem proſciderint. Exempla in vulgus p. 107.

nota ſunt. Sic quum primi a Judaiſmo converſi Chriſtiani noſ-
p. 107 diſſimularent, in myſteriis ſuis ſe cum primis habere לחמא וחמרא *panem & vinum*, Judæos hæc, leviſſima immutatione, depravaſſe in לחיא דחמרא, *maxillam aſini* (ſive *συνεκδοχικῶς*, *caput aſini*,) ac Chriſtianis *capitis aſinini cultum* objectaſſe, quale quid & *Cæcilius* facit apud *Minutium Felicem*. Porro quia de Chriſtianis id quoque innotuerit, quod credant, ſe una, cum panis & vini ſymbolis, frui carne & ſanguine Jeſu נוצרי *Nozri* (Nazareni), Judæos inde per luſum finxiſſe נוכרי *Nochri*, quæ vox *veri Dei cultus exortem, alienigenam, profanum & Græcum hominem* ſignificat. Ita enim tunc omnes non-Judæos *Græcorum* nomine indigitatos, ut patet ex *Rom. I, 16. II, 9. III, 9. X. 12. Gal. III, 28*. Hinc Gentiles *Thyeſtearum epularum* calumniam Chriſtianis impegiſſe. Ulterius, perpetuo Gentiles Judæorum nomine Chriſtianos, & vice verſa, in ſcriptis ſuis appellaſſe, quod *Arriani* & *Suetonii* teſtimoniis *Lipſius* ad Tacitum probaverit. Hinc ergo factum, ut *Judæi*, Chriſtianorum loco, inſimularentur nefandorum
p. 110. ſacrorum, quaſi *caput aſini* adorarent, & *humano ſanguine*, myſteria facerent. Inde apud Suidam in Ἰουδαῖος, legi: *Democritus hiſtoricus περὶ Ἰουδαίων de JUDÆIS hæc dicit: Aſini caput adorabant & tertio quoque anno ξένον* (i. e. נוכרי) *PEREGRINUM capiebant & immolatum offerebant & minutatim carnes diſſecabant & ſic interficiebant*. Ac *Apionem*, teſte *Joſepho* lib. II. adverſus eum, Judæis objectaſſe, *comprehendere ipſos GRÆCUM PEREGRINUM, eumque annuo tempore ſaginare, & deductum ad quandam ſylvam occidere quidem eum hominem, ejusque corpus ſacrificare ſecundum ſuas ſolennitates, & guſtare ex ejus viſceribus, & jusjurandum facere in immolatione Græci, ut inimicitias contra Græcos haberent, & tunc in quandam foveam reliqua hominis pereuntis abjicere*. Chriſtianos ſequentium ætatum, (religione ſua toto orbe propagata,) riſiſſe gentilium calumnias, nec amplius de iis refellendis fuiſſe ſolicitos. Sed, poſtremis demum ſeculis, quosdam hæc talia legentes juxta literam interpretatos, fidem iis habuiſſe, & quum non probabile ſit, in Judæorum poteſtatem venire poſſe homines adultos, infanticidia iſthæc commentos eſſe illisque imputaſſe.

p 113. His conjecturis *Wagenſeilius* ſubjiciet diſſertationes de *ſtatu* Judæorum *per Europam*, ac *legibus*, quæ ſubinde de iis fuere promulgatæ,

gatæ, maxime A. 1267 in *Viennenſi* Concilio Provinciali; de more extorquendi *teſſeras luſorias tres* a Judæis, ut & *ſuſpendendi* Judæos, in trabe patibuli producta, *a pedibus*; de *notis*, quibus a Chriſtianis per Europam diſtinguuntur; de *morbis* Judæorum, itemque quomodo, (juxta magiſtros in Miſchna *Nidda*,) ex calore, colore, ſapore, forma, figura & lotione, *humanus ſanguis a pecuino*, aut a *pigmento*, poſſit diſcerni.

Cum epiſtolam hanc obſignaturus eſſet Wagenſeilius, delata p. 115-143.
ſunt ad eum, quæ menſe Januario hujusce anni adverſus eum ediderat ſupra dictus Colloquiorum menſtruorum doctiſſimus Auctor. His ſtricturas opponit, ibique ſententiam ſuam non recte repræſentatam eſſe, conqueritur. Statuere enim ſe, *in Miſchna nullas blaſphemias in Chriſtum legi*; tale quid de *Talmude*, h. e. Gemara, ſe nunquam dixiſſe. Non negare ſe, *infantes Chriſtianos a Judæis non raro* clanculum *interfectos*; id autem apud ſe extra dubium eſſe, quod tantum ex *odio, iracundia, ultionisque ſtudio*, non, quod ſanguine ad *myſteria* peragenda indigerent, id ipſum fecerint.

DN. GODOFREDI a LANCKISCH, HÆREDItarii in Neu Hörnitz/ *Medicinæ Doctoris & Phyſici Ordinarii civitatis Zittavienſis, Epiſtola ad —— —— de partu quodam Cæſareo notabili.*

CAſus, qui contigit de partu Cæſareo ſingularis, audaciorem me reddidit, ut hasce tuis oculis exponerem literas. Margaretha enim, Adami Scholzii, civis & fullonis hujus loci, conjux, anno 1690. menſe Julii primum puerpera graviter parturire cœpit, ut obſtetrices, licet cautiſſimæ, partum jam emortuum violenta manu extrahere cogerentur: hinc vagina uteri vulnerata, ac vicinæ partes urinariæ adeo dilaceratæ, ut eo ex tempore urinam retinere non valuerit miſera. Medicinam itaque quærit, ac conſilium adhibet quorundam circumforaneorum, qui non modo ſolutionem iſtam continui in vagina uteri non curarunt, ſed id etiam effecerunt, ut in medietate vaginæ craſſior membrana, ſive callus, totam cavitatem replens, ſit enatus, relicto foramine piſi magnitudinem & rotunditatem adæquante, ex quo menſtrua ordinarium retinuere fluxum. Quid? Anguſtus hic

nihilominus in uterum aditus novam imprægnationem haud impedivit: verum imminente partu illa incredibiles ſenſit dolores, ut maritus ac pater ejus vehementer a me remedium peterent; nec aliud, inveſtigatis & ponderatis probe circumſtantiis, in hoc caſu laudare potui, quam operationem Cæſaream, ab excellentiſſimis Medicis, Rouſſeto, Hildano, Sculteto aliisque jamdum commendatam, ac feliciter ſuſceptam; non remorante eo, quod *Paræus* l. 23. c. 3. *Rolfinc.* diſſ. anat. pag. 182. & *Franciſc. Mauriceau* de l'Accouchem. des femmes l. 2. c. 33. ſcribere auſi ſunt. Conſentiunt ægrota ac maritus; ſolus pater renuit, expectaturus immediatum Dei auxilium. Altero vero die, cum dolores magis magisque excreſcerent, parens quoque ſuum impertitus conſenſum, poſtquam ab obſtetricibus intellexerat, fœtum præterlapſa nocte obiiſſe, vitamque filiæ ipſius in maximo nunc eſſe periculo conſtitutam. Decimo igitur ſexto Martii die currentis anni, invocato Numine, præſcituque Magiſtratus Nobiliſſimi, Collegam Medicum, Doctorem *Kislingium*, duosque celebres hujus loci Chirurgos in conſilium atque auxilium traxi, ac conjunctis viribus tertia pomeridiana, præſentibus Confeſſionario, obſtetricibus, fœminisque quibusdam honeſtioribus, ſectionem ſum aggreſſus. Sciſſura in latere ſiniſtro, e regione umbilici, latitudine pollicis deducebatur usque in hypogaſtrii cavum, per ſex uncias pollicinares, ſeu quadrantem ulnæ, ut transfoſſo poſtmodum utero commode fœtum mortuum cum ſecundinis extrahere, manibusque obſtetricum offerre poſſemus. Quo feliciter, ac nullo vel ſymptomate, vel animi deliquio interveniente, peracto, purgatoque per decoctum jam præparatum vulnere, ſola ejus deligatio reſtabat, a Chirurgis caute peracta, ſingulisque diebus bis repetita, donec præſentiſſimam perfectæ reſtitutionis ſpem adeo nobis reliquit, ut non dubitemus fore, ut proximo Dominicæ Rogate die denuo, conſueto more, templum viſitare queat. Equidem urinæ incontinentia, ſuperius memorata, ob varios in vagina uteri calculos prognatos, & per ipſum vulnus noſtrum ſæpius egreſſos, non minimam dedit remoram; occurrere tamen huic malo non deſii, donec puerpera urinam per duas vel tres horas continere, ac pro lubitu emittere poſſet, unde longe commodior vulneris ſanatio eſt ſubſecuta. Plura ſcriberem, niſi prolixiorem in lucem forte proditu-

ram

ram narrationem efflagitarent Amici. Vale. Dabam Zittaviæ Luſatorum die 19. April. A. 1693.

MODVS, QVO PERAGITVR CIRCVLATIO SANguinis in fœtu : per Dn. MERRY. Excerptus ex Actis Soc. Reg. Pariſ. menſ. Mart. 1692.

VAſa cordis aliter perforata ſunt in fœtu adhuc dum in utero matris exiſtente, quam in eodem in mundum egreſſo. Ante partum reperitur in fœtu canalis communicationis inter truncum arteriæ pulmonalis & truncum aortæ deſcendentis ; & in cordis ingreſſu, prope baſin, conſpicitur foramen ovale, quod ex vena cava penetrat in venam pulmonalem. Verum nato infante canalis communicationis exſiccatur, & foramen ovale obſtruitur : ita ut, nulla amplius intercedente communicatione inter arteriam pulmonalem & inter aortam deſcendentem, neque inter venam cavam & venam pulmonalem, neceſſario oporteat ſanguinem, regrediendo ex venis in cor intrare ex vena cava in ventriculum dextrum cordis, & exinde in arteriam pulmonalem ; atque poſtquam per totos ſe diſperſerit pulmones, tranſire per venam pulmonalem in ſiniſtrum ventrieulum cordis, & ex hoc in truncum aortæ.

Ex aperturis his vaſorum cordis in fœtu, Anatomici duas elicuérunt conſequentias.

1. Concluſerunt, quod portio ſanguinis, qui ex ventriculo dextro cordis fœtus ſubit arteriam pulmonalem, ſe exoneret in truncum inferiorem aortæ mediante canali communicationis, ita ut per pulmones non circuleturid quod admodum veroſimile eſt. Via enim adeo directa & naturalis eſt per hunc canalem, ut merito credendum, ſanguinem nullam aliam eligere.

2. Judicarunt, quod in fœtu portio ſanguinis, qui reingreditur per venam cavam in cor*, ſe exponat per foramen ovale in venam pulmonalem, ac dehinc transmeet in ventriculum ſiniſtrum cordis, ſine tranſitione per dextrum ventriculum. Hæc autem opinio non adeo ſtabilita, ut altera, Dno. Merry videtur. Nulla enim ratio ſuadet, quod ſanguis loco continuandæ viæ directæ in vena cava, ab eadem deflectatur ad ingrediendum venam pulmonalem per foramen

men ovale. Contra probabile eſt, quod, cum vena pulmonalis ſiniſtra directe reſpondeat foramini ovali, portio quædam ſanguinis fluentis in hac vena determinetur per iſtam directionem ad penetrandum foramen ovale in venam cavam, & ex hac in ventriculum dextrum cordis, non obſtante valvula, quæ orificio foraminis ovalis eſt appoſita, quæ tamen introitum ſanguinis in venam cavam impedire nequit.

Opinionem hanc Dn. Merry confirmat curioſa quædam obſervatio, quam fecit in diſſectione teſtudinis marinæ.

Tres in corde hujus animalis animadvertit ventriculos, unum ad dextram, alterum ad ſiniſtram, & tertium in medio baſis cordis, ſed magis antrorſum, quam reliqui duo.

Ventriculus dexter cordis ſeparatur a ſiniſtro, mediante ſepto carnoſo & ſpongioſo, in cujus medio eſt foramen ovale, ſimile illi, quod in fœtu reperitur inter venam cavam & venam pulmonalem. Orificio hujus foraminis duæ appoſitæ ſunt valvulæ, quarum una dextrum ventriculum, altera ſiniſtrum reſpicit; verum nihil impediunt, quo minus iſti duo ventriculi communicationem habeant.

Ventriculus dexter inſuper communicat cum medio, ope alterius foraminis tertia parte pollicis lati. Recipit etiam venam cavam, & conſtituit principium aortæ & alterius cujusdam arteriæ, quæ vices ſubit canalis communicationis, qui reperitur in fœtu inter aortam deſcendentem & arteriam pulmonalem; ſed in teſtudine arteria hæc communicationis non niſi in ventre cum aorta recoaleſcit.

Ventriculus medius nullam prorſus recipit venam, & principium tantum facit arteriæ pulmonalis; contra vero ventriculus ſiniſter recipit venam pulmonalem, nulliusque arteriæ principium exiſtit.

Sic ventriculus ſiniſter cordis nulla arteria gaudet, quæ poſſit revehere ſanguinem, quem recipit ex vena pulmonali: & propterea neceſſe eſt, ut ſanguis advectus per hanc venam in ventriculum ſiniſtrum cordis pervadat foramen ovale in ventriculum dextrum, non obſtantibus duabus valvulis, quæ orificium foraminis cuſtodiunt.

Anſam igitur habemus credendi, quod in fœtu portio ſanguinis, qui venit in ventriculum ſiniſtrum cordis per venam pulmonalem, ſe etiam transferat per foramen ovale in venam cavam, nihil impe-

Digitized by Google

impediente valvula, quæ extat in introitu hujus foraminis, absque ut ingrediatur ventriculum ſiniſtrum. Quoniam etenim foramen ovale teſtudinis non differt a foramine fœtus niſi ratione ſitus, & quia directe reſpondet venæ pulmonali in utroque; magna probabilitas eſt, in fœtu & in teſtudine eundem obtinere uſum.

MYSTERIES IN RELIGION VINDICATED.

i. e.

MYSTERIA RELIGIONIS VINDICATA, SEU Filiatio, Deitas & Satisfactio Servatoris noſtri aſſerta a Luca Milbourne, Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

Londin. 1692. in 8. Alph. 2. plag. 5.

TRactatus hic erudito expoſitus orbi, & Epiſcopo Londinenſi inſcriptus, eſt commentatio in illud Pauli 1. Tim. 3, 16. ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Poſtquam enim vindicavit Author genuinam dicti hujus lectionem; quid ſit myſterium explicat, nec contra rationem eſſe, ſi in religione doceantur myſteria, affirmat, ac tum Judæorum, tum gentilium ritibus & ſacrificiis, quæ myſteriis ſive fictis ſive veris pleniſſima fuerunt, probat; imo eſſe de eſſentia religionis myſteria, nec parum reverentiæ ei conciliare ſtatuit. Chriſtum Filium eſſe Dei probat ex prædictionibus Prophetarum, nativitatis modo & circumſtantiis, doctrina, miraculis. Eſſe eum Patri æqualem, ex utroque Teſtamento, operibus ſeu miraculis tum ipſius, tum ab Apoſtolis in ejus nomine peractis, ex Patribus etiam Ante-Nicænis, adorationis denique cultu confirmat. Sic abunde Chriſti Deitatem adſtruens, ab Anti-Trinitariorum etiam ſubinde objectionibus atque cavillis vindicans concludit, neceſſarium fuiſſe, ut Filius Dei in carne manifeſtaretur, tum ad deſtruendum diaboli regnum, tum ad abrogandam Moſis legem ceremonialem, tum ad implendam moralem, atque ſic ad ſatisfaciendum Juſtitiæ Divinæ pro nobis.

SOLVTIO PROBLEMATIS CARTESIO PROpositi Dn. de Beaune, exhibita a Joh. Bernoulli Basileensi.

Vide Cartesium Epist. 79. tom. 3.

PRima mea hujus problematis solutio, quæ reperitur tecto nomine in Diario Gallico 34. anni elapsi, non minus quam Fratris, qui suam mihi tum temporis Parisiis commoranti transmiserat, supponit quadraturam spatii hyperbolici; id quod constructionem in praxi impossibilem reddit. Ex eo autem tempore præsentem hanc adinveni, quæ ope logarithmicæ vulgaris quam facillime peragitur, & propterea, ceu naturalior, priori longe anteferenda. Problema autem tale est: Invenire curvam AI, cujus applicata KI, sit ad subtan-



gentem KM, ut linea data N, ad portionem applicatæ IL interceptam inter curvam AI & rectam AL, angulum semirectum facientem cum axe AK.

Solutio: Ad asymptoton AB perpendicularem ad AK construatur logarithmica vulgaris DC, cujus subtangens AF sit æqualis lineæ datæ N: a puncto quolibet logarithmicæ C ducantur CI parallela axi AK, & CG ad eundem perpendicularis secans tangentem logarithmicæ DF in puncto H; sumtaque BI æquali ipsi CH; dico punctum I esse ad curvam quæsitam AI.

Cæterum ducta per F parallela ipsi AL est asymptotos curvæ AI, spatium curvilineum AIB æquatur semiquadrato applicatæ KI demto rectan-

rectangulo ſub data N & abſciſſa AK. Curva autem ipſa AI eſt ex earum numero, quarum rectificationes quidem in abſtracto non habentur, longitudines tamen per ipſasmet curvas conſtrui & determinari poſſunt, quod Nob. Dn. Hugenius præſtitit in nova ſua Logarithmica, & ego jam olim in Logarithmica vulgari. Interim hasce tres curvas non ſolas, ſed infinitas alias dari poſſe, reperio, quæ prædictam proprietatem habeant, id eſt, quarum rectificationes, ut & ipſorum ſpatiorum quadraturæ, quæ alias in potentia non ſunt, per ipſarum curvarum naturam in lineis rectis & ſpatiis rectilineis determinari queant.

Problema ab Eruditis ſolvendum:



Quæritur, qualis ſit curva ABC, quæ hanc habet proprietatem, ut, ducta ubicunque tangente BD terminata ab axe AE, portio ejus abſciſſa AD ſit ad tangentem BD in ratione conſtante M ad N.

Problema hoc ſolutu dignum eſt, & facile Mathematicorum applicationem meretur. In quacunque enim ratione ſit M ad N, curva ABC ſemper eadem facilitate motu quodam continuo deſcribi poteſt, non obſtante, quod curva pro ratione M ad N magis vel minus compoſita evadat; in caſu quippe rationis æqualitatis illico patet, curvam ABC eſſe circulum: in reliquis ſi M ad N eſt ut numerus ad numerum, erit quidem curva geometrica, ſecus autem tranſcendentalis eſt. Quæritur generalis determinatio puncti in curva.

DELLA BIBLIOTHECA VOLANTE DI GIOvanni Cinelli Calvoli, Patrizio Fiorentino, Academico Gelato, Diſſonante, e Concorde, Scanzia ſettima & ottava.

i. e.

BIBLIOTHECÆ VOLANTIS JOANNIS Cinelli Calvoli, &c. Series ſeptima & octava.

Parmæ apud H. & F. Roſatos, 1692. in 8. Conſtant plag. 19.

DE toto JOHANNIS CINELLII, Viri Clariſſimi, inſtituto plura expoſuimus in Actis anni 1689. p. 345. ſic ut opus non ſit, dicta ibi hoc loco repetere. Eodem enim, quo *ſexta*, modo, etiam hæ duæ Sectiones ſunt conſignatæ, quas illuſtris *Magliabechii* beneficio debemus, pauca ex iis, pro inſtituti ratione delibaturi.

p. 2. & 3. Serie *ſeptimæ* verum autorem libri de Magiſtratibus Romanis, qui ſub L. *Feneſtellæ* nomine editus non ſemel fuit, nuncupat *Andream Dominicum Flocciunt* (Fiocci) *Florentinum*, hoc titulo primum editi abs *Egidio Witſio* Brugenſi, Antvverp. 1561. in 8; ubi ſimul *Cinellius* ad Scriptores ſuos Florentinos, & ea, quæ ibi circa iſthunc autorem dicta fuerunt, ablegat. Meminit porro Antonii Colmeneri de Ledeſma Medici Hiſpani, A. 1631. Madriti editum Hiſpanica lingua de *Chocolata Indica* Tractatum, a *Renato Moreau* Doctore Pariſ. A. 1643. Gallice, & A. 1644. a Marco Aurelio Severino Prof. Neopolit. Medico Latine verſum editumque fuiſſe. p. 8.

p. 17. Indicantur porro *Anacreontis* Poemata a Bartholomæo Corſini Pariſiis verſu Tuſcano A. 1672. in 12. reddita.

p. 18. Bartholomæi *Torrini* ad Franciſcum Felinum Anacriſis in ejusdem paradoxum de ſectione ſaphenæ in ſuppreſſione menſtruorum; Auguſtæ Taurin. 1661. in 12.

p. 19. 20. Dum Camilli *Quermi* Monopolitani, cognomento *Archipoëta*, duos de Bello Neapolitano libros, Venet. 1605. in 12. evulgatos allegat *Cinellius*, id ſimul refert, quod, cum aliquando ad Leonis X. Pontif. Max. pedes ſe proſterneret, rogatus ab ipſo, quis eſſet, confeſtim reſponderit:

Archipoëta facit verſus pro mille Poëtis;

Pontifice ſtatim hunc pentametrum addente:

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

p. 42. *De Juriſdictione Sereniſſimæ Reipublicæ Venetorum in mare Adriaticum Epiſtola* Franciſci de Ingenuis *Germani*, ad Liberium Vincentium *Hollandum*, *adverſus* Joh. Baptiſtam Valenzolam *Hiſpanum*, & Laurentium Motinum *Romanum*, *qui juriſdictionem illam non ita pridem impugnare auſi ſunt*, Eleutheropoli A. 1619. in 4. prodiit. Quem circa librum *Cinellius* ex Angelici Aproſii Ventimigliæ *Scriptoribus deſectis* annotat, quod ſub *Franciſci* de *Ingenuis* nomine lateat Fr. *Paulus Sarpius*

Digitized by Google

Sarpius Servita, idque Aprosium a *Nicolao Crasso*, Latino libri istius interprete, accepisse.

Mentio fit Libri de *Imitatione Christi* Johanni Gersoni Abbati Ord.S. Benedicti iterato asserti, maxime ex fide MSS. exemplarium, quæ ejus nomen præferunt, quæque nunc temporis visuntur in Monasterio S. Germani a Pratis. Paris. 1674. 8. p. 73.

Porro queritur *Cinellius*, quædam *I. H. Boecleri* scripta post mortem autoris plena mendis edita fuisse, eaque inter potissimum *Commentationem* ejus de *Scriptoribus Græcis & Latinis*, utpote in qua inter alia p.97. & 102. ex uno Matthæo Parisiensi & Matthæo Pario, duo facti sint Historici. p. 85.

Descriptio Hydrographica canalis illius stupendi, quem Rex Galliæ Ludovicus XIV. in Languedocia fieri curavit, ad jungendum Oceanum cum Mediterraneo Mari; Italice adornata a *Matthæo de Morgues* Jesuita, Bononiæ 1685. 12. p. 97.

Ælia Lælia Crispis, Epitaphium antiquum explicatum a Richardo Vito Basinstochio, Dordrechti, 1618. 8. p. 114.

Pro immaculata B. Mariæ Virginis conceptione, duo Volumina *Simonis Santagatæ* Canonici Bononiensis, quorum alterum inscribitur: *Militia immaculatæ conceptionis Virginis Mariæ &c.* in quo is recenset sex millia Autorum eandem defendentium; ipse vero hic etiam *Santagata* aliquando Elegiam scripsit ad Alexandrum VII. Pont. Max. rogans, ut dogma hoc inter fidei articulos referre velit. p. 114.

In *SECTIONE Octava* pauca hæc speciminis loco seligere placuit.

Quando *Cinellius* elegantissimam *Leibnitii* ad Magliabechium Elegiam totam exhibet, simul inter laudes & merita famamque *Magliabechii* refert, quod de statu ejus aliquando percontatus fuerit exauctoratus Turcarum Imperator Mehmet IV. p. 17.

Caroli Capelli, Venetorum apud Ferdinandum, eo tempore Romanorum adhuc Regem, oratoris, equi Epitaphium, quod ipse, in obsessa Florentiæ urbe degens, marmori insculpi fecit, memoratum etiam abs *Mabillonio* Itineris Italici p.176. hoc modo: p. 24. 25.

Ossa Equi Caroli Capelli.

Non ingratus herus, sonipes memorande, sepulchrum
hic tibi pro meritis hæc monumenta dedit.
Anno 1530. obsessa urbe.

Amplius in gratiam exterorum bene monet *Cinellius*, ut quando illi nomen *Academiæ Florentinæ* videant allegari, caveant, ne eam, quæ veluti Studium aut Universitas quædam potius sit, confundant cum illa Florentiæ adhuc celebri Academia, seu Societate Eruditorum, quæ nomen habet *della Crusca*, seu *Furfurariorum*, quam *Apathistarum* sequitur Academia, a *Benedicto Fioretti* instituta, sed hodie non adeo frequentata.

LIBRI NOVI.

Codex Juris Gentium Diplomaticus, in quo Tabulæ Authenticæ Actorum publicorum, Tractatuum &c. pleraque inedita vel selecta continentur, a fine seculi XI. ad nostra usque tempora, aliquot tomis comprehensus; quem ex Manuscriptis præsertim Bibliothecæ Augustæ Guelferbitanæ codicibus &c. edidit Georgius Guilielmus Leibnitius. Hannoveræ 1693. in fol. Prostat Lipsiæ apud J. F. Gleditschium.

Ammiani Marcellini Rerum gestarum, qui de XXXI. supersunt, Libri XVIII. recogniti ab Jacobo Gronovio. Lugd. Bat. 1693. in fol. & 4.

Leonardi Plukenetii Phytographia. Pars tertia. Londini 1692. fol. min.

Bedæ Venerabilis Opera quædam Theologica nunc primum edita, nec non Historica antea semel edita &c. Londini 1693. in 4.

T. Burnetii Archæologiæ Philosophicæ, sive Doctrina antiqua de rerum originibus. Lond. 1692. in 4.

Petri van Hoeke Commentarius Analyticus in Epistolam ad Ebræos. Lugd. Bat. 1693. in 4.

Johannis van der Waeyen Varia Sacra. Franekeræ 1693. in 4.

The General History of the Air designed and begun by the hon. Robert Boyle. London 1692. 4.

General Heads for the Natural History of a Country, imparted by the late honourable Robert Boyle. Lond. 1692. 12.

Nova

Nova Hypotheſeos ad explicanda febrium intermittentium ſymptomata & typos excogitata Hypotypoſis; autore Guilielmo Cole. Lond. 1693. 8.

Three Phyſico-Theological Diſcourſes, concerning 1. the Primitive Chaos. 2. the general Deluge. 3. the Diſſolution of the World; by John Ray. Lond. 1693. 8.

Chymicus Rationalis: or, the Fundamental Grounds of the Chymical Art; by W. Y. Worth. Lond. 1692. 8.

Monarchia Microcosmi: the Origin, viciſſitudes and period of vital Government in Man; by Everard Maynwaringe. Lond. 1692. 8.

Two Diſcourſes, the 1. concerning the different Wits of Man; the 2. concerning the various ſickneſſes of wimes; by Walt. Charleton. Lond. 1692. in 12.

A Gentleman's Religion. Lond. 1693. in 12.

Diſcourſes on ſeveral Text of Scripture, by the late Henry More D. D. Lond. 1692. in 8.

Remarks made in Travels through France & Italy, with many publick Inſcriptions. Lond. 1693. in 8.

Schat-Kamer der Zinne-beelden en voor-beelden; door Henricus Grœnewegen. In's Grœvenhage, 1693. in 4.

De Profeterende Heiland ontrent Jeruſalems en s' Werelds Ondergang; door Adrianus Pars. Tot Leiden 1693. in 8.

Zedige Aanmerkingen over de Gronden van den Heer D. Balth. Bekker, nopende den aart en werkingen der Geeſten; door Joh. Aalſtius en Paulus Steenwinkel. Tot Dordrecht 1693. in 8.

Derde Vervolg der Brieven, geſchreven aan de Koninkliike Societeit tot Londen, door Antony van Leeuwenhoek. Tot Delft, 1693. in 4.

Nihil, Aliquid & Omnia Theologorum. Autore Georgio Lehmanno S. S. Th. Doctore, P. P. & Superintendente Lipſienſi. Lipſiæ 1693. in 8.

Ephemeridum Philologicarum Tomus, XII. Diſcurſus complectens, quibus difficiliora quædam Pentateuchi loca ſunt illuſtrata. Autore Hermanno von der Hardt, Ling. Orient. in Acad. Julia Prof. Helmſtadii, 1693. in 8.

De Naturali Religione Liber; auctore Petro Chauvin. Rotterod. 1693 in 8.

Fri-

Friderici Rappolti Opera Theologica, exegetica, polemica, & didactica, curante J. Benedicto Carpzovio. Lipsiæ 1693. in 4.

Sebastiani Schmidii Commentarius in Esaiam, & IIX. capita priora Josuæ. Hamburgi 1693. in 4.

Joh. Adami Osiandri Animadversiones in Turretini Theologiam Elenchticam. Tubingæ 1693. in 4.

Vincentii Placcii de Jurisconsulto perfecto liber singularis. Itemque Musæ Juridicæ, sive opuscula Juridica novem. Hamburgi 1693. in 4.

Joh. Melchioris Opera omnia Theologica, exegetica, didactica, polemica. Herbornæ 1693. in 4.

Francisci Foris Otrokocsi Consilium Pacis pro ineunda unione & concordia inter Fratres Protestantes. Franekeræ 1692 in 8.

Jacobi Le Mortii Idea actionis corporum, motum intestinum, præsertim Fermentationem delineans. Lugd. Bat. 1693. in 12.

Oeuvres meslées de Mr. De Saint-Evremont. Nouvelle impression, augmentée de plusieurs pieces curieuses. A Paris 1693. 8.

Histoire des Diables de Loudun, ou de la Possession des Religieuses Ursulines &c. Amsterd. 1693. 12.

Nouveaux Memoires pour servir à l' Histoire du Cartesianisme. A Utrecht 1693. in 12.

Memoires pour servir à l' Histoire de Louis de Borbon, Prince de Condé. A Cologne 1693. 12.

Histoire Ecclesiastique par Mr. Fleury. Tome second, contenant le troisieme siecle. A Bruxelles, 1692. 12.

Les Metamorphoses d' Ovide, avec des Explications. Nouvelle Traduction enrichies de figures. A Amsterdam 1693. 12.

Voyage en divers Etats d' Europe & d' Asie, entrepris pour decouvrir un nouveau chemin à la Chine. A Paris 1693. 12.

Voyages Historiques de l' Europe. A Paris 1692. 12.

L' Histoire de l' Archiduc Albert, Gouverneur general & puis Prince Souverain de la Belgique. A Cologne 1693. 12.

Lettres du Cardinal de Mazarin, ou l' on voit le secret de la Negotiation de la paix des Pirenées. Seconde partie. A Amsterd. 1693. 12.

* * *

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno M DC XCIII.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM, QVI DE XXXI. ſuperſunt Libri XVIII. Ope MSS. Codicum ab Friderico Lindenbrogio & Henrico Hadrianoque Valeſiis cum eorundem integris obſervationibus & annotationibus.

Item,

Excerpta vetera de Geſtis Conſtantini & Regum Italiæ.

Omnia nunc recognita ab JACOBO GRONOVIO.

Lugd Bat. apud P. van der Aa, 1693. in Fol. & 4.

AMMIANUM MARCELLINUM, Scriptorem ſeculi quarti inſignem, tum propter operis eximii molem, & rerum caſuumque varietatem, tum propter hiſtoriæ per tot mundi plagas euntis diffuſam latitudinem, tum denique propter fidem & diligentiam in toto opere mire elucentem, plurimum refert exiſtere. Sic enim vir ſagaciſſimus prudentiſſimusque armis dederat operam & caſtra ſecutus fuerat, ut poſtquam in liberrimum otium ac quietem ſe compoſuiſſet, poſteritatis curam egregie egerit. Quamvis vero magna hiſtoriæ ab ipſo conſcriptæ pars temporis injuria erepta nobis ſit, ea tamen, quam nobis reliquit deſcriptorum diligentia, ſine dubio ad cognitionem temporum, circa quæ verſatur, & eorum, quæ in eis geſta ſunt, haud parum facit. Et licet non deſint, qui genus ſcribendi, quod conſectatur, immunditiei cujusdam & dictionis a felici & genuino Latinitatis priorum ſeculorum genio abeuntis, & in ſeveras Grammaticorum regulas aliquando impingentis accuſent, quæ & res ipſa multis in locis comprobat; facile tamen illa ex vitæ inſtituto, cui deditus fuit, & temporis, quo vixit, conditione, excuſationem apud æquos rerum æſtimatores reperient, ac ipſe *Marcellinus*, quicquid

hujusmodi nævorum est verbis adhærentium, rerum gravitate abundantissime compensavit. Interim dolendum erat, turpi & negligentissima librariorum incuria pessime habitum fuisse auctorem præstantissimum, ut *Ammianus* ipse, si reviviscceret, vix agnituras se sit, tam multis scilicet se offerentibus locis vel lacunis hiulcis, vel male depravatis, quæ difficillimam omni tempore Auctoris effecerunt lectionem. Sed non defuerunt tamen hoc nostro seculo decora ingenia, & solidæ eruditionis laude præstantissima, quæ medicas manus luxato huic & non ubique optime se habenti corpori admovere gavisi sunt. Ubi primo loco commemorandus est nobis FRIDERICUS LINDENBROGIUS, vir eruditissimus, qui anno MDC IX, præterquam quod multa loca ope codicis manuscripti Florentini felicissime emendavit, *primus* omnium auctorem hunc difficillimum *perpetuis observationibus* illustravit, & ut erat egregie in literis ejusmodi versatus, tam dextre suscepto munere perfunctus est, ut nemo, nisi cui invidia præstrinxerit oculos, temere negaverit, multa eum ad auctorem contulisse, quæ dignitatem & elegantiam haud modicam eidem conciliant. Sed quemadmodum fieri solet, ut viris etiam doctissimis vel obrepant aliqua in suis operibus, quæ abesse deceret, vel ut non omnia ipsi pervideant: ita etiam *Lindenbrogii* opera, etiamsi quantivis pretii, vel emendationibus alicubi, vel ulterioribus curis indigere visa est. Quas succedentibus annis præstitit etiam cum orbis eruditi applausu eruditissimus *HENRICUS VALESIUS*, quippe qui præstantissimis subsidiis succinctus, anno MDCXXXVII, Parisiis Auctorem nostrum emendatissimum edidit, in id cumprimis connixus, ut nullum locum obscuritate aliqua involutum facile & dissimulanter prætermitteret, quem non explicaret quodammodo ac luce donaret. Ac cum ista etiam exemplaria direpta essent omnia, HADRIANUS VALESIUS, Henrici frater, novam Parisiis itidem apparavit editionem an. MDCLXXXI, a nobis etiam in Actis *MDCLXXXII. mense Januario p. 13.* recensitam, ad quam non tantum *fratris Annotationibus*, quas ipse suo exemplari adscripserat, sed & quas ipsi ingens eruditio suggerebat, suppetiis usus fuit. Ut inde haudquaquam admirandum sit, editionem hanc orbem eruditum maximi fecisse, cum politus ubique, apertus ac sibi constans in eadem appareret *Ammianus*. Nec ipse sane HADRI-

ANUS

ANUS de labore & diligentia, ſua ſiniſtrum quippiam ſuſpicabatur, teſtatus, ſuam hanc editionem *tempore quidem noviſſimam, ſed certe tamen omnium primam eſſe. Quippe ſingula ac univerſa cunctarum priorum editionum bona complecti; earundem vero vitiis carere: plurima præterea optima & maxima ac perquam utilia continere, quæ cæteris omnibus deſunt. Quo nomine etiam ſperet commendandam, & ad poſteros famam aliquam merituram fore.* Sed quid poteſt proficiſci ab hominibus imperfectis ab omni parte abſolutum? Hæc ipſa nimis glorioſe jactata eſſe videntur Viro multis ingenii monumentis jam pridem celeberrimo, JACOBO GRONOVIO, qui licet maximum, ut par erat, editioni huic Valeſianæ ſtatuat pretium, deprehendiſſe tamen in eadem ſe commemorat multa, quæ priores habebant, eximie bona hic fuiſſe omiſſa, multa ex adverſa parte, vel quæ relicta ſint ex aliis, vel quæ de novo addita, emendationem accuratiorem mereri. Quapropter vir ipſe eruditiſſimus, a Bibliopola de nova editione appellatus, de exactiori longe cogitare cœpit, id etiam ſe ipſi Marcellino debere arbitratus, ut ex cujus lectione honeſtiſſimam animi remiſſionem ſæpenumero petierit, hanc ei vicem redderet, ut Marcellini hæc volumina haud paulo nitidiora in publico conſpicerentur. Iſte nimirum Hercules repertus eſt, qui humeros ſufferendo labori huic pares ſupponeret. Et certe tanto cum judicio, tamque ingenioſe negotio incubuit, ut omnia nunc in *Marcellino* optime ac ſine lectorum offenſione procedere, ipſeque *Ammianus* poſt tredecim hæc ſecula inſtar Phœnicis ex cinere reviviſcentis ſeſe pulcherrimum oſtendere videatur. Nam ut ne neſciat Lector, quibus dotibus emineat elegantiſſima hæc editio, primo omnium in ea textus quam emendatiſſime exhibetur, cui integræ *Lindenbrogii* & *Valeſiorum*, quas diximus, *obſervationes & annotationes* ſubjiciuntur, quibus & ſuas quoque notas paſſim adjunxit *Gronovius*; cumque multa ſint loca, quæ vel ex antiquis nummis & figuris impenſe illuſtrari poterant, ſcitiſſimæ aliquot tabulæ nummorum antiquorum & figurarum inſimul exhibentur, quæ haud parum *Marcellino* melius percipiendo inſerviunt; ut adeo adeditionem iſtius nihil quicquam deſiderari magnopere amplius videatur.

CVRVÆ DIA-CAVSTICÆ, EARVM RELATIO AD EVOlutas, aliaque nova his affinia. Item: Natura oſculorum uberius explicata. Celeritates Navium definita. Regule pro Reſiſtentiis, quas Figuræ in Fluido motæ patiuntur &c. per I. B.

PRomiſſam Elateris curvaturam jam aliquoties daturus eram, ni ſupervenientes novæ ſpeculationes alio me rapuiſſent, feciſſentque, ut iis potius calamo committendis inhærerem, quorum idea recentior vividius mentem feriebat, quam quæ obliterata ex animo novum quaſi inveniendi laborem depoſcebant. Atque hoc ipſum in cauſa eſt, cur fidem etiamnum fallere cogar, poſtquam nuperæ de *Cauſticis* obſervatiunculæ aliis affinibus inventis anſam præbuere. Cum enim relationem illam ſimpliciſſimam inter Evolutas & Cauſticas per reflexionem nuper detexiſſem, mox attentandum duxi, num ſimilis forte relatio inter Evolutas & *Dia-Cauſticas* deprehendi poſſit. Sic autem voco Cauſticas per refractionem natas, reliquis ad diſtinctionem *Cata-Cauſticis* dictis, vel etiam *Cauſticis* ſimpliciter, ut ætati aliquis honos habeatur præ novis in Geometria hoſpitibus. Nam Cata-Cauſticarum Inventor Nobil. Tſchirnhauſius alterarum mentionem quidem injecit, tangere vero eas noluit. Solus Hugenius in Tractatu de Lumine ſchema nobis fiſtit integræ Dia-Cauſticæ, ſed circularis tantum & per radios incidentes parallelos genitæ: Generalem vero Dia-Cauſticarum conſiderationem, earumque ad Evolutas relationem, primus, ni fallor, ego aggreſſus ſum, nec irrito ſpero ſucceſſu, ut ex ſequenti conſtructione liquebit:

TAB. IV. Fig. I. II.

Sit punctum radians A, Curva quævis Expoſita DHM, ſeu convexa verſus A (ut in I *fig.*) ſeu concava (ut in *ſecunda*,) Recta HB curvæ perpendicularis, B punctum in Evoluta ejus, AH radius incidens, HI refractus accedens ad perpendicularem in prima, & recedens ab eadem in ſec. fig. Quo poſito ducantur ex puncto Evolutæ B in radium incidentem & refractum perpendiculares rectæ refractionem metientes BC, BE, & angulo quem comprehendunt, EBC æqualis ſtatuatur HBF, ad partes quas ſchema monſtrat, ſumtaque

HG

244. 99.



Fig. 7.



Fig. 2

8.



nguræ tertiæ pars ſiniſtra, ex radiis a perpendiculari refractis pars dextra refert.

HG tertia proportionali ad AH & HC, fiat, ut FG ad FC, ſic HE ad HI. Dico punctum repertum I fore in Dia-Cauſtica ex A: unde haud difficulter patet regreſſus a data Dia-Cauſtica ad punctum radians, vel ab utroque dato ad Evolutæ puncta invenienda. Caſuum vero particularium determinationes ſequentes hinc elicimus.

1. Si curva verſus punctum radians ſit convexa, & refractio fiat a perpendiculari, aut ſi illa ſit concava & hæc fiat ad perpendicularem, radii refracti contigui perpetuo divergunt.

2. Si curva verſus punctum radians ſit convexa, & refractio fiat ad perpendicularem; aut ſi illa ſit concava & refr. fiat a perpendiculari, radii refracti modo convergunt, modo divergunt, modo paralleli ſunt: Convergunt, cum HG $<$ HF: divergunt ubi $>$: & paralleli ſunt cum $=$. Sed conſtructio etiam in caſu divergentium locum habet, niſi quod tunc recta HI in radio refracto retrorſum producto abſcindenda.

3. Si punctum A radiet ex infinita diſtantia, evaneſcente HG fiet FH. FC :: HE. HI.

4. Si radius curvæ perpendicularis manet ex infinito intervallo, erunt diſtantiæ puncti quæſiti a punctis H & B, ut rectæ refractionem metientes BC, BE: Sin procedat ex intervallo finito, erunt dictæ diſtantiæ ut recta BC, & tertia proportionalis ad diſtantias puncti radiantis A a punctis H & B ac rectam BE.

5. Si radius ſeu ex finita ſeu infinita diſtantia procedens tangat curvam, & refringatur ad perpendicularem, evaneſcentibus HG & HC, coincidet CB cum HB, fietque HI $=$ EH.

6. Si radius ſeu ex finito ſeu infinito intervallo profectus ea obliquitate curvæ incidat, ut ejus refractus a perpendiculari recedens curvam tangat, coincidet punctum Dia-Cauſticæ I cum puncto incidentiæ H.

Conſectaria & Scholia principaliora his adnectimus:

α. Si Curva expoſita DHM eſt Geometrica, ejus Dia-Cauſtica ex quovis dato puncto quoque talis erit.

β. Quia Evoluta tota circuli in unum punctum concentratur, hinc Dia-Cauſtica Hugeniana, & eadem opera omnes aliæ, quæ ex puncto diſtantiæ finitæ generantur, quam facillime determinantur. Schema Hugenianæ ex radiis parallelis ad perpendicularem refractis figuræ tertiæ pars ſiniſtra, ex radiis a perpendiculari refractis pars dextra refert.

γ. Patet vero etiam, quod omnia, quæ Barrovius tam operose ſtruxit ad determinandum locum Imaginis puncti radiantis, e peracta ad ſuperficiem circularem reflectione vel refractione, ſpecialiſſima duntaxat corollaria ſint generalis noſtræ relationis Cauſticarum & Dia-Cauſticarum ad Evolutas: quandoquidem ipſi *Imaginis* nomine nihil aliud venit, quam radiorum reflexorum aut refractorum concurſus: qua occaſione monemus, illa quæ ſuperioris anni menſe Majo de officio trium Linearum Anti-Cauſticæ, Peri-Cauſticæ & Ant-Evolutæ diximus, ne ſiniſtræ acceptioni anſam præbeant, ſic explicanda eſſe, ut intelligantur de radiis ad rectam RH (vid. ibi Fig. V) expoſitam curvam in puncto incidentiæ H tangentem, non vero ad ipſam expoſitam DHM relatis: Sic enim utique limitandum fuiſſe conſtat; cum alias ſi ad curvam referantur radii, ipſorum punctorum A & I alterum alterius, & punctum B ſui ipſius ſit Imago per hypotheſin: minime vero puncta a, i, & b.

δ. Quoniam Ellipſeos Dia-Cauſtica ex radiis axi AC paralle-
Fig. 4. lis (Fig. IV) tota cogitur in unum punctum, focorum nempe alterum, ſicubi refractiones fiunt ſecundum rationem axis AC ad focorum diſtantiam DE; hinc expedita conſtat ratio inveniendi puncta quotlibet Evolutæ ejus hoc pacto: Sumto quovis in Ellipſi puncto B, & biſecto angulo DBE per rectam BI, quæ axem ſecet in L, demittatur in axem perpendicularis BF, fiatq; ut DE ad AC, ſic BL ad BG; ac tum denique, ut GF ad GL, ſic BI (quam videlicet abſcindit recta EI ipſi BE perpendicularis) ad quartam BH, erit punctum H in Evoluta Ellipſeos. At idem elegantius obtinetur per relationem Cata-Cauſticæ ad Evolutam, quandoquidem utervis Ellipſeos focus reſpectu radiorum ex altero egreſſorum etiam Cata-Cauſticæ munere fungitur; hunc enim in finem quærenda tantum quarta proportionalis ad $\frac{1}{2}$ AC, BD & BI, ad obtinendam ſtatim optatam BH: quas conſtructiones Illuſtris Hugenius cum ſua, quam dedit *prop. X part. 3 Horol. Oſcillat.* conferre poterit.

ε. *Spira mirabilis*, ſingulari privilegio non competenti Cycloidibus, ſui ipſius quoq; Dia-Cauſtica eſt ex umbilico, productis vid. retrorſum radiis ſeu a perpendiculari, ſeu ad perpendicularem refractis, utpote qui antrorſum divergunt. Inveniuntur autem ejus puncta, demiſſa perpendiculari ex puncto Evolutæ B (vid. dict. fig. V) in radium refractum

fractum incidentis AH : interſectionis enim locus erit Dia-Cauſtica expoſitæ Spiralis DHM, eademque numero cum illa.

ζ. *Rectificationem* Dia-Cauſticarum quod ſpectat, ea ſic habet : Ducto radio incidenti AH, & alio AD, qui tangat expoſitam, *part. ſin. fig. III* vel alio AL, cujus refractus eam tangat, *part. dext.* Si ſuper puncto radiante A radio AH deſcribatur arcus circuli HM (qui in caſu infinitæ diſtantiæ puncti A in rectam abit perpendicularem radiis) erit *in part. ſin.* Curva LI una cum adſumta recta DL, quæ per caſum articuli quinti determinatur, æqualis differentiæ radii refracti HI & alicujus rectæ, ad quam DM eſt in ratione quæ refractiones metitur : *in part.* vero *dextr.* Curva LI ſola æquatur aggregato radii HI, & ejus rectæ ; ad quam LM dictam rationem habet.

η. Hinc vero novæ oriuntur conſtructiones Curvarum per Dia-Cauſticas, quales Dn. de Tſchirnhaus mediantibus Cauſticis formandas exhibet: Ex. gr. Si deſcribenda ſit (Fig. III) Ellipſis PRS ad datos ſemi-axes PQ, QS, producatur SQ ad B, donec fiat BS = PQ, tum centro B radio BS deſcribatur quadrans DHS, cujus Dia-Cauſtica ex radiis ipſi BS parallelis ſit LIN, poſita refractionis menſura ea quæ per rectas BS, BQ, exprimitur, dico, ſi curvæ NIL ope ſtyli ambulantis ſuper quadrante SHD ita circumvolvatur filum NIHR = NS, ut pars ejus extra quadrantem prominens HR parallela ſtatuatur radio BS, deſcriptum iri extremitate R optatam Ellipſin PRS. Fig. 3.

θ. Patet ex hactenus dictis, quod data curva Expoſita, & una harum vel Evoluta vel Cauſtica vel Dia-Cauſtica, cæteræ quoque ex iis inveniri poſſint : ſed & quod mirabilius nonnullis fortaſſe videbitur, data Expoſita & una reliquarum trium, poſſunt exponi aliæ, quarum hæc ſit altera quævis ex illis tribus omnifariam acceptis, eæque ſemper infinitæ ; uti enim Curva quælibet infinitarum curvarum Evoluta, ſic & infinitarum Cauſtica vel Dia-Cauſtica eſſe poteſt : Nempe

a. Data *Curva* AB (fig. V) ejusque *Evoluta* CD, reperienda eſt alia, cujus iſta CD ſit *Cauſtica* ex dato puncto E, quod ſic peragitur : Sumto quovis Curvæ puncto B, junctaque EB, excitentur duæ perpendiculares, una PG ad rectam EB ex puncto ejus medio, altera Fig. 5.

Digitized by Google

altera BD ad ipſam curvam AB, erit punctum interſectionis harum G in curva, cujus Cauſtica ex puncto E eſt curva CD. Liquet autem, ſi loco Expoſitæ AB ſumatur quævis ejus *Condeſcripta*, totidem inde diverſas Curvas prodituras eſſe, quarum omnium communis Cauſtica ex puncto E eſt curva CD, ſicut eadem omnium *Condeſcriptarum* communis Evoluta exiſtit. Sin punctum E radiet ex infinita diſtantia per rectas EB parallelas (quo caſu præcedens conſtructio non habet locum) ducatur GH illis utcunque perpendicularis (fig. VI) Fig.6. & in protracta DB capiatur BF = BL, junctæque FL agatur parallela BH, ut & HI ipſi LB, erit punctum I in curva, cujus Cauſtica eſt CD.

b. Data deinde *Curva* AB (Fig. VII) ejusque *Evoluta* CD, Fig.7. exponi debeat alia FG, cujus illa CD ſit *Dia-Cauſtica* ex dato puncto E, cujusque vertex ſit datum punctum F; hoc ita fit: Deſcriptis centro E radio EF ſeu EH, & alio utcunque majori EG circulis FH, GI, fiat, ut ſin. ang. incid. ad ſin. ang. refract. ſic HG ad quartam EL, tum convoluto filo FD circa curvam DC, deſcribat punctum ejus L lineam LG ſecantem circulum IG in G, erit hoc unum ex punctis curvæ, cujus Dia-Cauſtica ex E eſt illa CD: Si vero cuipiam conſtructio hæc non ſatis geometrica videatur, ſciat in promptu mihi eſſe aliam, qua idem conſequor, utendo tantum circulis & lineis rectis, ſic ut nec convolutione fili, nec ipſa curva CD indigeam, dummodo concedatur, ex quovis puncto curvæ AB perpendiculam rem ei duci poſſe; quod utique hic & ubique ſupponendum. Nota, ſi AB ſit Circulus, & CD punctum, prodibunt Ovales illæ Carteſianæ tantopere celebratæ Geometris; quarum proinde inventio generalioris hujus conſtructionis tantum caſus ſimplicior exiſtit.

c. *Expoſita* porro BC (fig. VIII) ejusque *Cauſtica* DE ex Fig. 8. puncto A, invenire lubeat aliam, cujus *Evoluta* ſit DE, ad hoc efficiendum quæratur tantum ejus Anti-Cauſtica, abſcindendo ex protracta EC ipſam CF = CA, vel ſaltem eadem majorem minoremve conſtante longitudine. Quod ſi vero alia quærenda ſit, cujus DE ſit *Dia-Cauſtica*, quæratur primum aliqua, cujus illa DE ſit Evoluta, & tum per §. b. &c.

d. Data denique *Expoſita* FG (fig. VII) ejusque *Dia-Cau-* Fig.7. *ſtica* CD ex puncto E, præſtitutum ſit invenire aliam AB, cujus ipſa

ipſa CD ſit *Evoluta*: ducta ex E ad Expoſitam quavis recta EG & abſciſſa EH=EF, diſtantiæ puncti E a vertice Expoſitæ, fiat, ut ſin. ang. incid. ad ſin. ang. refr. ſic GH ad FL, ipſique AL (ſumto A vertice optatæ ubivis in recta EF) in radio refracto æqualis abſcindatur GZ, erit Z punctum in optata. Sin alia deſideretur, cujus *Cauſtica* ſit ipſa CD, quæratur primum illa cujus eſt Evoluta, & tunc per §. a. &c.

Habet itaque Lector in hac & illa ſuperioris anni lucubratiuncula in compendio fere, quicquid de *Evolutis*, *Cauſticis* & *Dia-Cauſticis* per mutuam ipſarum comparationem & relationem ad ſe invicem cognoſci poteſt: cui ſi artificium (nobis Fratribus, ut credo, peculiare hactenus) adjungere voluiſſem, quo *Centra circulorum oſculantium* ſeu *Evolutæ puncta* ex natura *Expoſitæ* unica & ſimplici proportione inveniri poſſunt, agnoſceret puto, colophonem quodammodo huic materiæ impoſitum eſſe, nihilque in ea jure amplius deſiderari poſſe. Spero autem, & in his quæ publicavi, nonnulla tam nova tamque ſingularia contineri, ut ſi fontem, unde manant, ſtudioſius tegere voluiſſem, merito omnibus Geometris admirationi eſſe potuiſſent.

Cum hæc ſcriberem, incidebant in manus Acta præteriti menſis Septembris, eaque quæ Cel. Dn. Leibnitius his præſertim, quæ de *Curvarum oſculis* menſe Martio publicaveram, erudite oppoſuit: quibus ſane perlectis non poteram non & gaudere, quod mea qualiacunque examine ſuo digna æſtimarit, & meam ſimul dolere incuriam, quæ verba ita obſcure concepta reliquit, ut Viro perſpicaciſſimo non omnem ſcrupulum eximere valuerint: quapropter ut quod ibi neglectum reſarciam, ac rem in majore luce conſtituam, neceſſum duco paucas hic lineolas annectere, quas B. L. Schediaſmati menſis Martii per modum *Addendorum* haud gravate ſubjungat:

Exemplum communis Parabolæ & ejus Curvæ, cujus Evolutione deſcribitur, totum negotium explanabit; Conceditur mihi, quod ſi ſuper quovis puncto intermedio poſterioris tanquam centro, longitudine fili evolventis ceu radio circulus deſcribatur, is ipſe futurus ſit, qui curvam parabolicam oſculari dicitur; ſed & pro conceſſo aſſumo (quis enim poſt leviſſimam attentionem hoc inficiabitur?) circulum huncce Parabolam præter punctum oſculi neceſſario in alio aliquo puncto ſecaturum, imo vero in duobus, ſicubi illam in puncto oſculi tangere, non ſe-

 care

Digitized by Google

care cenſendus eſſet (utut id veritati adverſum jam ſup. p. 115, l. 11, exerte demonſtravi:) unde ſi oſculum illud per duos contactus, ſeu quatuor interſectiones coincidentes interpretandum ſit, quid obſecro manifeſtius, quam ſecuturum hinc fore, ut unus idemque circulus Parabolam in 5 imo 6 punctis ſecare poſſit? quæ in Conicis omni ævo inaudita res fuit. At, inquis, annon centrum circuli oſculatoris conſiderari ſolet ceu concurſus duarum rectarum Parabolæ perpendicularium, ſuper quo deſcripti his radiis circuli curvam tangant, adeo ut in caſu indiſtantiæ perpendicularium efficiatur concurſus duorum contactuum? *Utique, ſed & hoc præoccupavi p. 116. Oſculum ſimplex ſpectari revera poteſt, ut concurſus duorum contactuum, at contactuum factorum non ab* uno eodemque circulo, *ſed* duobus diverſis & inæqualibus circulis *concentricis: quo quidem ſenſu illud eodem jure conſiderare poſſemus ceu concurſum decem, centum, pluriumve contactuum factorum a totidem circulis excentricis, prout videlicet plures pluresve concipierentur perpendiculares, quarum quælibet foret radius alicujus circuli tangentis; quæque omnes ad indiſtantiam usque ſibi approximari intelligerentur. Verumenimvero ejusmodi conſideratio ad propoſitum noſtrum, ubi agitur, de numero concurrentium interſectionum* unius ejusdemque circuli, *prorſus inutilis. Inſtas porro, ſi circulus præter contactum curvam adhuc in duobus hinc inde punctis ſecet, neceſſe erit, ut hæ interſectiones promoto circuli centro tandem ambæ ſimul contactui coaleſcant, aut ſi ſeparatim id fiat, ut duo dentur circuli curvam in eodem puncto oſculantes, quod impoſſibile. Reſp. ſi ambæ interſectiones ſimul contactui coaleſcunt, oritur oſculum non primi ſed ſecundi gradus; & ſi una ſeorſim, cogitandum (ut monui p. 112) illam ſubinde ex contactu emerſuram, & oppoſitas curvæ partes perambulaturam, donec alteri in alio aliquo curvæ puncto obviam facta, cum illa novum ibi contactum celebret, poſt quem alteri huic interſectioni ad priorem contactum non propius accedere, nedum ipſi uniri licet. Tandem vero nec hoc prætereundum: ſi ſuppoſitio trium tantum radicum æqualium ſeu trium interſectionum coincidentium pro oſculo ſimplici inveniendo ſit erronea dicenda, quæro cur calculus p. 114 in illa fundatus nihilominus ad legitimam ſolutionem perducat? Oſtendendum itaque eſſet hoc vel caſu tantum accidiſſe, vel idem ſaltem quoque ſuccedere, ſupponendo quatuor radices æquales, quod neſcio an quisquam præſtabit.*

Cæte-

Cæterum quod Cel. Leibnitius peregregie obſervavit, Circulum nempe oſculatorem curvedinis menſuram eſſe, & mihi quoque innotuerat, poſtquam animadvertiſſem, curvedines radiis horum circulorum reciproce proportionales exiſtere.

Pergit poſt hæc acutiſſimus Geometra ad ea, quæ menſe Majo de *Curvatura Veli* diſſerueram, & nonnulla haud vulgaria in iis quidem latere ſuſpicatur, de tota tamen re (in qua ſibi non deeſſe ſcrupulos affirmat) nil definit. Optaſſem vero ego quam maxime, ut dubitandi rationes nobis expoſuiſſet; quippe nec Frater meus, qui dum adhuc Pariſiis verſaretur, Problema quoque plene abſolvit, detecto quod me ad æquationem $adsddx = dy^3$ (ſuppoſitis elementis curvæ ds æqualibus) perduxerat artificio, nec ipſe illuſtris Hoſpitalius, quicum ille inventum communicaverat, quicquam in illo fallaciæ deprehenderunt. Ego ſane præter anomaliam illam, quam cauſatur fluidi ſupra Veli ſinum exundantis portio, quamque artic. 25 tetigi, nihil in toto negotio reperio difficultatis, adeo quidem, ut nihil præter hoc deeſſe nobis videatur, quin naturam preſſionis fluidorum plene perſpectam habeamus, indeque Mechanicam horum non minus ac ſolidorum, abſolutam & perfectam aliquando expectare poſſimus. Fateor in meis poſitionibus nonnulla reperiri (ſed fundamentum calculi non concernentia) quæ paulo enucleatius vel etiam emendatius dici potuiſſent: Sic cum §. 5 celeritates navium eodem ſecundo vento velitantium ſtatuuntur ut *Velorum ſubtenſæ*, intelligendæ ſunt celeritates navium initiales, ſeu primi celeritatum gradus impreſſi, non ſubſequentes celeritates actuales (quarum ultima ſeu maxima eſt illa, quæ *ad quam non* vocatur) utpote ad quas ſupputandas habenda quoque præcipue eſt ratio reſiſtentiæ ſeu gravitatis fluidi, cui naves innatant. Reperio autem, quod ſi illa reſpectu reſiſtentiæ ſeu gravitatis aeris, quo naves impelluntur, valde magna ſtatuatur, qualis reapſe eſt, celeritates navium *ad quas non*, cæteris paribus propemodum futuræ ſunt, ut *Radices ſubtenſarum veli*, non ut ipſæ ſubtenſæ. Notanter adjeci in dicto §. *cæteris paribus*, ut intelligatur, hæc non *abſolute* dici, quaſi celeritas navis cujuspiam ſeposita conſideratione figuræ ejus ullatenus definiri poſſit; ſed *relative*, ita quidem, ut ſi de navis unius celeritate ſemel experientia conſtiterit, de aliarum omnium ejusdem figuræ, ſtructuræ & ponderis, ſed

velorum tantum amplitudine differentium celeritatibus pariter judicium ferri queat. Nunc vero dico amplius, & poſtquam totum hoc negotium a phyſica incertitudine ad geometricam ἀκρίβειαν traduxi, ipſam quoque *celeritatem abſolutam navium* determinare poſſe me profiteor.

Primo enim ſi pars ſuperficiei proræ immerſa aquis plana ſtatuatur & æqualis ſubtenſæ veli ſeu baſi ſegmenti circularis, quod velum refert, & inſuper ratio gravitatis aeris ad gravitatem aquæ ut 1. ad 841, illi, quæ in natura obtinet; quam proximè conformis, deprehendo, velocitatem navis maximam, cujuscunque cætera molis ſit, præciſe fore ſubtrigecuplam velocitatis ipſius venti, niſi quod ponderoſior navis tardius hanc velocitatem æſſequatur. Deinde quamvis proræ ſuperficies, qua aquis immerſa eſt, non plana ſtatuatur, ſed, ut communiter ad aquas facilius ſulcandas fieri ſolet, acuminata vel roſtrata, ſatis tamen conſtat, difficultatem aliam hinc non naſci, præter eam, quæ in hoc conſiſtit, ut definiatur, quanto plus minusve huic illive figuræ in fluido motæ reſiſtatur; id quod ſequentes poſitiones determinabunt. Fig. 9. *1.* Si *Triang. Iſoſceles* DCE (fig. 9,) & *Rectang.* AB, æque gravia & baſium æqualium, DE, AF, ferantur eadem celeritate in fluido quopiam juxta directiones, HQ, perpendiculares baſibus: Vel etiam (quod eodem redit) ſi idem *Triangulum* juxta dictam directionem moveatur, ſed præcedente nunc vertice C, nunc baſi DE; erunt reſiſtentiæ, quas a fluido patiuntur figuræ, vel quas idem patitur Triangulum diverſo ſenſu latum, in ratione duplicata baſis DE vel AF, & aggregati crurum DC † CE.

2. Reſiſtentia quam patitur *Quadratum* in fluido motum juxta directionem lateris, ad reſiſtentiam ejusdem pari celeritate lati juxta directionem diagonalis, viciſſim eſt, ut Diagonalis ad Latus: facilius ergo hoc quam illo ſenſu in fluido movetur Quadratum.

3. Reſiſtentia quam patitur *ſegmentum minus circuli* juxta directionem baſi perpendicularem & præcedente baſi latum, ad reſiſtentiam, quam idem patitur eadem celeritate & directione, ſed præcedente vertice motum, eſt ut Quadratum diametri ad idem Quadratum multatum triente quadrati baſis ſegmenti circuli. *Cor.*

Hinc

Hinc Reſiſtentiæ *Semicirculi*, cujus modo baſis præcedit, modo vertex, ſunt ad invicem in ratione ſeſquialtera.

4. *Parabolæ* juxta directionem axis incedenti, præeunte modo baſi, modo vertice, reſiſtitur in ratione tangentis ad arcum circuli alicujus, qui habeat diametrum parametro, & tangentem ſemibaſi Parabolæ æqualem. *Cor*: Si baſis Parabolæ æquetur parametro, Reſiſtentiæ erunt, ut Quadratum ad Circulum inſcriptum.

5. *Hyperbolæ (Ellipſis)* Reſiſtentias, quas ſubeunt, cum nunc baſis nunc vertex præcedit, ita comparabis: Fiat, ut Aggregatum (Differentia) transverſi & recti lateris ad latus transverſum; Sic quadratum recti lateris ad quadratum Diametri circuli alicujus, in quo applicetur tangens æqualis ſemibaſi Hyperbolæ (Ellipſis) tumque fiat iterum, ut Aggregatum (Differentia) laterum ad latus rectum, ſic dicta tangens ad aliam rectam: nec non, ut idem aggregatum (differentia) laterum ad transverſum, ita arcus tangenti circuli reſpondens ad arcum alium: quo facto erunt Reſiſtentiæ, ut dicta tangens ad aggregatum (differentiam) inventæ rectæ arcusque. *Cor*: Si Hyperbola ſit æquilatera, fiat diagonius quadrati ſuper lateribus ejus deſcripti, optati circuli diameter, cui adaptetur tangens æqualis toti baſi hyperbolæ, eruntque Reſiſtentiæ, ut duplum tangentis ad ipſam tangentem ſuomet arcu auctam. Et ſi inſuper hyperbolæ baſis ſemiſſi dicti diagonii æquetur, invenientur Reſiſtentiæ, ut duplum quadrati circulo circumſcripti ad quadratum ſimul & circulum. Quæ dicta ſunt de Reſiſtentia Ellipſis, procedunt tantum, cum illa juxta axem majorem movetur. Nam Reſiſtentia quam patitur, cum juxta minorem movetur, dependet a Quadratura Hyperbolæ; quare ope Logarithmicæ ſeu Funiculariæ ſic invenitur: Sit Funicularia, cujus Parameter ſit ad ſemilatus rectum Ellipſis in ratione ſubduplicata triplicatæ lateris transverſi & differentiæ utriusque. Deinde fiat, ut Latus rectum Ellipſis ad Differentiam Laterum, ſic tertia proportionalis ad latus rectum & baſin Ellipſis, ad quartam. Denique ducta per centrum Funiculariæ recta ad axem perpendiculari, applicetur ei ad curvam recta alia parallela axi, quæ ſit ad parametrum Funiculariæ in ratione ſubduplicata lateris recti Ellipſis & differentiæ ejus ac inventæ quartæ. Quo facto alia quædam proportionalis ad differentiam laterum, latus rectum &

baſin Ellipſis multata intervallo, quod axem Funicularię & parallelam ejus diſcriminat, menſuram reſiſtentię optatæ determinabit.

6. Generaliter vero in *quacunque Figura*, quæ eadem celeritate nunc præcedente baſe nunc vertice per fluidum quodpiam movetur, Reſiſtentiæ ſe habent, ut Figuræ Baſis ad ſummam omnium Cuborum factorum ex elementis baſis, & applicatorum ad Quadrata elementorum ipſius curvæ. At quantum unica hæc obſervata Regula tum ad conſtructionem navium, tum ad perficiendam Nauticam univerſam, tum etiam ad definiendam figuram Penduli alicujus horologii, ut aerem quam liberrime ſulcare, & minima quantumvis vi in motu conſervari poſſit, plurimaque præſtanda alia, momenti conferat, haud dictu opus eſt; quin potius mirari ſubeat, quod viſa tam manifeſta rei utilitate, nemo quod ſciam hoc æquor adhucdum arare tentaverit.

Quod ſupereſt in Schediaſmate Leibnitiano, ſolutionem concernit æquationis ſupra memoratæ $ad:ddx = dy^3$, quam ſummus Vir inſtituto examine Catenariæ competere nobiscum agnoſcit; & inſuper peregregie obſervat, quæſitam Curvam fore Circulum, ſi habeatur $addx = dsdy$. His addere nobis liceat, quod ſi ſit $addx = dyq$, emerſura eſt Curva quæpiam, quæ etſi non ſit ipſa Logarithmica, ejus tamen ope ſic conſtruitur: Eſto Logarithmica AF (Fig. X) cujus Aſymptotos DG, & Applicata AC æqualis ſubtangenti $= a$. Hac ceu radio ſuper C deſcribatur Circuli quadrans AED, ſumtoque ubivis in Logarithmica puncto F ducantur per illud rectæ FE, FH, parallelæ ipſis DG, AC, easdemque reciproce ſecantes in B & G. Dico, ſi abſcindatur $GH =$ arcui AE, fore punctum H in Curva quæſita CH, cujus a Logarithmica diverſitatem vel ſolus vertex C, quo hæc altera caret, arguit. Quam conſtructionem ſibi nuper communicatam Ill. Hoſpitalius hac demonſtratione ſynthetica munivit: Ponatur $CA = a$, $CG = x$, $GH = y = AE$, $GF = z = CB$, habebiturque ob Logarithmicam $dx = \frac{-a\,dz}{z}$, & propter Circulum $dy = \frac{adz.}{\sqrt{aa - zz}}$: ſed ex hypotheſi (ob ſuppoſita ds æqualia)

Fig. 10.

debebit

debebit differentiale ipſius dsq(= dxq+dyq = $\frac{a4dzq}{aazz-z4}$) æquari nihilo : quare aazddz - z3ddz - aadzq + zzzdzq = 0, ſive zzdzq = aadzq - zzdzq - aazddz + z3ddz, hoc eſt, facta multiplicatione per aa, & diviſione tum per zz, tum per aa - zz, $\frac{aadzq}{aa-zz} = \frac{aadzq - aazddz}{zz}$ hoc eſt, dyq = addx. Q. E. D. Subjungi poteſt & hoc leviusculum, Curvam, in qua ipſa ddx proportionalia reperiuntur ipſis dy, vel dyq, vel dy^3 &c. perpetuo fore Parabolam, ſicubi loco ds ipſa dy æqualia ſupponantur. Et generaliter, poſitis dy æqualibus, ſi æquentur quoque ipſa dx, quæſita Linea erit Recta : ſi ipſa ddx, Parabola communis : ſi d^3x, Parabola Cubica : ſi d^4x, Biquadratica, &c.

Atque hæc poſſunt eſſe ſpecimina qualiumcunque profectuum, quos a paucis retro annis in Geometria interiore fecimus, ſi addantur iis nuperæ meæ Florentini Ænigmatis, & Problematis de Minimo Crepuſculo ſolutiones, quarum prior (quanquam ſupprimenda, ſi de Leibnitiana conſtitiſſet) quædam me judice haud contemnenda continet, dum §. 4 modum generalem ſuppeditat, cuicunque Figuræ planæ ſeu rectilineæ ſeu curvilineæ, quadrabili vel non quadrabili, Geometricæ ſive Mechanicæ, ſeu libera denique manu formatæ, æqualem ex ſuperficie ſphærica portionem abſcindendi, quo ipſo utique multo plus me præſtitiſſe autumo, quam Auctor Florentinus poſtulaverat. Sciendum autem, ambo quoque Problemata a Fratre meo Pariſiis ſoluta eſſe, poſteriorisque de Crepuſculo ſolutionem inſcio me Diario Gallico inſertam, cui cum mea apprime convenit, hoc non obſtante, quod ille ſoliditatem ſphæræ introſpiciendo, ego ſuperficietenus duntaxat eam contemplando, diverſiſſima uterque via in hac inveſtigatione uſi fuerimus. Habemus vero & alia his plura & majora, quæ etiamnum premimus : at illa quantacunque ſint, num metas has tranſiliant, quas ſummus Geometra (tam eximia & invidenda in hoc ſtudiorum genere tum in Actis paſſim, tum in privatis ad me literis porro pollicitus) attigit, noſtrum judicare non eſt. Id certe de ſe cogitare ut hominis vaniſſimi ; ſic palam profiteri inſanientis

prorſus

prorſus foret. Suſpicimus Virum nunquam ſatis laudatum, ut decet; & ab ejus lumine lumen nobis accenſum grati agnoſcimus: ac quanquam fieri forte poſſit, ut in nonnulla inciderimus, ad quæ ipſi aliorum negotiorum mole obruto attendere vel penetrare non licuit, hæc tamen & ipſa ei accepta ferenda putamus; quandoquidem huic, qui glaciem fregit aliis, gratia debetur non ob ea tantum, quæ invenit ipſemet, ſed & quæ alii jactis ab ipſo fundamentis inædificarunt. Cæterum exiſtimavi ſemper & exiſtimo etiamnum, promotionem ſcientiarum non unius ætatis, nedum hominis opus exiſtere, ſed aliquot plurium in diverſis ſeculis viventium, ſtudiaque ſua in communem ſcopum dirigentium, quorumque poſteriores priorum veſtigia legendo, & pergendo ubi illi deſiere, priſtinis inventis ſubinde nova & majora ſuperaddant: & quemadmodum nobis maturiorem ſcientiarum ætatem adeptis nunc ludus jocusque videntur, quæcunque veteres, utut ingenio nobis neutiquam inferiores (ac noſtris ſubſidiis in illa Geometriæ infantia deſtituti) tam operoſe invenerunt ac demonſtrarunt; ita perſuaſum omnino habeo, venturos poſt nos, qui licet ingenio noſtris Heroibus non prævaleant, ex eorum tamen inventis anſam captare poterunt, pomœria vaſtiſſimæ ſcientiæ proferendi, ultra quam fortaſſe ne cogitando quidem aſſequi nunc valeamus. Interim tanta quisque laude dignus cenſebitur, quantum ad illa latius extendenda de ſuo contulerit; neque poſtremi pluris æſtimabuntur, quod longius progreſſi ſint & plura detexerint, quam omnium primi qui illis ad hoc perveniendum viam ſtraverunt.

Menda Typographica, quæ in Acta Menſ. Martii & Maji ſuperioris anni irrepſerunt, cum ſenſum turbare poſſint, B. L. ſic reſtituat: pag. 110, lin. 21, pro oſculorum *leg.* circulorum: *p. 112, l. 22, pro* uti *l.* ubi: *p. 113, l. 28, pro* uti *l.* circulus quamcunque curvam oſculatur, complete oſculatur, uti: *p. 116, l. 12, a fine, utrobique pro* ⋗ *l.* ⋖: *ibid. l. 7, a fin. pro* fit *l.* & fit: *p. 210. in fine §. 7, adde:* Sequitur & in revolutione Parabolæ ſuper ſeipſa focum loco Cycloidalis rectam EL deſcribere: *p. 211, l. 2, pro* primum *l.* quintum: *ibid. l. 19, pro* HA. *l.* Ha.

JACOBI

JACOBI BERNOULLII SOLUTIO PROBLEMATIS Fraterni ante octiduum Lipsiam transmissi.

Conferantur Acta Eruditorum proximi mensis Maji pag. 235.

ELegans est hoc problema, in quod incidimus occasione Hugenianorum quorundam, quæ nuperrime in Actis Roterodamensibus comparuere. Ei se primo applicuit Frater, cumque paulo post significaret, se voti sui factum compotem, operæque pretium esse, ut solvatur, eumque in finem etiam Problema publice proponendum tecta solutione Lipsiam mitteret, Auctor mihi extitit, ut & ipse tentarem, & quam reperi solutionem sequentem (omissa tamen demonstratione, ne aliis idem inveniendi voluptatem adimerem) cum publico communicarem, nescius etiamnum, an & quousque cum fraterna conspiret. In data positione recta AB assignatum est punctum A, & quæritur Curva AC, in qua sumto ubivis puncto C, ductaque per illud recta tangente CD, abscissa AD sit ad tangentem DC in constante ratione n ad 1. *Sol*: Abscissa quavis AD, centro D, radio DC (qui sit ad Abscissam AD, ut 1 ad n) describatur arcus circuli, fiatque ut aggregatum unitatis & dicti radii ad potestatem $\pm 2n$ elevati, ad eorundem differentiam; sic ipse radius ad rectam DB auferendam ex positione data AB: Dico, si super B erigatur recta BC perpendicularis ipsi AB, secansque arcum circuli in C, fore punctum C in curva optata AC. Eximium autem usum habet hoc Problema. Primo enim hinc constat, infinitas esse diversissimorum generum curvas, communi hac proprietate gaudentes, ut recta AD, DC, constantem rationem habeant; omnes vero illas esse Geometricas, (quanquam aliæ aliis magis minusve sint compositæ) in quibus hæ lineæ se habent, ut numerus ad numerum, transcendentales vero omnes, ubi illæ non sunt, ut numerus ad numerum. Deinde omnes hæ Curvæ describuntur motu continuo fili GDC in alterutra extremitate C pondus annexum habentis hoc pacto: In Triangulo AFE rectangulo ad A, cujus crus AE æquale sit longitudini fili GDC, applicetur norma BDH, ea ratione TAB. IV. Fig. II. sqq.

ut dum crus DB ſuper AB verſus A volvitur, alterum HD fili portionem GD ante ſe pellendo, lateri Trianguli AE perpetuo parallelam manere, ejusque extremitatem G, ſuper hypothenuſa FE incedere cogat: ſic fiet, ut pondus alteri extremitati C annexum & attractum curvam deſcribat AC ita comparatam, ut AD ſit ad portionem fili DC, tangentem ſcil. Curvæ, in ratione data crurum Trianguli AF & AE. Unde patet, ſi conſtructiones ejusmodi cenſendæ ſunt geometricæ & accuratæ, æquationes infinitas altiſſimorum graduum pari cum ſimpliciſſimis omnemq; pene fidem excedente facilitate conſtrui poſſe. Denique nec hoc tacendum, quod ſolutio hujus Problematis abſtruſæ Methodi Tangentium inverſæ plurimum perficiendæ & promovendæ magnum lumen præbere poſſit.

GENERAL HEADS FOR THE NATURAL HISTORY, &c. h. e. Capita generalia hiſtoriæ naturalis regionum tam magnarum quam parvarum, in uſum peregrinatorum & navigantium quondam conſignata ab Honorat. Dn. Roberto Boyle, Armigero & Societatis Regiæ Sodali.

Londini ap. Joh. Taylor. 1692. 12. plag. 6.

CUm acceſſiones illæ, quæ ſeculo noſtro factæ ſunt ad hiſtoriam naturalem, plurimum debeant peregrinationibus, quæ terra & mari fuerunt inſtitutæ, nec tamen omnibus iter facientibus, ingenio licet valeant, ſuccurrant ſtatim omnia, quæ in regione quavis inveſtiganda ſunt, aut methodus, qua quæſtiones ad augmentum ſcientiæ naturalis pertinentes ſunt inſtituendæ; operæ pretium facturus ſibi viſus eſt illuſtris Boyleus, ſi rem totam ad ſumma quædam revocaret capita. Atque hæc quoque, cum luce adhuc ipſe frueretur, in lucem edere conſtituerat, virorum quorundam curioſorum motus flagitatione, ſed quod morte præventus exequi non potuit, amicus quidam ejus in ſe ſuſcepit, qui hinc inde varia inſeruit notatu digna & nautis proficua, cum particularibus obſervationibus maxime notarum regionum. Primum ergo proponuntur, quæ ratione cœli, aëris, aquæ atque terræ ſunt conſideranda; deinde

quæ

quæ nautis, qui ad remotas excurrunt regiones, inprimis ſunt obſervanda; tandem ſpeciales quæſtiones, partim mineralia, partim vegetabilia reſpicientes, explicantur. Ad particulares directiones quod attinet, monentur peregrinantes, ad quæ attendere debeant in Turcia, Aegypto, Guinea, Polonia, Hungaria, & Transſylvania, Suratta, Perſia, Virginia, Guajana & Braſilia, inſulisque Antilles & Caribes: ut ſcilicet ea, quæ de illis regionibus nobis relata fuere, vel confirmentur, vel tanquam falſa rejiciantur.

JACOBI DANIELIS ERNESTI V. D. M. APANTHISMATA, ſive ſelectiores Flores Philologico Hiſtorico-Theologico morales, in IV. Libros diviſi.

Lipſiæ apud Lanckiſianos hæredes, 1693. in 8.
Conſtant Alphabet. 3. & plag. 10.

QUod apes animalcula diligentiſſima facere docet experientia, ut in agris campisque pulchre efflorescentibus & pictis undique herbis atque plantis ſe induentibus circumvolitent, floribusque hinc inde inſideant, materiam mellis conficiendi impigre colligentes; utque deinceps, quicquid attulere, diſponant ſolerter ac per favos digerant, ſive, ut ait alicubi *Virgilius*, *liquentia mella ſtipent & dulci diſtendant nectare cellas:* id ex *Seneca* præcepto ſapientiæ imprimis ſtudioſos imitari decet, ut nimirum & ipſi variorum generum libros non delibent tantum, ſed in ſuccum plane & ſanguinem convertant, quæque ſibi in eisdem annotatione præ aliis digna videntur, in adverſaria ſua indefeſſo ſtudio congerant. Sane id reverendum *Auctorem* hujus libri feciſſe, ipſum hoc, quod ſiſtimus, *Apanthismatum* volumen varia eruditione eaque jucundiſſima refertum teſtari poteſt. Cum enim a multo jam tempore legendis variis & iis quidem non protritis & vulgaribus auctoribus, atque illis maxime, qui rerum geſtarum memoriam literis conſignatam conſervare ſtuduerunt, ſeſe dediſſet, haudquidquam legiſſe contentus erat, niſi & pleraque ſibi enotaret, & in uſus ſeponeret futuros. Ut enim verbis ad eccleſiam ex officii ratione faciendis occupatur; ita nihil æque ad virtutes cum efficacia commendandas & orationi

ſacræ gratiam & ornatum conciliandum exiſtimavit, quam ſi hinc inde ex hiſtoriis, quæ rei accommodata eſſent, ſermonibus ſuis aſpergeret. Interim fuerunt, qui inſtigarent *Auctorem*, variis ſcriptis in lingua patria conditis lectorum favorem jam diu expertum, ut quæ annotaſſet hujus etiam generis, cum publico communicaret. Ille igitur ut iſtorum deſideria adimpleret, ſub *Apanthiumatum* nomine eadem invulgavit, quaſi qui innuere cuperet, non aliter ex omni auctorum genere flores collegiſſe, quam qui hortum variis floribus conſitum intrant, hinc inde aliquos illorum decerpere ac in faſciculum compingere ſolent, idque tum ut olfactum demulceant, tum oculis abblandiantur. Neque aliud perſuadeant ſibi lectores, quam in pratum ſe amœniſſimum ab Auctore deduci, ubi variæ & elegantes hiſtoriæ, apophthegmata, emblemata, apologi, allegoriæ, ſimilitudines, ſententiæ tam ſacræ quam profanæ, & multa denique aliæ ad politiorem literaturam facientia, ex optimis præſtantiſſimisque auctoribus ſtylo florido & ad elegantiam compoſito flagrantiſſimorum florum adinſtar ſibi offerantur. Imprimis tamen illi putent opus haud exiguas utilitates ſibi præſtiturum, qui exornandis tam ſacris quam civilibus orationibus ſuam operam ponere conſueverunt.

JACOBI VVILHELMI IMHOFII NOTITIA S. Rom. Germanici Imperii Procerum.

Editio tertia.

Tubingæ, ſumptibus Joh. Georgii Cottæ & Philiberti Brunnii, 1693. Fol.

Conſtat plagulis 141.

MAgnam apud ſuos exterosque gratiam inierunt Gabriel *Chaſſebræus* Gallus, & Eduardus *Chamberlayne* Anglus, quum quisque recentiſſimum regiæ ac illuſtriorum in patria ſua ſtirpium ſtatum ſæpius, ſingulisque fere quadrienniis, deſcripſere. Tacemus Guidonem *Miegium*, Chamberlaynii æmulum, de cujus libello vide ſis Acta Erudit. a. 1691. p. 246. Quanto autem majori apparatu ac ſtudio nobiliſſimus IMHOFIUS Germaniæ ſuæ Proceres hodie ſuperſtites, aut poſt Nicolai Rittershuſii tempora mortalium numero exemptos, *tertia* jam *vice* recenſuit, tanto magis dignus

eſt,

eſt, cui & communis patria & univerſa literatorum respublica multis ſeſe nominibus eapropter obſtrictam ſentiat ac profiteatur. Equidem *altera* utiliſſimi jucundiſſimique operis editio, anno 1687 publicata, non multum diſcrepabat a *prima*, quæ a. 1684. ad umbilicum perducta fuit. (Confer *Acta Eruditorum* a. 1687. p. 300. & a. 1691. p. 247.) At *tertia* hæc plane aliam Imperii Germanici ſiſtit faciem, qualis nempe a. 1692. exeunte, aut a. 1693 ineunte erat, quandoquidem decennio hoc celſiſſima gentium tantum non omnium, quarum notitiam heic habes, capita fatis conceſſerunt, plerique etiam epiſcopatus aliis jam ſubſunt præſulibus.

Auguſtæ etiam *domus* origo & propagatio uberius, ac prius factum erat, ibi exponitur, adjecto auctario luculento de *ordine equeſtri aurei velleris*. Familias nonnullas illuſtres, quarum genealogia in tabulis Rittershuſianis aut ſpicilegio Imhofiano nulla vel manca reperitur, fuſius nunc deductas invenias, e. c. *Lobkowizianam*, *Aurſpergicam*, *Schwarzenbergicam*, *Schoenburgicam*, *Waldſteiniam*, *Weiſſenwolfiam*, *Waſſenario-Bergenſem*, *Bronchorſtiam*, *Marcanam*, cui innexa eſt *Limburgio-Stirumenſis*, ac *Waltpodiam de Baſſenheim*. Ubi de Eccleſiaſticis Principibus agitur, anteceſſores eorum, qui impræſentiarum hunc ſacræ dignitatis gradum tenent, ab initio labentis ſeculi repetuntur, *Bruſchiique* adeo, *Bucelini* aliorumque catalogi ſupplentur. Accedit mantiſſæ inſtar, *nomenclatio* præcipuorum Imperatoris *Conſiliariorum* & *Miniſtrorum*, ac plerorumque geneſis proxima, conjugia liberique indicantur. Præter varios *indices*, qui volumini egregio ſubnectuntur, præmittuntur eidem *Addenda*, ut ante omnia legantur & ſuo quæque loco inferantur.

Adjiciamus in gratiam eorum, quibus ſtudia Genealogica curæ cordique ſunt, *Addenda* alia recentiſſima, quorum magnam partem ipſimet celeberrimo *Imhofio* in acceptis referimus.

Lib. II. c. VII. §. 20. ex *Speneri*, Theologi æque ac Polyhiſtoris famigeratiſſimi, prolegomenis Heraldicis adfertur clypeus Electoralis Saxonicus, qualiter nempe ſe habebat tempore Divi *Joh. Georgii II.* Nam *Joannes Georgius III.* Heros incomparabilis, in cuſpide ſcuti *Hennebergico* laterculo *Barbienſem* (Imhofio § 22. deſcriptum,) junxit. Nec alia inſignia in uſu ſunt moderno Electo-

ri potentisſimo, JOANNI GEORGIO IV, Domino noſtro clementiſſimo. Eodem libro & capite §. 12 notabis *Chriſtiano*, Duci Saxoniæ, Adminiſtratori Epiſcopatus Martisburgenſis, quem & Academia noſtra *Cancellarium* indulgentiſſimum veneratur,)natam quidem eſſe d. 6. Nov. 1692. filiam *Mariam Eleonoram Dorotheam*, ſed eandem quoque cœlo reddidiſſe animam d. 30. Mart. 1693. Ad *lib. II. c. IX. §. 4.* notetur, *Carolo Philippo*, Comiti Palatino, natam eſſe nuper admodum prolem fœmineam; at fratrem illius *Philippum Wilhelmum* vivis exceſſiſſe d. 10. April. ſt. n. a. 1693.

Agitur *libro III c. XXVII §. 2.* de Magiſterio ordinis S. Joannis per Marchiam & Saxoniam, cui d. 24. Febr. 1693. a Sereniſſimo Electore Brandeburgico præfectus eſt frater ejus conſanguineus *Carolus Philippus*, Marchio Brandeburgicus. Hinc occaſio celeberrimo Francofurtenſium Profeſſori, Joh. Chriſtophoro *Becmanno*, obtigit, tractatum accuratiſſimum de Magiſterio illo, prolixius nobis inpoſterum memorandum, componendi.

Ad *libri IV. caput II. §. 23.* adjicere operæ pretium eſt, *Joanni Wilhelmo* Duci Saxo-Iſenacenſi geminam prolem eſſe: *Wilhelmum Henricum* n. 10. Nov. 1691, & *Albertinam Joannettam*, natam 28. Febr. ſtyli veteris anno 1693. Itemque *l. IV. c. II. §. 35. Carolum Erneſtum*, *Joanni Erneſto* Duci Saxoniæ Salfeldenſi ex ſecundo thalamo natum eſſe d. 12. Sept. 1692.

Ad *lib. IV. c. VI. §. 25.* addere licet, quod *Chriſtiano Ulrico*, Duci Wurtenbergio in Bernſtadt, Delitſchii, (ubi ſocrus ejus, vidua Chriſtiani Ducis Saxo-Martisburgenſis, ſedem fixit,) d. 9. Mart. 1693. natam eſſe filiam, *Sibyllam Eliſabetham*.

Ad *lib. IV. c. VII. §. 19. Erneſtum* Landgravium Haſſiæ, (ſubſeniorem Principum S. R. I.) deceſſiſſe $\frac{3}{17}$ Maji 1693. Moxque ad *§. 26.* ut & *lib. V. c. XIV. §. 25. Philippum* Landgravium Haſſiæ e linea Darmſtadienſi uxorem duxiſſe Bruxellis d. 25. Mart. 1693. *Mariam Eleonoram Joſephinam de Croy*, Ferdinandi Franciſci Joſephi Ducis de Havré gnatam.

Comitiſſa de *Thun*, quam *Antonio* Jun. Com. de Montfort nupturam eſſe dixit Imhofius in *Addendis* ad *Lib. VII. c. IX. §. 6*, nomen habet *Mariæ Annæ*, & filia quidem eſt Comitis *Maximiliani*, fratris Archiep. Salisburg. ſed e priore ejus uxore, Maria Franciſca

ciſca C. de Lodron nata; *Liechtenſteinia* ſecunda ejus uxor fuit; jamque in tertio vivit conjugio cum *Maria Adelheide* C. de *Preiſing*, Supr. Cubicularii Electoris Bavar. filia.

De fratre dicti Maximiliani conſanguineo, *Michaele Oſwaldo*, C. a Thun, (cujus in *Mantiſſa* Sect. II inter Conſiliarios Imperatoris intimos mentio facta eſt,) notari poteſt, eum an. 1688. morte Lodroniæ viduum factum, ſecundis duxiſſe nuptiis *Ciciliam* C. de Thanhauſen, atque e priore uxore præter gnatam, Principi Liechtenſteinio nuptam, aliam adhuc habere *Magdalenam*, a Com. de Sereni ductam.

Ad *Lib. VIII, cap. VII*, §. 2. & *Mantiſſa ſect. II.* notetur, quod *Chriſtophorus Wenceſlaus* C. de Noſtiz uxorem habeat *Mariam Julianam* Com. de Mettich, & ex ea filios duos, totidemque gnatas, videlicet *Joh. Carolum*, *Joh. Ottonem*, *Johannam* & *Julianam*.

Ex *Wilhelmi Johannis Antonii* C. a Dhaun liberis, in Mantiſſa Sect. II. enumeratis, vivere deſierunt *Anna Barbara Catharina* & *Michael Euſtachius Laurentius*; ſuperſtitum numero vero addendus *Henricus Dietericus Martinus*.

Joh. Chriſtophorus C. de Rothal, qui in Appendice chorum Conſiliariorum Imperatoris intimorum claudit, e priore uxore præter *Joh. Sigismundum*, maritum *Mariæ Maximilianæ Beatricis* Pr. Liechtenſteiniæ, & ex ea duorum jam filiorum patrem, genuit quoque *Mariam Eleonoram*, Chriſtiano Nicolao L. B. de Pranckh nuptam & *Joh. Joſephum*; e ſecunda vero conjuge *Maria Suſanna* C. de Khuffſtein ſuſcepit *Mariam Franciſcam*, *Mariam Annam* & *Leopoldum Ferdinandum Antonium*.

Senatui Intimo Imperatoris adſcriptus nuper eſt *Georgius Sigfridus*, *C. de Dietrichſtein*, & d. 10 April. juramentum dixit. Mantiſſæ ſectioni III. p. 487. adde recens creatos Conſiliarios Imperiales Aulicos, introductos 7. Majiſt. n. 1693. *Leopoldum* C. Dietrichſteinium, *Wilhelmum Franciſcum* Baronem de Neſſelrod, *Aloyſium Raymundum* C. ab Harrach, & *Fridericum Erneſtum* C. de Solms-Laubach, magnum ante paucos annos Academiæ noſtræ decus. Die ſequenti idem honoris faſtigium conſcenderunt *Maximilianus Guidobaldus* C. de Martiniz, *Carolus Franciſcus* C. ab Hoyos, & *Franciſcus Tucci*.

Ferdi-

Ferdinandus M. de gli Obizzi, (de quo *Sect. IV. Mantiſſæ*) in tertio jam vivit conjugio: namque poſt *Mariam Thereſiam Palſiam*, duxit *Annam Mariam Eliſabetham*, *C. de Rathmansdorf*, e qua filium habet *Leopoldum*; tertiùm vero *Mariam Claram Apolloniam Stahrenbergiam*, quæ primo Maximiliano C. de Lannoy, deìn Fr. Leop. Wilh. C. Slavatæ nupſerat. Frater *Ferdinandi* natu major uxorem habet e familia Comitum *Allegri*.

PRACTICAL DISCOVRSE CONCERNING A Future Judgment.

i. e.

DISCURSUS PRACTICUS DE JUDICIO EXtremo, autore Wilhelmo Sherlock Th. D. & ad D. Pauli Decano.

Editio ſecunda. Londini apud W. Rogers, 1692. pl. 28. in 8.

COnciones ſunt, quæ hoc exhibentur Volumine, ad dictum Pauli Act. 17. v. 31: *ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem*, &c. Habuit earum aliquot Autor Clariſſimus coram Regina, eique dedicavit univerſas. Perſuaſus autem pluribus prodeſſe hanc ſuam poſſe operam, in juſti Tractatus formam redegit Homilias. Judicii vero extremi certitudinem primo demonſtrat tum ex ratione, tum ex Scriptura S. Porro ad convincendos Atheos quatuor utitur argumentis. 1. Quoniam homo ad reddendam rationem ſit aptus natus; eſt enim ratione inſtructus, habet legem ſibi præſcriptam, libero utitur arbitrio, & ſubordinatur Enti ſuperiori, quibus maxima ex parte bruta deſtituta ad rationem reddendam vocari nequeunt. 2. Quia eſſentialis inter bonum malumq; detur differentia, & utrumque deceat maneatque ſua merces. 3. Probat ex variis providentiæ divinæ actibus, qui univerſale illud Judicium præcurrunt. Quanquam enim Athei eam confuſionis & injuſtitiæ arguant, indeque probare velint, neque Deum eſſe, apparere tamen Autor ait, eam juſtiſſime ubique procedere. Nam 1. ita juſtitia Divina mercedem ſtatuit operibus humanis, ut virtus etiam ſui ipſius ſit præ-

præmium, & peccatum ſui ipſius pœna. 2. Habet Deus judices in terra ſubordinatos, Magiſtratum nempe civilem, qui non minus eſt providentiæ quam juſtitiæ ejus miniſter, ſecundum leges ipſius præmia bonis pœnasque malis reddens. 3. Si Magiſtratus ſuum negligat officium, Deus extraordinarie in ſingulas perſonas integrasque respublicas ſuum exercere judicium cernitur. Quoniam vero divina juſtitia non plenam hic unicuique retribuit mercedem, neceſſe eſſe Autor exiſtimat, ut generale quoddam inſtituatur judicium. Nam neque boni in hac rerum terrenarum vanitate conſtituti, atque tanquam in ſchola ſeu palæſtra commorantes virtutemque exercentes, præmia recipere queunt, ſed correctionibus multis egent acerbis ob carnis luxuriem: neque impii adhuc ſub ſpe converſionis degentes, piorumque interceſſionibus fruentes, plecti ſecundum merita poſſunt, ſed caſtigantur ſolum, quaſi a paterna manu; multis etiam afficiuntur beneficiis, quoniam & his in eorum correctionem cooperari vult Deus; ita tamen mixta cum miſericordia eſt ſeveritas, ne ullus impius absque iræ divinæ metu vivere, ſeque ab omni pœna immunem fore ſperare queat. Illam ergo Atheorum objectionem, hic malis bene, bonis autem male eſſe, inepte contra providentiam divinam proferri, egregium autem eſſe pro futuro judicio argumentum docet. Providentiæ enim finem non eſſe mercedem unicuique debitam referre, ſed tantum conſervare genus humanum, excitare ad virtutem, & coercere impietatem, vindictæque divinæ exemplis docere mortales, Deum timendum eſſe. 4. Ex conſcientiæ noſtræ dictamine, cujus accuſationes ſint quaſi extremi judicii præludia, futuri judicii certitudinem probat.

42. 44. 54. 60. 52.

Argumenta ex Scriptura ſacra deprompta ceu vulgo nota omittimus, & ex poriſmatibus Homiliſtarum more inde deductis, ſolum obſervamus, improbare Autorem temerarium de viventibus mortuisque, quibus & gentiles annumerat, judicium. 65. 116.

Tempus judicandorum hominum duplex eſſe refert quidem cum Orthodoxis modernis omnibus Autor, ſcilicet judicari homines & ſigillatim, cum a corpore diſcedit anima, & univerſim omnes in die illo extremo: aſt fatetur ſe hic pendere animo, & cum vivamus ea ætate, qua in dubium vocentur omnia, minime p. 153.

Digitized by Google

decere asserere, quod probari nequeat; infringere enim assertionem ejusmodi tum asserentis existimationem, tum religionis Christianæ Divinitatem: prudentem vero virum nolle dogma receptum convellere, si nullam habeat consequentiam malam comitem. Ait itaque ingenue, se neque defendere posse, neque rejicere particulare hoc hominis judicium, ut in sensu communi traditur; attamen velle promere, quæ de eo juxta Scripturam, Patrumque opinionem dici queant.

154. 1. In parabola de Lazaro & divite videri, illum in quietis locum per Angelos delatum, hunc autem ad inferos dejectum esse. Paulum etiam speravisse, se aliosque fideles post mortem cum Christo fore, Philipp. I. 2 Corinth. V. adeoque locum inter beatorum damnatorumque mansiones medium in Scriptura non reperiri.

157. 2. Omnia Scripturæ loca non nisi de unico eoque magno illo judicio loqui, ad quod Filius hominis sit venturus seu descensurus: si fortassis excipias Ebr. IX. 27, quæ tamen verba non immediatum post mortem inferre judicium Autor existimat. Ideoque argumentatur: quod si homines singuli illico post mortem judicentur, rationem reddi non posse, cur denuo solenniter in extremo die sint judicandi. Conatur igitur demonstrare, particulare judicium minime fieri, tum quoniam Lazarus & dives judicati non dicantur; damnandi etiam Matth. VII. 22. 23. submisse orent judicem, ut acceptet opera sua, & XXV. 44. excusent charitatis operum omissionem. Concludit ergo verisimilem videri opinionem *Irenæi* ac *Tertulliani*, pios non ante corporum resurrectionem cœlestem ingredi patriam, sed in paradiso seu Abrahæ sinu detineri, & quiete quident frui atque visione Dei; at perfecte beatos minime esse; quod Patres illi Christi exemplo, post resurrectionem demum in cœlos ascendentis, probare annisi sint. Damnandos interea in eo, ubi detinentur, loco, excruciari quidem, ast vana quadam spe, qua hic sueverant, se lactare, tandem se liberatum iri, ideoque ingeminaturos olim, Domine Domine! &c. Matt. VII. Sic Autor putat optime declinari posse Atheorum objectiones contra judicium duplex, & superfluum & incongruum; Pontificiorum quoque pro astruendo purgatorio sanctorumque invo-

166.

161.

167.

Digitized by Google

invocatione ex Patrum dictis, quæ eruditorum non capiat vulgus. Ne autem quis dicat, injicere dogma hoc pietati impedimenta, oſtendit contrarium vel ex illo, quod veteres crediderint ſolos Martyres ſine mora in cœlum ſuſcipi, & ſic auditores ſuos non ſolum virtutis, verum & Martyrii fecerint amantiſſimos avariſſimosque.

Quoad judicii univerſalis tempus ait Autor, non exiſtimandum, Deum celerem fore in deſtruendo mundo, quem condiderat optimum: prohibere id enim tum ſapientiam, tum bonitatem ejus. Ideoque ut deſtruat mundum, judicet homines, atque in æternum damnet improbos, prærequiri hominum ejusmodi malitiam, quæ nullis ſeu iræ ſeu benignitatis divinæ operibus corrigi velit; oſtenditque ex collatione ætatis ante diluvianæ, & dictis II. Tim. III. 1. 2. Luc. XVIII. 8. Matt. XXIV. 10. 11. II. Theſſ. I. 8. Ebr. X. 27. & Apoc. III. 14. (ſi verum ſit, epiſtolas illas ad ſeptem eccleſias, ſeptem univerſæ eccleſiæ repræſentare ætates, hæc epiſtolarum autem ultima terrimum ejus exhibeat ſtatum) & aliis, generationem ultimam fore omnium peſſimam, ideoque haud amplius permiſſurum Deum, ut orbis continuo ſit nequitiæ officina, atque impietatis ſeminarium. Potuiſſe quidem orbem deſtruere Deum Noachi ævo: aſt quoniam ſupererant nova gratiæ media & reconditi ſapientiæ theſauri adhud revelandi, noluiſſe niſi illis prolatis & ab improbis pervicaciter rejectis, delere mundi totius machinam. 176. 181. 189.

Definitum tamen judicii diem neminem ſcire, ex Chriſti aſſertione perhibet Sherlockius: credi ſaltem cum fine mundi conjunctum fore, in quo creatura non ſolum liberabitur a ſervitute corruptionis, Rom. VIII. ſed & terra iſta peribit novaque creabitur, Petro, Jeſaia, & Johanne in Apocalypſi teſtibus: quæ tamen myſteria eſſe, & a nemine perfecte intelligi agnoſcit. Ex illo tatem Pauli dicto, II. Theſſal. II. 2. nondum inſtare diem Domini aſſerit; reſtare enim adimplenda, quæ de Antichriſti deſtructione & Judæorum converſione vaticinati ſunt Apoſtoli. Præterea etiam modeſte fatetur, ignorare ſe, quid per mille annos Chriſti in terris regnaturi indigiter Joannes, optatque, ut tam prope hic adſit dies Domini, quam ſibi perſuadent eruditorum nonnulli. 209. 212. 220. 222.

De Judicis perſona, obſervat Sherlockius, Chriſto a Patre 228.

hoc demandatum esse judicium, ut se credentium esse Salvatorem vere demonstret. Nam uti per Prophetæ Sacerdotisque munia justitiam ipsis acquisivit, & a peccatis eos liberavit: ita per Judicis officium beatitudinem ipsis addicet salutemque impertiet, i. e. eos salvabit. Apparebit autem ut Filius hominis, i. e. visibiliter, seu in humana natura gloria divina cincta, quo ab omnibus videri queat, improbique convincantur de Deitate ejus omnibusq; divinæ sapientiæ, bonitatis & justitiæ actionibus. Nam licet sine Judicis aspectu damnari, æternisque subjici tormentis possint, ne tamen & hic Athei hæreant, sortemque suam fortunæ seu casui ascribant, necesse esse ut ex apparitione Judicis manifesta convincantur, atque conscientiæ vermem secum ad inferos deferant. 245.

Regula juxta quam homines judicandi sunt, verbum Dei esse dicitur, non tamen Lex sed Evangelium. Operosus itaque est Autor celeberrimus in conciliandis Apostolorum assertionibus, quibus ex fide sine operibus justificari, & secundum opera judicari dicimur: statuitque, quod quoniam Deus acceptet piorum in Christum fidem, fides autem vera Deum amet, timeat, & sincere legi ejus obediat, non officientibus innumeris infirmitatibus, dicamur recte justificari salvarique per gratiam; judicari autem secundum opera, quoniam juxta illa dispescimur in pios & impios, & hi recipiunt dignam peccatis suis mercedem, isti vero non mercedem quam peccatis meruerunt, sed eam beatitudinem, quam gratia Dei dare decrevit piis, Christus autem promeruit. Et per hanc explicationem putat Sherlockius, gentilibus aliquem patere accessum ad æternam salutem: nam quoniam non secundum fidem, sed opera sint judicandi homines, hæcque norma judicii omnibus judicandis maxime sit adæquata; elucere existimat, quod & ipsis spes quædam sit residua. Christum enim durum non esse Dominum, nec metere ubi non sevit, & in omni gente, qui timet eum, acceptum esse illi, Act. X. 35. neque esse acceptionem personarum apud Deum. Quicunque enim sine lege peccarunt, sine lege peribunt, Rom. II. 11. Propter Christum quidem fide apprehensum remitti peccata; ast non semper fidem in Christum explicitam requiri ad salutem, multaque hominum millia absque ea salvatum iri. Hæc referre, uti ἔργον nostrum est, ita dijudicare aliorum esto. Addimus saltem quæ Autor doctissimus de Diabolo non in inferno, sed 359. 351. p. 362. 164.

in

in aere existente ex Eph. II.2. affirmat, & Petri verba II. Epist. II.4. σειραῖς ζόφου ταρταρώσας non per detrusionem in infernum, sed dejectionem ex atherea regione in hanc inferiorem, aeream, quæ respectu illius tenebricosa dici possit, explicat; confirmans insuper ex legionis illius Matt. VIII .29. tormenta ante tempus deprecantis vocibus, ut & Jacobi assertione, dæmones credere & contremiscere, i. e. ut vult Sherlockius, expectantes judicium condemnationemque suam, nondum spiritus illos a Deo deficientes, æternis inclusos carceribus detineri, sed adhuc liberrime per orbem vagari.

NOUVELLES OPERATIONS DE CHIRVRGIE &c.

i. e.

Novæ Operationes Chirurgicæ &c. Autore Josepho de la Charriere.

Parisiis, apud Danielem Horthemels, 1692. in 12.

Constant plagulis 15.

TAmetsi Autori nostro Synthesis, Diæresis, Aphæresis & Prosthesis operationum chirurgicarum quatuor tantum summa sint genera; speciatim tamen operationes Chirurgicas, una cum morborum natura & causis, nec non medicaminum operationibus, exponens, eum potius ordinem, qui Parisiis Medicorum pariter atque Chirurgorum scholæ familiaris quidem esse solet, multas nihilominus operationes negligit, observat. Etenim postquam paucis indigitavit, quæ Chirurgus circa hominis operam suam postulantis temperamentum, dispositionem ac partem affectam nosse debeat, mox a *saturis* incipit. Hinc ad operationes, infimo, medio & supremo ventri dicatas, *Paracentesin* videlicet *abdominis*, *Chirurgiam herniarum*, *phimoseos*, & *paraphimoseos*, *Lithotomiam*, *Incisionem fistulæ anus*, *Paracentesin thoracis*, *Cancri extirpationem*, *Bronchotomiam*, *Chirurgiam fistulæ lachrymalis & polypi*, *cataractæ depositionem*, *atque Trepanationem* progreditur, in operationibus demum iis, quæ artubus imprimis debentur, ac *aneurysma*, *artus amputandos*, *panaritium*, & *ventosarum usum* respiciunt, finiens. Suturarum species non nisi tres edocet utiles, nempe interscisam tum simplicem, (*entrecoupée*;) tum quæ vel spleniis simul vel

pennis adhibitis peragitur, Gallisque *enchevillée* & *emplumée* denominatur ; ac intortam (*entortillée*) labio leporino uniendo appropriatam. Specialius tendines quoque qua ratione consui filumque supra splenia firmari debeant, cum aliis circumstantiis suggerit ; gastroraphiæ autem vice in vulneribus abdominis futuram itidem interscissam simplicem, duplici saltem acu filum per utrumque vulneris labium extrorsum ducente peragendam, commendat. In abdominis paracentesi administranda lanceolæ, aliis quæ placet, acum parvam triangularem cannula stipatam & *trocar* a Gallis dictam, merito præfert. Sectionem enteroceles circumspecte aggreditur, incidendo scrotum juxta femur secundum tumoris longitudinem, usque dum intestinum appareat ; tum separando hoc caute, ubi adhæresçat ; pergendo denique ad annulos in musculorum obliquorum tendinibus constrictos successive dissecandos, quo spatium reponendi intestinum prolapsum habeatur. Testiculum quippe per castrationem haud exscindit, nisi vel intestinum testiculo nimium adnatum, vel testiculus ipse insigniter aut contusus, aut varicosus fuerit, viresque medicamentorum resolventium eluserit omnes. In hydrocele, totum scrotum si occupet, paracenticam adhibet acum ; si vero in vaginali tantum testiculi tunica unius plerumque lateris hæreat, cauterio potius potentiali, quam lanceola, ne punctura lædatur testiculus, utitur, operationem tamen omnem, nisi fons remediis appropriatis exsiccetur, frustraneam pronuncians. Quam minori apparatu nonnulli perficere audent Lithotomiam, ceu intestinum rectum cum vesica valde lædentem, prorsus rejicit. Pro thorace perforando locum secundam inter & tertiam costam veram, numerationis initium ab inferioribus costis sumendo, ad quatuor digitorum ab inferiori scapulæ angulo & totidem a spina distantiam, seligit. Rationem autem operandi tradens, integumenta secundum longitudinem & per transversum musculi dorsi longissimi fibras, quod foramen alias pleuræ inflictum obturent, eademque ratione musculos intercostales in medio pro fistula evitanda, jubet incidere. Pleura tum apparente, scalpellum digito caute dirigendum, minusque profunde, ne pulmones aut diaphragma lædantur, esse adigendum ; digitum denique ipsi thoracis cavo immittendum, ut incisio æ-

que

Digitized by Google

que dilatetur, atque pulmones & diaphragma repellantur, ubique adhæreant, ſeparentur. Cancrum extirpandi duplicem ſiſtit modum, vulgatum alterum, alterum proprium, quo carnem cancroſam a cute, in crucis formam prius inciſa, ſolicite removet. Cranio per trepanum aperto, nares atque os vulnerati obturare ac exſpirationem cohibere præcipit, quo ſanguis duræ matri incumbens ope diaphragmatis & pulmonum expellatur. Si aneuryſma aperiendum vel artus amputandi veniant, id vinculi genus, quod torculari (*tourniquet*) pro lubitu conſtringitur, aptat. Ventoſarum & hirudinum uſum nihili faciens, venæſectionem aut diaphoreticum qualecunque illis, his vero in hæmorrhoidibus remedia emollientia & reſolventia longe anteponit. Tandem in generali vulnerum idea, operationibus hiſce adnexa, fideliter Chirurgum, quomodo tum in vulneribus cæſim punctimque inflictis, tum in tendinum, ligamentorum & oſſium, nec non ſclopetorum vulneribus ſeſe gerere debeat, inſtruit; quo autem ſæpius ſucceſſu affectuum naturam & cauſas viresque remediorum evolvat, præſertim ubi Chymiam in ſubſidium vocat, noſtrum merito judicium ſuſpendimus, utpote de ipſis hactenus operationibus magis ſoliciti.

ΚΕΡΑΣ ΑΜΑΛΘΕΙΑΣ.

ſeu

THESAVRVS REMEDIORVM E TRIPLICI REGNO &c. edente & curante Emanule König, Phil. & Med. Baſil. Societ. Leopold. Imperial. Natur. Curioſ. Avicenna.

Baſileæ, typis Emanuelis & Joh. Georgii König, A. 1693. in 4.
Conſtat plagulis 37.

OPuſcula hic congeſta haberi *quinque*, vel prolixior titulus indigitat ſolus. *Primum* ſiquidem medicamenta officinarum maxime Francofurtenſium occurrunt, tam ſimplicia, quam compoſita, a clariſſimo quondam *Joh. Jacobo Waldſchmid*, quoad geneſin, compoſitionem, vires, uſum, doſin & modum præſcribendi tradita

tradita. *Deinde* in Vigani Medullam Chymiæ ſiſtitur appendix Proceſſuum Chymicorum, quaſi hi ab Excellentiſſimo noſtro *Bohnio* in Collegio Chymico elaborati eſſent; quos cunctos tamen non niſi ab ejusdem Amanuenſi in uſum privatum conſignatos antehac fuiſſe novimus, idque, ne Viro laudato hujusque famæ error Editoris fraudi ſit, & ab aliis etiam Bohnio Opus, quod pro ſuo minime agnoſcit, tribuatur, monendum publicè duximus. *Hinc* Pharmacopœa Bateana Londinenſis exſcribitur, remediis miſcellaneis iisque formulis, quas Dominus Barbeyrac celebris Monſpelienſium Practicus certis in affectibus præſcribere conſuevit, adjectis. *Tum* Diatypoſis Pharmaceutica de Medicaminum præparationibus delineatur. *Tandem* Joëlis Langelotti & Emanuelis König Chymia exhibetur Phyſica, circa corporum naturalem & artificialem ſtatum, & imprimis aurum philoſophice triturandum ſive recludendum occupata.

ARCHÆOLOGIÆ PHILOSOPHICÆ, SIVE, DOCTRINA antiqua de rerum originibus, Libri duo.

Londini, impenſis Gualteri Kettilby, 1662. in 4.

Conſtant 48. plagulis.

AUctor Operis eſt Thomas *Burnetius*, qui dudum ſibi famam conciliavit *Theoria Telluris ſacra*, fuſius a nobis recenſita in Actis Eruditorum *anno 1682.* p. 70. & *Supplementorum* Tomo I. n. 6. p. 304. Cum quibus, ſi otium ſuppetat, conferre licebit Acta Erud. *A. 1686.* p. 522. *A. 1691.* p. 97. & 392. ubi tum Herberti *Croſti* & Eraſmi *Warreni* cenſuras, tum *Burnetii* vindicias adverſus Warrenum in compendium redegimus. Has *vindicias* excepere ſcripta alia *Warreni* & *Burnetii* amœbæa, quæ nondum vidimus, quorumque notitiam debemus ſoli catalogo novorum librorum, ſubnexo *Myſteriis Religionis vindicatis a Lucæ Milbourne*, editis Londini A. 1692. in 8.

Cæterum hypotheſes quas in Theoria ex ipſis rerum *cauſis* reducere ſategerat *Burnetius*, in præſenti opere *teſtimoniis veterum* philoſophorum confirmare nititur; neque tamen ea repetenda arbitratus

bitratus eſt, quæ ex eodem fonte hauſta libris duobus Theoriæ *prioribus* circa *originem* telluris parcius, in *poſterioribus* circa ejusdem *conflagrationem* & *reſtitutionem* prolixe ſatis adſperſerat. Diſpeſcitur tractatus præſens in *libros duos*. Horum *primo* ſingulas *gentes literatas* percurrit Auctor, cujusque *philoſophiam* & dogmata indagaturus, tam quoad mundum *magnum*, quam *ſublunarem*, tam quoad *cœlum*, quam *terras*, & utrorumque origines. p. 201

Diſtribuebantur veteribus gentes terræ in *Scythas*, *Celtas*, *Æthiopas*, *Indos*; h. e. ſeptentrionales, occidentales, meridionales & orientales. De Scytharum Phyſiologia nihil fere nobis conſtare queritur, nullumque eorum dogma innotuiſſe, niſi quod in communi antiquorum Philoſophorum ſententia de animarum immortalitate & transmigratione convenerint. Sola illa Mythologia Islandica olim conſcripta, cui nomen *Edda*, (edita a P. J. Reſenio L. V. D. Havniæ 1665. in 4.) continere videtur Burnetio quædam, antiquæ Septentrionalium Theologiæ, (cujus pars erat coſmogonia,) magis confinia, quam omnia ea, quæ ex Abaride, Iceſio aliisque didiciſſe ſe profitentur ſcriptores Latini aut Græci. *Celtarum* Druidas mundi & animorum πολιγγενεσίας ſtatuiſſe, Hetruſcos etiam periodos mundanas annumque magnum docuiſſe, probat. Gymnoſophiſtarum vero, qui apud *Æthiopes* claruerunt, nullum Phyſicum dogma ſupereſſe, fatetur. Quoad *Orientem*, *Seres* ἄθεοι quidem *Celſo* Origenis antagoniſtæ, & Dionyſio Periegetæ ἄθεα βάρβαρα appellantur, non quidem quod Numina, naturæ auctores ignorarent, aut liberalia ſtudia averſarentur, ſed quod ſtatuas forſan, aras, templa non haberent, & a commercio vicinarum gentium abſtinerent. Nuperius ſub Sinarum ſeu Sinenſium nomine nobis notiores facti, præter doctrinam Ethicam, quam a *Confucio* edocti maximi faciunt, de diluvio & ortu rerum ex ovo nonnullas Archæologias Philoſophicas tenere feruntur. Sequuntur in altera parte Indiæ celebres Brachmanes, qui, Strabone teſte, ſtatuerunt, mundum eſſe genitum & periturum, atque totius univerſi diverſa quidem eſſe principia, noſtrum autem orbem ex aqua conditum; quin & animæ immortalitatem & judicia poſt hanc vitam crediderunt, ac, referente Clemente Alexandrino, τὴν πολιγγενεσίαν. Mox tractat Autor de *Aſſyriis* ſeu *Chaldæis*. Horum

LIB. I.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

rum doctrina fuit, mundi materiam semper extitisse, ejus autem formam, ordinem & ornatum a divina providentia constitui, terramque esse scaphiformem & cavam. Explodit *Oracula Chaldaica* a Mich. *Psello* collecta, a Franc. *Patritio* aucta, ab Obsopæo denique, cum scholiis Plethonis & Pselli ex parte, recusa. Deinde pro-
c. 5. greditur Autor ad *Persas* eorumque Magos, inter quos præprimis clarus est Zoroaster. Hi etiam mundi periodos & renovationem
c. 6. docuerunt. Pergit hinc ad *Arabes* & *Phœnices*. *Arabibus* annumerat *Jobum*, *Reginam Shebæ*, quæ Salomonem visitatum venit, quin & *Magos*, qui Servatorem nostrum infantem adorarunt. Apud Arabes memorabiles fuerunt *Zabii* seu Zabaistæ, quos Autor pro iisdem cum Sabæis reputat, & inter Arabes usque ad Muhammedis ævum genuinos Noachidas superfuisse sustinet. Post tempora autem Muhammedis, Arabes Aristotelis doctrinam magno cum strepitu propagarunt; triplici simul, quod merito mireris, œstro perciti, *religionis* puta, *belli*, & *literaturæ*. Tandem vero hæc sapientia Arabica in meras fabulas degeneravit. *Phœnicum* gens maxime literata fuit, illique præter alia, ipsarum literarum inventio tribuitur. Circa illius Philosophiam nihil amplius superesse putat Autor, præter excerptum ex Sanchoniathone, quod conservavit Eusebius, ex quo patet, eum imprimis Cosmogoniam instituisse, sumto initio ab antiquo Chao; deinde Ἰλὺν primigeniam seminarium posuisse, unde provenerint prima rerum, quæ in superficie telluris genitæ fuere, stamina. De *Hebræis*, & antiqua e-
c. 7. orum *Cabala* acturus, in modernorum Cabbalam verbalem realemque, & sigillatim in *Cabbalam denudatam* Christ. Knorrii L. B. a Rosenroth, magno impetu invehitur, ac οὐδὲν ὑγιὲς toto suo ambitu complecti pronunciat. Si quid autem veri antiquæ Cabalæ reali adfuerit, hoc constitisse opinatur potissimum in rerum *Originatione* & *Gradationibus*, sive in modo productionis vel profluxus rerum a primo Ente, & earundem regressu aut resolutione in Deum. Nisi hoc modo explicetur, Cabalam Judaicam vel somnium esse sine sensu, vel somnium sine interprete; & quicquid olim fuerit, hodie esse instar salis infatuati, nec quicquam valere amplius, quam ut foras abjiciatur. Subnectit quædam in fine capitis Autor de *Essenis* sive Essæis, quos Brachmanum propaginem esse, ea-

demque

demque cum iis dogmata foviſſe, credit. Conſiderat poſtmodum *Ægyptios*, quorum magna & multifaria ſapientia a ſacris & profanis Scriptoribus celebratur. His deberi Geometriæ & Aſtronomiæ primam inventionem Autor autumat, Muſicæ etiam ac Medicinæ prima principia; ſed in primis tantum principiis ac dogmatibus practicis, quæ vitæ commoda ſpectant, ſubſtitiſſe, neque harum ſcientiarum Theorias compoſuiſſe; methodum autem, formam & diſpoſitionem ſcientiarum, & quicquid denique accurati ac methodici apud antiquos habetur, id totum Græciæ acceptum referri. Quoad Phyſiologiam, doctrina eorum fuit, mundum ſublunarem ex Chao eſſe formatum; Telluris figuram eſſe oviformem: mundi noſtri interitum duplicem ſtatuerunt, *ἀποκατάστασιν* quoque & periodos mundanas. In generalibus autem iſtis ſubſtitere Ægyptii, nec de phænomenorum particularium explicatione unquam laborarunt. Hiſce annectit Autor diſſertationem curioſam de Hermete Trismegiſto, & de columnis ac libris ſacris, quibus ſapientiam ſuam inſcriptam conſervarunt Ægyptii, ut & de duplici doctrinæ genere, vulgari & arcano. Omni enim ſtudio laborabant Ægyptii, ne ſecretæ ſuæ ſcientiæ in vulgus emanarent; & eum in finem non ſolum peculiari genere literarum, quod ſacrum vocabant, utebantur, ſed etiam ſummas difficultates iis, qui dogmata ſua diſcere cupiebant, præſertim exteris, objiciebant, ut ex hiſtoria Pythagoræ, Platonis &c. conſtat; denique hieroglyphicis formis, ſymbolis, ænigmatibus & fabulis omnia fere involvebant, quæ dum noſtræ ætatis eruditi exponere ac explanare tentarunt, magno conamine nihil egiſſe Burnetio videntur. Sed, ſi tanta fuit ſapientia veterum Ægyptiorum, mirum videtur, quomodo fieri potuerit, ut in idololatriam tam craſſam ac omnium fœdiſſimam hæc gens laberetur. Reſpondet Autor, ut divinam ſapientiam, ita humanam ſtultitiam eſſe imperſcrutabilem, nec ideo negandas eſſe res certas & conſtanti fide traditas, quod rationi contrariæ aut ſibi invicem oppoſitæ videantur; id quod exemplo doctrinæ Chriſtianæ de non habendis idolis, & praxi iconoduliæ Chriſtianorum Romanenſium, ſibi invicem contrariis, neutra tamen inficianda, dilucide probat, ac egregiam diſſertationem de mira pro- c. 8.

penſione humanæ mentis ad idololatriam inſtituit. Tandem vero in cauſas, cur omnis plane ſcientia in Ægypto extincta, inquirit, & *Scriptores* Philoſophiæ Ægyptiacæ qui deſiderantur, recenſet; id quod etiam in fine cujusvis capitis præcedentis circa ſingulas gen-
§. 9. tes fecerat. His præmiſſis accedit ad Græcos, ac primo teſtimoniis luculentis probat, Græcos ſuam ſcientiam tam circa Mathematica, quam Phyſica, a Barbaris, quos vocabant, accepiſſe: Mathematicarum tamen diſciplinarum non niſi rudimenta; eaque excoluiſſe, ac cauſas, rationes & calculos proprio ingenio addidiſſe: in diſciplinis vero Phyſiologicis non tantum initia rerum Philoſophicarum, ſed etiam lectiſſima dogmata & notitias præclaras a Barbaris ad eos perveniſſe; has doctrinas vero, ſimul atque in ſectas diviſi fuere, magna ex parte oblivioni eos tradidiſſe, & novas tentando methodos ineptas & infrugiferas, Philoſophiam humano generi inutilem reddidiſſe. In Philoſophia itaque Græca duplex diſtinguit intervallum, unum *ante*, alterum *poſt* ſectas introductas; intervallumque anteſectarium in tempus Poetarum & Philoſophorum. Primus Græcorum Autori eſt *Orpheus*, quem cum Moſe comparat, eumque de Deo & rerum originibus vera ac genuina tenuiſſe, ſed quo barbaris ac agreſtibus hominum animis ea paulatim inſtillaret, fabulis incruſtaſſe, duplicem etiam illam doctrinam, vulgarem & arcanam, habuiſſe autumat. Ex dogmatibus autem ejus Phyſicis hæc prædicat: univerſum ex æthere, tellurem ex chao orta eſſe; his duobus præfuiſſe tempus, ut omnis generationis menſuram; ſtellas fixas ex æthere aut igne compactas eſſe; quamlibet ſtellam eſſe mundum in infinito æthere ſuſpenſum; Lunam eſſe terram ætheream vel cœleſtem, & ἀντίχθονα ſive terram noſtræ oppoſitam; tellurem formatam eſſe ex chao, ovoque ſimilem; eam igne perituram eſſe, ſed renovatum iri. Diſputat denique contra G. J. *Voſſium* aliosque, qui crediderunt, Orpheum & alios quosdam ex veteſtioribus Poetis eſſe tantum nomina ficta; & Orpheum ſuum revera extitiſſe & maximum Philoſophum fuiſſe, multis argumentis probat. Orpheum
§. 10. excipiunt *Ionici*, & inter eos primus *Thales*, cujus notum dogma de aqua omnium rerum principio, in quo ei S. Petrum conſentire Autor putat. Anaxagoras autem huic materiæ fluidæ præfecit

Digitized by Google

fecit Mentem, tanquam ducem & præſidem, qua ex cauſa Philoſophus ipſemet a poſteris appellatus eſt νοῦς ſive *Mens*; modum vero, quo Mens hanc maſſam digeſſit, ex ſola ratione gravitatis explicuit, in vortices etiam diſpoſuit, vel a mente motrice diſpoſitam ſtatuit. Archelaus addidit, mundum animatum ἐκ τῆς ἰλύος genitum eſſe. In cognitione etiam corporum cœleſtium multum valuiſſe hos Philoſophos, Autor putat. Planetas iis fuiſſe corpora opaca, atque fixas ignea; habitari Lunam, & in ea eſſe colles & valles; eam a Sole illuſtrari; Solem autem eſſe maſſam ignitam & candentem. Subjungit Autor, illud unum de Mente, omnium rerum præſide & omnis motus principio, maximum eſſe & ſemper manſurum Philoſophiæ Ionicæ decus & ornamentum; & in eo etiam præclaros eſſe hos Philoſophos, quod materiale principium hujus mundi in particulis minutis & varie motis conſiſtere crediderunt; quamvis hoc poſterius aliter atque aliter expreſſerint. Ex his omnibus concludit Autor, Ionicis motum terræ, verumque mundi ſyſtema innotuiſſe, ſed eos doctrinam illam metu vulgi, qui corpora cœleſtia pro Diis habebat, ſummo ſtudio occultaſſe. Hac occaſione aliquoties emendare tentat *Diogenem Laertium*, in illis locis, quos nec nupera Meibomii editio caſtigavit. Sic *libr. II. ſegm. 8.* circa finem, βαθείας legit, pro πλατείας; itemque *l. II. ſegm. 17.* πηλῶδες pro πυρῶδες; quemadmodum inferius apud eundem Laertium *l. I. ſegm. 119.* in excerptis ex Pherecydis Theogonia, pro αὐτῇ Ζεὺς γῆν γέρας δίδοῖ, (aut, ut Meibomius edidit, αὐτῇ Ζεὺς γέρας δίδοῖ,) Burnetius reponere mavult: αὐτῇ Ζεὺς ὠγῆνον (vel ὠγῆνα, h. e. *oceanum*) γέρας δίδοῖ. Progreſſus itaque ad *Pythagoram* ejusque ſectam; hujus vera dogmata nobis obſcura eſſe dicit, ob duplicem, qua uſus eſt, doctrinam, vulgarem & arcanam. Eum quidem verum ſyſtema de Terra mobili & Sole fixo in cœli noſtri meditullio retuliſſe, ſed & *chaos* ſuppoſuiſſe, Mentemque huic præfeciſſe, per quam id in ordinem fuerit traductum ac redactum. Unde aut *Ocellum Lucanum*, (quia mundum quoad materiam & formam æternum ſtatuit,) Pſeudo-Pythagoræum, aut librum, qui ei vulgo tribuitur, ſuppoſititium eſſe, perſuaſus eſt. Verum ut Pythagoras propenſior erat ad res abſtractas & intellectuales, in abſtractis ſuis con- c. 11.

ceptibus aberraſſe, & in tradenda ſua Philoſophia numeris & ſymbolis numericis nimis uſum eſſe. Nota eſt Pythagoræ Tetractys, maximorum ſemper ingeniorum carnificina. Hanc, & quicquid de numeris Pythagorici docuerunt, in rerum natura omni fundamento carere, & nihil exinde veri ſolidique erui poſſe, Autor
c. 11. pluribus diſputat. Caput proximum continet ſectam *Eleaticam*, & *Stoicos*. Eleaticam, a *Xenophane* Colophonio inſtitutam, Autor dicit fuiſſe ſectam miſcellaneam, ex Philoſophis inter ſe diverſis compoſitam. Xenophanem tenuiſſe, mundos eſſe innumerabiles, & infinitos Soles, ac infinitas Lunas, noſtramque Lunam habitari inſtar Terræ; ſed omnes hos mundos eſſe æternos & ſine ortu; *Parmenidem* autem rerum ortum admiſiſſe, easque ex igne & terra, tanquam elementis, homines autem ἐξ ἰλύος ſeu limo ortum ſuum ducere judicaſſe. Sed mirum eſt dogma, quo quidam eorum omnem motum ex rerum natura abſtulerunt, eumque apparentem tantum, non verum, eſſe voluerunt. Hiſce annectit Autor *Leucippum* & *Democritum*, qui hypotheſin Atomorum primi invenerunt; quam, licet ſit falſa & male fundata, occaſionem tamen ſtrictius & accuratius philoſophandi dediſſe, exiſtimat. Agnoviſſe *Leucippum*, & poſt eum *Democritum*, motum terræ circa ſuum axem, & in prima telluris formatione cum maſſa fluida in corpus globoſum ſubſediſſe, hunc globum membrana quadam circumdatum fuiſſe cætera omnia continente, eaque primum uda & limoſa, poſtea indureſcente; quæ Autor ſecundum ſuam opinionem explicat. Sequuntur *Stoici*, qui diſciplina quidem Morali magis, quam Phyſica celebres fuerunt. Ex Phyſicis eorum dogmatibus refert Autor, notum illud de mundi conflagratione; credidiſſe eos quoque, Deum eſſe rerum omnium opificem, eumque λόγον δημιουργὸν & τεχνικὸν appellaſſe; materiam huic ſubjeciſſe pure paſſivam & inertem ſine vi & ſine motu; in mundo autem condendo diſtinxiſſe inter elementa, & principia. Quam doctrinam valde obſcuram & explicatu difficilem Autor judicat; putat tamen, per principia eos intellexiſſe ipſam materiam informem, eamque ἀσώματον dixiſſe & æternam credidiſſe, motu autem ei a Mente indito in varias rerum formas maſſam illam ſimplicem deductam fuiſſe; hisque ſuppoſitis Stoicos doctrinam ſuam inædificaſſe.

Digitized by Google

caſſe. Agmen hujus diſquiſitionis claudunt *Platonici*, *Ariſtotelici* c. 13.
& *Epicurai*. Platonem queritur Autor, res Phyſicas nimis abſtracte tractaſſe, adeoque mundo mirum corpus quoddam ex figuris Geometricis adaptaſſe, eique animam Mathematicam ex numeris & propoſitionibus conflatam inſeruiſſe. Sed hæc nihil niſi luſum ingenii continere, atque adeo Platonem in Phyſicis non magni æſtimandum Burnetius arbitratur, quamvis non paucas veras Archæologias, quæ hinc inde operibus ejus interſperſæ ſint, ex Ægypto ſecum retulerit; in Theologia autem & Diſciplina Morali divinum reputari. *Ariſtotelem*, cum ſchola ſua, nihil habere ſani & ſolidi, Autor noſter exiſtimat, eo quod is mundum ſtatuat æternum, tam quoad formam, quam quoad materiam; nec ſolum credat, cœlorum compagem & telluris molem ſempiternas fuiſſe, ſed homines etiam & animalcula, quæque in ſuo genere, marem & fœminam, genuiſſe & genita eſſe, ſine primogenito aut principio; omnem etiam terræ ſupellectilem nunquam non extitiſſe. Hoc dogma non modo irreligioſum, ſed tantum non ridiculum Autor judicat, & adſcripto ſchemate, ſecundum hypotheſin Ariſtotelis, id ſemet ipſum evertere probat. Quæ de rerum natura ſancivit dogmata, non minus falſa & ridicula eſſe pronunciat; & cum hæc ita ſe habeant, ſatis mirari non poteſt Autor Chriſtiani orbis ſtuporem, qui per tot ſecula hanc doctrinam unice amplexus ſit, hancque unicam eſſe cauſam dicit, quare majores iſti noſtrates tam ſteriles fuerint, nullosque in ſcientiis progreſſus fecerint, nulla inventa nullaque vitæ commoda attulerint. Exhibet tandem brevem conſpectum errorum *Ariſtotelis*, concluditque, eum ſibi ſemper fore *malum Aſtronomum*, *Theologum pejorem*, *Phyſiologum peſſimum*. Ultimus eſt *Epicurus* cum ſuo grege, quem Burnetius adſerit virum quidem ingenio haud vulgari, ſed parum eruditum, fuiſſe; vetera Democriti & Leucippi dogmata corrupiſſe potius, quam emendaſſe; cumque ſenſibus totus addictus, ſupremam veritatis normam exinde deſumendam eſſe ſemper putaverit, nihil ſani ſolidique circa Philoſophiam decernere potuiſſe. *Ariſtotelicam* itaque & *Epicuream* ſectas *feces Philoſophiæ* Autor reputat, atque a temporibus Platonis, usque ad initium currentis ſeculi, totum illud intervallum ἀφιλόσοφον fuiſſe cenſet, quia ætas

tas intermedia neque priſcam ſapientiam retinuit, neque novam
c. 14. invenit, niſi garrulam & ſine fruge loquacem. Hic Autor hiſtoriæ ſuæ Philoſophicæ finem imponit ; coronidis autem loco in origines utriusque Philoſophiæ, *Græca* & *Barbarica* inquirit. Græcam quidem partim ab exteris derivatam, partim ab ipſis Græcis inventam atque auctam eſſe dicit, ut jam antea c. 9. inſinuaverat. De ortu autem Barbaricæ duas refert opiniones. Prior vult, ab ipſis illis gentibus ſuopte ingenio eſſe inventam: altera, ab Hebræis fuiſſe deductam & derivatam ad reliquas gentes, a *Moſe* ſcilicet vel *Abrahamo*. Sed utraque opinione per rationes maxime probabiles refutata, dogmata illa antiqua generalia de mundi ortu & periodis &c. a communi Gentium & Judæorum parente *Noacho* primum proveniſſe, & per traditionem πατροπαράδοτον ad gentes barbaras propagata fuiſſe concludit.

Hæc ex libro primo Burnetiano excerpta ſufficiant. De altero dicendi locus erit in Actis menſe *Julio* publicandis.

JOBI LVDOLFI APPENDIX AD HISTORIAM ÆTHIOPICAM illiusque Commentarium, ex nova relatione de hodierno Habaſſinia ſtatu concinnata, &c.

Francofurti apud Zunnerum, 1693. in fol. plag. 8.

ILluſtris Auctor, quam ſemel cœpit telam, ſubinde pertexere ſtudet, ut Orbi literato pleniſſimam rerum Habeſſinicarum notitiam ſuppeditet. In quo ſtudio mirifice illum juvat *Societas India Orientalis Batavorum*, a cujus proinde laudibus præfationem ſuam orditur. Non quidem loquitur de mercibus, quas ultro citroque vehunt, ſed de novis regionibus, quarum multas, & in iis veteres fabulas Societatis nautæ detegunt ; ex adverſo, vetera nonnulla, pro fabuloſis habita, vera reperiunt. Si hodie alter aliquis Plinius novum Hiſtoriæ Naturalis opus condere vellet, adminiculo relationum hujus Societatis, inſigne quoddam Naturæ & Orbis Theatrum repræſentare nobis poſſet. Anno ſuperiori relationem naufragorum quorundam accepit *Ludolfus*, qui A. 1686. in Orientali Africæ littore, haud procul flumine Goa, ſub gradu 25

du 25. latitudinis auſtralis, in brevia *Terræ Natalis* compulſi, naufragium fecerant. Illi triginta millaria introrſum, & ultra 100. milliaria littoris Africani peragrantes, ut effugium quærerent, miras & ignotas hucusque gentes, Magoſes, Makriggas, Matimbes, Maponter & Emboos, invenerunt, partim feras, partim mites & hoſpitales; moribus plane inſolitis. Hottentotziæ quoque linguæ ſpecimina ad ſe miſſa ſcribit *Ludolfus*, eaque omnia publicæ aliquando luci daturum ſe promittit. Addit, nomen Chriſtianum, commerciorum occaſione, in remotiſſimis terræ partibus inclareſcere, & in Belgio paſſim notum eſſe, quid Robertus Junius in inſula Formoſa, cum adhuc Societati pareret, præſtiterit. Se in juventute ſua Delphis tabulas pictas vidiſſe, & audiviſſe, quomodo inſulanis illis Evangelium prædicaverit, & Catechiſmum ejus in lingua Formoſana adhuc poſſidere. Itaque Societatem defendit ab incuſationibus, quaſi nullam Chriſtianiſmi rationem haberet, ſed lucro tantum inhiaret. Splendidas ait & ſumtuoſas miſſiones, quas in Japoniam, Chinam & alias oras inſtituerunt, toti orbi innotuiſſe: coli eam vicisſim honorificis legationibus a Regibus & Principibus Orientis, e. g. ab Æthiopiæ Regibus, quorum epiſtolas hic publicat; quibus Societas pari urbanitate reſponderit, & *ἀντίδωρα* multo plura ac pretioſiora remiſerit, quamvis nec dum quæſtum ullum ex Habeſſinorum regionibus percepiſſet. Occaſionem vero, unde tanta Societati rerum Habeſſinicarum cura, & erga ſe benevolentia ſit, hoc modo exponit: A. 1679. Pragæ ad alloquium Imperatoris admiſſum ſe & monitum fuiſſe, ut viam ad amicitiam cum Habeſſinis in futuros uſus ſterneret. In hunc finem litteras commendatitias a Majeſtate Cæſarea ad Regem Angliæ Carolum II, & Fœderati Belgii Ordines ſe accepiſſe, quas ipſe deferret, & quæ mittendis in Habeſſiniam literis, aut alias neceſſaria forent, diſpiceret. Hinc orto A. 1683. gravi bello Turcico, iter illud ſuis ſumptibus ſeſe ſuſcepiſſe, memorem, Pium V. poſt maximam ad Echinadas victoriam navalem A. 1571. a Turcis reportatam, cum ad Regem Perſarum & Regem Arabiæ Felicis, (qui tamen utpote Muhammedani lege prohibentur, ne fidei ſuæ ſocios armis aggrediantur, quamdiu cum Gauris i. e. Chriſtianis bello conflictantur,) tum ad Mennam, Æthiopiæ Regem, literas dediſſe, ad arma contra Turcas conjungen-

da. In Anglia quidem a Rege se auditum, sed paucis verbis ad Societatem Indicam ablegatum, ab illius tunc temporis Præside cum literis suis (quas ad totam Habessinorum nationem Æthiopice scriptas imprimi curaverat) frigide exceptum fuisse: nec unquam postea resciviſse, an illæ in Indiam missæ fuerint, nec ne. At Ordines Fœderati Belgii efficacibus litteris (quas in fine præfationis integras exhibet,) Indicæ Societati se commendasse, quæ literas Æthiopicas, cum quæstionibus pro cognoscendo Æthiopiæ statu necessariis, ad Gubernatorem suum Generalem Bataviam miserit, a quo illæ porro Mocham ad Institorem Societatis curatæ fuerint, qui literas non solum in Habessiniam destinatas curaverit, sed etiam ad quæstiones modo dictas distincte responderit. Ante biennium fere rursum Moradum Armenium, qui A. 1675. in India fuerat, a Rege Habessinorum Bataviam missum, eique quæstiones illas propositas fuisse, responsiones autem ipsius Paulum de Roo, Secretarium Societatis, conscripsisse, & in Belgium misisse; nondum tamen Historiam, vel Commentarium, vel tabulam Geographicam Ludolfi habuisse, ut omnia plenius interrogare potuerit. Igitur ea nuper in Indiam misit, & plura posthac sperare jubet, ad amicitiam pro republica Christiana cum hac natione contrahendam. Interea novam hanc Moradi relationem in publicum edit, præmissis epistolis a duobus Habessinorum Regibus ad summum Batavorum in India Præfectum Arabice datis, quæ stylo moreque prorsus peregrino scriptæ sint, & pro consuetudine Orientalium omnem eloquentiam in exordio & titulorum encomiis consumant, ut cum ad rem ventum fuerit, totum negotium duobus vel tribus versibus absolvant. Quodolim Josephus Scaliger observavit, ingenue fassus, in iis interpretandis aquam sibi hærere: idem sibi in Latina versione κατὰ πόδας adornanda accidisse dicit Ludolfus, ut Oedipum prius, quam interpretem agere coactus fuerit. Postremo laudat Nicolaum Witsen, Consulem Amstelodamensem prudentissimum, Geographiæ promotorem haud vulgarem, & tabula cumprimis Geographica Septentrionalium Europæ & Asiæ partium hucusque incognitarum celebrem, a quo hæc omnia acceperit.

Prima Epistola scripta est a Rege Æthiopiæ *Aëlaf - Sagedo*, ad

ad Gubernatorem Generalem Batavorum in India, per Chovvagia-Moradum Armenium anno 1673. missa; *altera* ab *Adjam-Sagedo*, per eundem Legatum anno 1689. data. Utraque significat benevolum Regis animum erga Gubernatorem & Societatem, eumque muneribus aliquot testatum facit. *Tertia* Gubernator dari humanitate respondet, vicissimque munera mittit, splendida satis, & Habessinicis multò præstantiora. Ludolfus omnibus illis litteris *Notas* adjecit, quibus tum obscura vocabula Arabica illustravit, ea potissimum, quæ in Golii Lexico non reperiuntur; tum alia inseruit, ad explicationem facientia; e. g. de Belgica versione primæ epistolæ, olim passim per Europam sparsa, sed inscriptione Muhammedica, & inepto Regum Æthiopiæ titulo veteri suspecta; de nomine *Musulmannorum* perperam de *servatis* exposito; de vulgari Æthiopiæ Regum persuasione, genus suum a Salomone derivantium; de titulo *Chowagia*, nominibus virorum honoratiorum apud Armenios præmitti solito, q. d. *Signor Monsù* &c. Subjecta his est relatio ipsa, prout a Paulo de *Roo* ex ore Moradi excepta fuit, qui die 14. Maji A. 1691. in portu Bataviæ appulit, die 16. solenniter exceptus, & in hospitium destinatum deductus. Vir erat 74. annorum, sed robustus adeo & corpore validus, ut patinas pariter ac pocula, instar juvenis viginti quinque annorum, evacuaret; ex quo intelligebatur, victum & aerem Habessiniæ saluberrimum esse. Interrogatus de præsenti Habessiniæ statu respondit, regnum illud, cum A. 1689. ablegaretur, florentissimum fuisse, sine bello, nisi quod Rex ingentem exercitum parasset, ad contumaces duos reprimendos, quod facile factu foret. Addita nonnulla de vicinis Habessinorum. Plura autem de finibus & regnis Æthiopiæ Imperatori subjectis, post reditum in patriam mittere pollicitus est. De Regibus narravit, *Basilidem* spretis Latinorum sacris & pulsis Patribus Societatis, 32. annos quiete regnasse; multis victoriis potentiam Habessinorum, fere collapsam, redintegrasse, & regnum florentissimum reddidisse: *Johannem* filium ejus, cognomento *Aëlaf-Sagedum*, i. e. *millibus venerandum*, mitem & pacificum fuisse, armaque negligenter tractantem Gallæis occasionem latrocinandi dedisse, & quindecim regiminis annis nihil memorabile gessisse. Filium ejus

Jasu (forte *Josuam*) *Adjam-Sagedum*, i. e. *finium* (regni) *venerabilem*, anno 1680. imperium susceptisse, magnanimum, fortem, intrepidum, prudentem, & finium imperii sui ad littus usque maris proferendorum cupidum, terribilem se Gallæis cæterisque hostibus suis præbuisse: proceritatis eum esse insolitæ, annorum plus minus triginta; unicam tantum legitimam filiam habere, sed plures filios ac filias naturales. Porro statum rerum ecclesiasticarum ita depinxit Legatus, ut diceret, religionem in Æthiopia publice receptam & adhuc usitatam non aliam esse, quam veterem Alexandrinam, seu Coptitarum Ægypti, a quibus adhuc Abbuna seu Metropolita accersatur. Controversiam de duabus Christi naturis adhuc durare, & non ita pridem inter Theologos eorum acriter agitatam fuisse; quippe Germanum quendam, nomine *Petrum*, magna apud Reges gratia valentem, nonnullos eorum orthodoxam sententiam docuisse; plures tamen in antiqua opinione Ecclesiæ Alexandrinæ, de una Christi natura, tanquam antiquitus recepta, perstitisse: Regem vero, quamvis recentiorem sententiam ipse amplecteretur, altercationum istarum pertæsum, moderatioribus silentium, rigidioribus vincula imposuisse, atque sic turbas suorum sedasse. Petrum denique regno excedere jussum, in itinere mortuum esse. Addit Ludolfus, istum esse Petrum Heylingum Lubecensem, de quo in Historia & Commentario suo dixerit. De S. Cœna retulit Legatus, Habessinos eam sub utraque specie laicis porrigere, & multos ritus adhibere, quibus victimam Christi in corda communicantium imprimi prædicant, ac propterea Sacramentum hoc nominare *speculum sacrificii Christi*. At in notis testatur Ludolfus, se istud alibi non legisse. *Confessionem auricularem* & *ignem purgatorium* eos adeo detestari, ut qui talia asserere ausit, tanquam Pontificius periculum vitæ incurrat: Habessinos enim acerrimos Ecclesiæ Romanæ hostes esse, illique addictos in perpetuum ex regno suo proscripsisse, tanta sævitia, ut si quisquam eorum intraverit, ab incolis proximi pagi lapidandus veniat. Hinc exteris difficillimum accessum intro dari, præsertim hominibus albis, qui pro Lusitanis seu Pontificiis haberentur cum periculo vitæ. Turcas quoque adhuc possidere portus Maris rubri, & sedulo prohibere, ne exteri in regnum admittantur; qua in re Imperator

Habessi-

Digitized by Google

Habesſinorum nihil innovare paret, cui alioquin facile foret, junctis cum Rege Zeilano conſiliis & copiis, totum littus occupare, & Turcas, illud poſſidentes, fame premere, eosque expellere. Gallæorum vero, infenſiſſimorum quondam Habeſſiniæ hoſtium, furorem multum fractum eſſe, non ſolum quod Rex Habeſſinorum hodiernus, vivente adhuc patre, cum fratre majori diſcors factus, ad Gallæos confugerat, & multorum animos ſibi conciliaverat, eorumque mores & vires cognoverat, quibus poſt fratris mortem regnum adeptus dextre uſus eſt; verum etiam, quod multa Gallæorum millia, ſtupentibus Habeſſinis, ſolummodo in gratiam Regis, religionem Chriſtianam ſponte amplexi ſunt; quibus Rex de victu & commeatu large proſpexerit, & Sacerdotibus injunxerit, ne Gallæis, etſi parum adhuc inſtructis, Baptiſmum aut S. Cœnam negarent, ſi ſponte ſeſe ad iſta Sacramenta offerrent. Quæſitus porro Legatus de *ſervis Habeſſinica nationis*, reſpondit, nullos ex ea natione in ſervitutem abduci, quamvis Arabes eos ſic nominent, ut eo carius vendant: neminem enim in Habeſſinia ob egeſtatem a ſuis vendi; ſed qui inde adducuntur ſervi, aut devictos eſſe Æthiopes, aut feros Cafros, vel alios, qui contra Imperatorem Dominosve ſuos rebellarunt. Interrogatus tandem de *epiſtolis Æthiopicis* ad univerſam Habeſſinorum gentem directis, num in Æthiopiam pervenerint, retulit, filium ſuum epiſtolam quandam ex Europa miſſam Mochæ accepiſſe, in Habeſſiniam tuliſſe, Regique in manus dediſſe: aliam ex Ægypto miſſam miro caſu etiam in Regis manus perveniſſe. Quibus is obſtupefactus & plane attonitus verebatur, ne ſi in Metropolitæ aut Eccleſiaſticorum, vel etiam Procerum ſuorum notitiam venirent, in ſuſpicionem adducerentur, quaſi commercium quoddam ſecretum cum Francis, id eſt, Pontificiis Europæis coleret; idque eo magis, quod in literis ex Ægypto allatis extaret exhortatio ad reconciliationem cum Eccleſia & Pontifice Romano ineundam. Quapropter Rex illas epiſtolas, præſente Morado, manu propria cremavit, certisque mandatis præcavit, ne plures aliæ ſupervenirent. De epiſtolis illis non habet Ludolfus, quod certo dicat. In ſua quippe Æthiopica ante decennium impreſſa, ſe Reges Europæ Habeſſinis ignotos, Ruſſorum quoque Ὑπερόπτα & Respublicas ſimpliciter nominaſſe,

ſe, ſitum regionum deſcripſiſſe, religionesque, quibus uterentur, verbis plane διαφόρους narraſſe, *Reges*, inquientem, *inter ſe concorditer vivere, non obſtante ſacrorum differentia : quapropter Rex Regum Æthiopiæ, ſi voluerit, contrahere poterit conjunctionem charitatis & mutuæ amicitiæ cum illis.* Scopum ſcilicet palmarium ineundi adverſus Turcas fœderis ſe in animo habuiſſe : num vero Rex verba illa de reconciliatione cum Eccleſia Romana acceperit, vel an omnino exemplum unum ſuæ epiſtolæ per Ægyptum miſſum ſit, ſe cum maxime neſcientibus neſcire. His ſubjungit, quæ ex hac relatione in Hiſtoria & Commentario ſuo ſuppleri & emendari poſſint, clauditque deſiderio & promiſſione *Alphabeti univerſalis*, ſecundum quod omnia peregrina nomina ab omnibus Europæis uniformiter ſcriberentur & legerentur ; cujus ſpecimen inſigne dedit Meninskius in Theſauro linguarum Orientalium, quod ſequi decrevit Ludolfus, qui (ne & hoc omittamus) in altera folii titularis parte conſpiciendam præbet imaginem *Magnatis* cujusdam *Habeſſini*, ex India, ubi affabre depicta erat, ad ſe miſſam ærique inciſam, ut quæ de egregia forma corporis & liberali vultu Habeſſinorum in Hiſtoria ſua dixerat, hoc exemplo confirmentur.

FRIDERICI RAPPOLTI, DOCTORIS ET PROFESSORIS Theologi in Academia Lipſienſi, Opera Theologica, exegetica, didactica, polemica, in duos Tomos diſtributa : curante Joh. Benedicto Carpzovio S.S. Theol. D. & P. P.

Lipſiæ ſumptibus Hæredum Lanckiſianorum, 1693. in 4.
Conſtant Alphab. 12. & plag. 19.

INter Theologos, quibus Academia hæc Philuræa ſeculo imprimis noſtro exſplenduit, quemadmodum jampridem Hulſemanni, Carpzovii, Kromayeri, Geieri, Scherzerique in Eccleſia nomina celebrantur, meritiſſimo jure collocandus etiam venit FRIDERICUS RAPPOLTUS ; cujus uti ſingularis eruditio cum moribus ſanctiſſimis graviſſimisque conjuncta, in exiſtimatione, amore & gratia apud omnes viventem poſuerat : ita nunc etiam poſt ſupre-

ma

ma ipſius fata in honore eſſe meretur. Nec ejus memoriam depoſitura unquam eſt Lipſia, quotiescunque tot meritis ſe manibus beatiſſimis obſtrictam eſſe ſentiet. Cumprimis vero Academiæ noſtræ venerabile nunquam non hoc nomen exiſtet, utpote quam ab anno ſeculi quinquageſimo primo non tantum Profeſſione humaniorum literarum, ſed etiam ſacræ Theologiæ præclare exornavit, inſignibus præterea aliis officiis defunctus. Et primo quidem Dialecticæ, & aliquanto tempore poſt Poeſeos Profeſſor publicus conſtitutus, ſtatim magnopere inclaruit. Quantum enimvero in elegantioribus illis literis valuerit, non *Poemata* tantum ejus documento ſunt, a Viro ampliſſimo FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO jam olim collecta, quæ profecto ejusmodi ſunt, ut inventionum amœnitate, ſermonis puritate, aliarumque in ſcribendis carminibus virtutum præſtantia nemini non recentiorum comparari poſſint; nec tantum *Poetica Ariſtotelis* ab ipſo in compendium miſſa; ſed vel maxime *Commentarius* luculentus in *Horatii Flacci Poemata*, in quem quicquid in hiſtoria philoſophica & antiquitate repererat eximium, congeſſit: ut optandum omnino ſit, & *obſervationes* ejus in *Auli Gellii Noctes Atticas* adhuc manuſcriptas, ut & reliqua ejus opera Philoſophica, in unum volumen collecta, adjunctis diſputationibus, quas habuit, argumenti philoſophici, propediem etiam cum orbe erudito, uti jam prælo parata ſunt omnia, communicari. Sed ſublimioribus ſtudiis tantum ingenium debebatur, quibus etiam, quamlibet ingraveſcente jam ætate ad Profeſſionem Theologicam admotus, cum ſe unice dediſſet, cum omnium applauſu munus graviſſimum obivit. Ita enim res intricatas concinne, obſcuras perſpicue, & omnia cum limato judicio tradere conſueverat: ad hæc dictionis nitorem peculiarem adjunxerat, ut an rerum præſtantia, quas exhibet, an orationis elegantia, qua ipſas res eloquitur, pluris facere debeant, fere in ambiguo ſint lectores. Interim dolendum erat, quod ex quo Vir eruditiſſimus anno ſeptuageſimo ſeptimo, ipſis calendis Januariis, annum agens ſexageſimum ſecundum, tumulo ſuo illatus fuerat, opera ejus elaboratiſſima veluti diſparuiſſe aut in obſcuro deliteſcere cum ipſo viderentur; cum in publicum emiſſa haud exiguas eccleſiæ orthodoxæ utilitates adferre potuiſſent. Inde ſane factum eſt, ut quicquid horum in pluteis hæreret abſconditum, hinc inde a Viris

ſoli-

ſolidioris eruditionis amantiſsimis avide expeteretur. Iſtorum igitur ut deſideriis ſatisfieret, effecere nunc beatisſimi RAPPOLTI hæredes, non modicis dignitatibus omnes in urbe hac & alibi conſpicui, partes lucubrationum iſtarum e ſchedis manuſcriptis conquirendarum imponentes ſumme reverendo CARPZOVIO noſtro, Theologo celeberrimo; quas ille eo lubentius ſuſcepit, quod hac ratione vices aliquas Præceptori de ſe meritisſimo reddere ſe poſſe judicaret. Et profecto quid potuiſſet vel ad grati animi ſignificationem, vel ad famæ tanti Præceptoris amplificationem præclarius facere, quam, cum RAPPOLTUS tantum nobis in CARPZOVIO efformaſſet Theologum, qualem nunc ſuſpicit & veneratur Eccleſia, ipſe viciſſim operibus RAPPOLTI in unum corpus redactis famam ipſi nunquam intermorituram conciliaret, & quantis ingenii dotibus RAPPOLTUS a Deo cumulatus fuerit, cognoſcendum omnibus præberet? Quam dextre hoc officio perfunctus ſit, malumus ex ipſius operis exquiſiti inſpectione intelligere lectores. Et hoc quidem in duos tomos diſpeſcere placuit *celeberrimo Editori*, quorum unus inedita illius opera, poſterior edita quidem ſed in paucisſimorum manibus verſantia complectitur. Siſtuntur autem Tomo I. *Theologia Aphoriſtica Joannis*, *ſeu Commentarius abſolutiſſimus in Joannis epiſtolam primam*; *Obſervationes in epiſtolam ad Coloſſenſes*; *Obſervationes in epiſtolam ad Titum*; *Obſervationes Philologicæ in epiſtolam Judæ*; *Introductio in Articulos Viſitatorios*; *Papiſmus certis Aphoriſmis incluſus*; *Collegium diſtinctionum Theologicarum in controverſiis Calvinianis uſurpari ſolitarum*; *Oratio denique contra Naturaliſtas*. Cum vero ſtudioſi juvenes *ſecundæ* etiam & *tertiæ Joannis Epiſtolæ* interpretationem deſiderarent, a RAPPOLTO non abſolutam, defectum hunc ipſe CARPZOVIUS noſter, in illa plenius, in hac brevius, certo conſilio ſupplevit, utramque accuratiſsima enarratione, ut ſolet, illuſtrans. Tomo II. ſiſtuntur *variæ Diſputationes diverſis temporibus olim habitæ*: porro *Synopſis Controverſiarum in Epitome Formulæ Concordiæ occurrentium*, & denique *Programmata variis itidem occaſionibus evulgata*.

ERRATA.

In Actis Maji p. 209. lin. 22. pro *Ebitovium* lege *Elitovium*. Pag. 238. l. 17. pro *Georgius* lege *Gothofredus*.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno M DC XCIII.

BEDÆ VENERABILIS OPERA QVÆDAM THEOLOgica nunc primum edita, nec non Hiſtorica antea ſemel edita. Acceſſerunt Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis dialogus de Eccleſiaſtica Inſtitutione, & Aldhelmi Epiſcopi Scireburnenſis liber de Virginitate ex codice antiquiſſimo emendatus.

Londini apud Robertum Clavell, 1693. in 4. Conſtat Alphab. 2.

VEnerabilis Bedæ opera Pariſiis A. 1544 tribus tomis per Jametium, & A. 1554. ibidem octo tomis, totidemque tomis Baſileæ per Johannem Hervagium A. 1563, & Coloniæ per Antonium Hierat A. 1612. prodierunt. Ab eo tempore nonnulla Bedæ monumenta, quæ in iſtis tomis deſiderantur, lucem adſpexerunt. Epiſtolam Bedæ ad Albinum primo Analectorum Veterum tomo p. 9. inſeruit *Mabillonius*, qui etiam paulo poſt p. 51. genuinum Bedæ in Paulinas epiſtolas commentarium ab edito diverſum ſe aliquando in lucem prolaturum promiſit. Idem Mabillonius ex codice cœnobii S. Remigii Remenſis deſcripſerat Martyrologium Bedæ metricum, quod tomo 10. Spicilegii ſui *Lucas Acherius* vulgavit. Proſaicum autem Bedæ Martyrologium ab eo, quod inter opera ejus legitur, plurimum diſcrepans, *Henſchenius* & *Papebrochius* in Actis Sanctorum Martii tomo ſecundo præfixum ediderunt. Neq; hic ſilentio prætermittendus *Jacobus Wæus*, qui Dublinii A. 1664. Bedæ hiſtoriam de vitis Abbatum Wiremuthenſium & Girvvienſium, nec non duas ejusdem epiſtolas, quarum una ad Pleg-

vvinam data, tractatum ſuum de ſex ætatibus contra eos, qui iniquius de eo judicium tulerant, defendit, altera Egbertum, ad quem ſcripta eſt, de munere ſacro rite obeundo inſtruit, & nonnulla ſtatus eccleſiaſtici vitia perſtringit, una cum *Egberti* dialogo de Eccleſiaſtica Inſtitutione, publici juris fecit.

Horum exemplo de Bedæ monumentis etiam bene mereri voluit *Henricus Whartonus*, qui cum ante triennium, in auctario ad Uſſerii hiſtoriam dogmaticam controverſiæ de Scripturis & ſacris vernaculis, fragmenta quædam ex Bedæ in Geneſin expoſitione ejusdemque in Canticum Habacuci commentario excerpſiſſet, nunc duo illa Bedæ opuſcula e tenebris, quibus hactenus immerſa jacuerant, eruit, ne quis cum *Oudino*, *Colomeſio* aliisque, Anglorum genti exprobret, quod conterranei ſui Bedæ ſcripta penitus neglecta in bibliothecarum ſuarum forulis relinquat. Et Expoſitio quidem in Geneſin usque ad caput 22. progreditur, & a verſu 4. capitis 2. incipit, cum anteriora de hexaëmero tomo IV. Operum ejus legantur. Deſcripſit autem hanc Expoſitionem in Geneſin ex codice bibliothecæ Lambethanæ, in qua etiam duo exemplaria Expoſitionis in Canticum Habacuci invenit, quorum unum deſcripſit, alterius varias lectiones annotavit. Duobus his opuſculis nunquam editis ſubjungit ea, quæ a Waræo edita paulo ante diximus. Cum enim pauca editionis illius exemplaria in Angliam, & pauciora in alias regiones devenerint, & jam pridem a multis deſiderata fuerint, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit Clariſſimus Whartonus, ſi iſtam *hiſtoriam Abbatum Wiremuthenſium & Girwienſium* una cum *Egberti dialogo*, & duabus Bedæ epiſtolis denuo prelo ſubjici, & Waræi notas, quæ in Dubliniensi editione ad calcem rejectæ fuerant, locis ſuis reponi curaret. Addidit etiam *Aldhelmi* librum de laudibus virginitatis, non eum, qui ligato ſermone ſcriptus tomo V. Lectionum Antiquarum *Caniſii* legitur, ſed qui ſoluta oratione compoſitus in Monumentis orthodoxographis & Bibliotheca Patrum extat. Utrumque vitioſe editum celeberrimus *Gronovius* in Monobiblo obſervationum ad ſcriptores eccleſiaſticos c. 4. 8. 15. & 20. emendare aggreſſus eſt. Et metrici quidem tractatus emendationem ope manuſcripti codicis Oxonienſis ſatis feliciter ipſi ceſſiſſe Whartonus judicat; non æque correctionem tra-

tractatus alterius in prosa scripti, cum ea meris ingenii conjecturis nixa fuerit. Whartonus igitur elegantissimum hunc Aldhelmi tractatum ex antiquissimo codice Lambethano nitori suo restituendum duxit. Aliud exemplum manuscriptum suppeditavit ipsi bibliotheca ecclesiæ cathedralis Sarisburiensis, ex quo indiculum capitum descripsit, cujus ductu hunc tractatum in plures sectiones distinguere ipsi placuit.

ARCHÆOLOGIÆ PHILOSOPHICÆ.

Londini, 1692. 4.

BUrnetiani hujus operis partem primam proximo mense Julio p. 272. recensuimus. Nunc de *libro secundo* pluribus dicendum. LIB. II.

Nimirum *Theoriam* suam *telluris* Veterum auctoritate omni ex parte confirmaturus Autor, incipit a *Chao*. Hoc existimat Mosen intellexisse per suum *Tohu VaBohu*, hancque interpretationem consensu Judæorum & Christianorum quamplurimorum statuminat. Ethnicos quoque omnes, tam Poetas, quam Philosophos, in suis sive Theogoniis sive Cosmogoniis, terram ex antiquo chao deduxisse, nec ejus æternitatem, (præter *Aristotelem*, & paucos *Pseudo-Pythagoræos*,) ullum aperte adseruisse. Sed non solum Chaos pro primo fundamento posuisse, verum etiam varias in eo statuisse mutationes, novas exinde orientes formas, chaosque mundanum in varios orbes & orbiculos divisum. Hoc intelligere eos, quando dicunt a *Lite* incepisse, ab *Amore* esse perfectam hujus mundi formationem. c. 1.

Mox probatum it Autor, terram fuisse olim alterius formæ ab hodierna, & alterius ad cœlum situs: eapropter notat, in S. literis triplicem describi mundi naturalis statum, præteritum, hodiernum & futurum; ita distingui a S. Petro, 2. Ep. c. 3. v. 5. 7. & 13. Idem denotari ab Apostolo Paulo ad Rom. c. 8. v. 19. seq. dum distinguit inter mundum vanitati nondum subjectum, vanitati subjectum & a vanitate redemtum vel liberatum. Hanc futuram mundi instaurationem, quæ triplicem illum statum involvit, dici a S. Petro *Act. 3. v. 21. ἀποκατάστασιν*, & a Christo *Matth. 19. 28. παλιγγενεσίαν*. Sed quia animadvertit Autor, locum illum Pau- c. 2.

li a multis allegorice exponi, late eum explicat, & pro literali ſenſu acriter diſputat, tum Doctores antiquos pro ſua ſententia allegando, tum argumenta contraria refellendo. Obſervat, Ethnicos veteres *periodos* quidem *mundanas* ſtatuere, ſed earum *numerum* non definire; proxime tamen ad doctrinam Chriſtianam accedere illam Zoroaſtri, quam inſeruit Theoriæ l. 4. c. 5. Quod autem
c. 3. terræ primigeniæ alia fuerit forma, concludit Autor ex *2. Petr. c. 3.* quando Apoſtolus dicit, antiquum mundum in diluvio periiſſe; ex quo loco Autor multas rationes pro ſua ſententia confirmanda elicit, adducto etiam teſtimonio S. Auguſtini. Formæ autem diverſitas in eo conſiſtit, quod mundus ille, ut Apoſtolus loquitur, *ex aqua & per aquas* conſtiterit, vel ſecundum verba Sapientiæ *Prov. 8. 27.* paratus fuerit per modum *orbis ſuper faciem abyſſi*, atque ex hac cauſa obnoxius fuerit diluvio. Parcius quidem apud veteres tractari ait caput de *forma telluris*; comparari tamen ab iis tellurem *ovo*, & ex Chriſtianis quosdam terram olim æquabiliorem, quam nunc eſt, ſi non penitus æqualem, ſtatuiſſe. In ſe-
c. 4. quentibus Burnetius verſatur circa naturam, modum & cauſas *diluviorum*, maxime *univerſalis*, quod nempe in Theoria pariter ac hoc loco autumat ortum ex diſſolutione orbis ſuperabyſſini ejusdemque delapſu in ſubjectam abyſſum magnam. Id patere cenſet non tantum e dictis Moſis, Jobi & Petri, ſed etiam ex *Pſal. XVIII. 8. 9.* ſeqq. ubi æque ac apud Philonem terræ motus fulguraque ac fulmina inter *cataclyſmi* cauſas referuntur, juxta Autorem noſtrum. Quemadmodum enim eccleſia apte confertur arcæ Noachi, ita David eccleſiæ perſecutiones deſcripturus, a diluvio œcumenico ſchema petiiſſe cenſetur. Quumque particularia diluvia, v. g. *Sodomiticum*, *Deucalioneum*, *Helices* & *Buræ*, aliaque contigerint, quando tellus voraginoſa & cavernoſa terræ motu diſrupta ac in ſubjacentes lacus delapſa eſt: ita ſimilem orbis primigenii formam imaginatur ſibi Burnetius, ut diluvium univerſale non abſimile evadat particularibus. Conſiderat deinceps ſitum Telluris ra-
c. 5. tione Solis, ſupponitq; id, quod in Theoria probaverat, ſitum telluris primævæ fuiſſe rectum, poſito retentoque ſemper ejus axe in linea parallela ad axem eclipticæ; ex quo ſequitur, motus cœlorum omnes fuiſſe uniformes, ac proinde ver perpetuum ſeu perenne

renne æquinoctium per totum terrarum orbem; cœlum impluvium & sine iride; ut & longævos fuisse primos homines. Hæc *Platonem* quoque sensisse, ex ejus *Phædone* & *Politico* probat, quin & plurium aliorum veterum testimonia congerit, imprimis eorum, qui de aurea ætate & regno Saturni scripserunt vel cecinerunt, putatque ex hoc fonte antiquissimam famam de Zona torrida inhabitabili, & interdicto nobis commercio cum altera orbis parte originem suam traxisse. Tandem huc applicat, quod Judæi & Christiani de Paradiso & horto Domini tradiderunt, concluditque, Christianos, Judæos & Ethnicos in summa rei consentire, quamvis Ethnicorum dogmata, ut in reliquis omnibus, sic etiam in hac re, pluribus mixta fabulis sint. c. 6.

Hinc inquirit Autor in locum Paradisi, de quo valde differentes opiniones a Patribus foventur. Quoad Theoriam suam, eam dicit Autor nihil morari Paradisum topicum, in quavis terrarum parte ponendum, cum totum orbem habitabilem instar Paradisi habeat; concedit autem, ad hypothesin Mosaicam, quæ genus humanum omne ex unico mare & unica fœmina ortum docet, horum duorum natale solum & primam patriam Paradisum dici posse, modo hoc reliquis terræ partibus non sit præjudicio. Quia autem Moses unius tantum *horti Eden* meminit, adeoque cæteras terræ regiones communis esse sortis cum hodie existentibus & non Paradisiacas, supponere videtur, hujus autoritatem systemati suo opponi posse prævidet, adeoque ut ea se exsolvat, putat distingui debere inter duplicem docendi modum, *arcanum* & *popularem*, quo veteres, maxime Orientales, in tradenda sua Philosophia & Theologia usi fuerint; hoc duplici stylo etiam *Scriptum sacrum* uti arbitratur, ac in proposito casu *se ad populi captum accommodare*. Quia autem hanc sibi se imposuisse legem dicit, ut nunquam recedat a literali sensu sine necessitate, id est, nisi penitus persuaserit aut coegerit rei natura, hinc totam historiam sacram recenset, ut, quid ferat literalis sensus, & quid ex altera parte ferat subjecta materia, dispicere queat. Et primo quidem affert historiam de Paradiso, & primorum hominum sorte ex c. 2. Gen. eamque se salvo sensu aliis verbis explicuisse dicit, quo liberius de re ipsa, tanquam a novo Autore conscripta, judicare que- c. 7.

at; hoc facto contra ejus sensum literalem longa serie *difficultates* cumulat, & tandem concludit, se illis ex Patribus & Autoribus antiquis non refragari, qui in symbola, aut parabolas & sermones populares hanc historiam convertere studuerunt, permittit tamen suum cuique sensum liberum, modo fundamentum non subruat; fundamentum autem hic appellat doctrinam de ortu temporali humani generis & telluris nostræ, atque de utriusque degeneratione, hominibusque redimendis semine mulieris. Interim Deum corda & cogitationes scrutantem testatur, nihil sibi aliud propositum esse in hoc vel in alio quocunque scripto, quam ut pietatem promoveat
c. 8. in veritate fundatam. Fatetur etiam Historiam Mosaicam creationis verbotenus in pluribus a Theoria sua discrepare; convenire autem in eo, quod *Chaos* supponat pro mundi materia, ut & in *ordine* generali, mundum inanimem primo, deinde animatum constituendo. Ut itaque amicabili transactione litem hanc dirimat, putat dicendum esse, Mosen secutum *plebejum Systema*, quod sensibus abblanditur, eique, neglecta Philosophia, systema suum accommodasse. Chaos Mosaicum videtur terram in centro universi ponere, atque hoc Chaos totum universum implesse & occupasse, adeoque totum cœlum, & omnes stellas etiam lucidissimas ex eo compositas esse. Hæc autem putat Autor rerum naturæ repugnare, cum constet fixas esse corpora ignea, neque omnes in eadem hærere superficie, adeoq; nullum earum commune esse centrum; terram autem nostram, particulam universi cæcam & sordidam, singulis fixis & mole & dignitate esse minorem, quæ si in centro universi posita receptaculum commune omnium partium crassarum fuisset, in molem infinities majorem, quam nunc habet, evasisset. Probare itaque satagit Autor, mundum tam incorporeum quam corporeum antiquiorem fuisse terra habitabili, & quidem quoad *Angelos*, tum verbis Dei ad Jobum c. 38. v. 4. seqq. tum testimonio quamplurimorum ex Patribus Ecclesiæ. Si autem Angeli nulli prorsus materiæ uniti fuissent, nullamque prorsus voluptatem aut perceptionem ex ea habuissent, vix fieri potuisse putat, ut a sedibus suis & primævo statu detorquerentur, adeoque jam tum, cum laberentur, aliquam materiam fuisse, præsertim cum multi ex antiquis Patribus Angelis corpora quædam tenuia, aeris

aut

Digitized by Google

aut ignis inſtar, tribuant. Quod ſi ergo vel mica materiæ præceſſit originem telluris, concludendum eſſe, quod omnis omnino materia præceſſerit, quia creatio in partes diviſa concipi non poteſt. Porro Autor *cæli* & *ſtellarum* præexiſtentiam probari autumat ex phænomenis ſiderum, tam errantium, quam fixorum. Credit enim, jam conſtare, quod tellus noſtra ſit Planeta quidam; adeoque omnes Planetas aut terra noſtra antiquiores, aut ei ſaltem coævos fuiſſe, ſtatuendum putat. Stellæ fixæ etiam videntur antiquiores Planetis, & unaquæque eſſe ſui orbis & vorticis centrum: quin & *Planetæ*, (quos inter Terra noſtra,) Burnetio videntur *fixæ* olim fuiſſe; id quod inter alia per maculas Solis, per phænomena ſtellarum novarum, quæ ſuperioribus annis apparuerunt, ut & per Cometas probari cenſet, adeoque concludit, non *eandem* fuiſſe, nec *coævam* originem telluris noſtræ & totius Univerſi; Moſen autem hæc non diſtinxiſſe, nec ſeorſim tractaſſe, quia populus ea non diſtinguit, ſed reliquum Univerſi pro quadam telluris noſtræ habet appendice, quæ ex ſeipſa nihil valet, ſed tantum attexitur in uſum humani generis. Quo autem appareat, hunc ſcopum Moſi fuiſſe & non alium in tradenda hiſtoria creationis, opera Hexaemeri quoad ſingulos dies Burnetius conſiderat.

Et quidem lucem primigeniam, quam Moſes prima die creationis productam narrat, dicit eſſe phænomenon inexplicabile ratione Phyſica; cum lux omnis profluere debeat ab aliquo centro ſui motus, prædicta autem lux fuerit ſine centro & ſine ſcaturigine, adeoque putat, Moſi, quo populo ſua probaret, opportunum eſſe viſum, ſub initia operis lucem proferre, *ne Deus videretur per triduum operari in tenebris.* Ex eadem cauſa ſecundum literam videtur Deus opus ſuum intermiſiſſe nocturno tempore. Pariter judicat Autor de aquis ſupracœleſtibus, quæ ſecunda die productæ ſunt, de quarum loco inter doctos adhuc valde diſputatur. Putat autem Autor, hoc phænomenon nullibi apparere, ſed Moſen commune receptaculum aquarum ſuper cœlos ſtatuiſſe, *quo faveret opinioni populi, qui* generationem naturalem pluviæ non capit, ſed *pluviam e cœlo divinitus miſſam credit.* Videntur igitur Autori hæc & primæ & ſecundæ diei opera nihil magni continere, ac, etiamſi Moſes hæc præteriiſſet, orbi ejus habitabili nihil defutu-

defuturum fuisse ; *protraxisse* autem eum opus creationis, *quia diem septimum pro Sabbatho habere & consecrare decreverat*, cui proposito memoria mundi *sex diebus* absoluti, & exemplum Dei *requiescentis* ab omni opere, multum inservire poterant. Sic in tertia Hexaemeri Mosaici parte verba sonant, ac si Deus terram in quibusdam locis excavasset, eoque deductis & aggregatis aquis terra in reliquis locis fuerit denudata, ac montes ex terra egesta facti fuerint. Sed hunc in modum neque alveum Oceani, neque montes oriri potuisse, Autor se multis rationibus in Theoria sua monstrasse dicit, eoque Lectorem remittit.

Quarti diei pensum eidem videtur valde operosum, quia in eo Sol, Luna & sidera creata sint, tot sane & tanta corpora, quorum minora singula terram nostram magnitudine adæquant, si non superant. Hæc annotata Autori id arguere videntur, Mosi non istud consilium fuisse, ut mundi ortum explicaret secundum veram rationem physicam, sed tantum ut origines rerum ea methodo proponeret, quæ vulgo conceptu facilis esset, simulque animis hominum *pietatem* ingeneraret & veri Numinis cultum. Cum enim singulæ gentes *Cosmogonias* suas haberent, Mosen etiam *originem* totius *mundi* institutis & legibus suis præmittere voluisse, sed ab omnibus fabulis & ab omni specie idololatriæ probe repurgatam ; atque hinc concludit Autor, Mosen Cosmopœiam suam non tam φυσικῶς quam ἠθικῶς instituisse.

c. 9. Sed quia Autor videt, hæc sua asserta paucis placitura, & multis *objectionibus* obnoxia fore, ad earum solutionem se accingit.

Prima objectio est : *aliud esse creationem, aliud rerum creatarum formationem ; loqui Mosen de creatione rerum ex nihilo, Autorem autem id interpretari de formatione rerum, seu de materiæ confusæ in mundum habitabilem dispositione.* Respondet Autor, de creatione quidem rerum omnium ex nihilo sive ex nulla præexistente materia dubitari non debere : *creatum* enim *æternam* concipi non posse. Sic autem se arbitrari : a Mose non descriptam fuisse creationem totius universi, sed tantum mundi nostri terrestris ex Chao jam antea creato formationem. Ex verbis enim Mosis, vel ex ullo alio loco Scripturæ probari non posse, tunc primum

mum creationem ex nihilo esse factam, neque voces בָּרָא apud Hebræos, κτίζειν apud Græcos, *creare* apud Latinos, vim istam habere, adeoque, id quod in quæstione est, ab Adversariis supponi, non probari.

Secunda objectio consistit in quæstione: *Si materia Chaus extitit ante mundi Mosaici principium, quid fuerit, quem in finem extiterit, aut ubinam loci ante illud tempus?* Regerit Burnetius, hæc non esse sollicitius quærenda, cum magna ex parte notitiam nostram fugiant. Novas quandoque stellas in cœlo oriri, Cometas apparere, &c. quorum materiam tamen antea præextitisse necessum sit; *fixas* ipsas in *Planetas* mediante Chao converti posse, & vicissim *Planetas*, excussis sordibus, in *fixas* revivisscere.

Tertia objectio hæc est: *Ex hypothesi Autoris, quoad formam, ordinem & genera rerum Mosen recessisse a veritate & rerum natura; veritatem autem esse rem sacram & inviolabilem, maxime scriptori sacro.* Fatetur heic Burnetius, Mosen in sua Cosmopœia a *veritate Physica* recessisse; nihil autem esse usitatius in sacris literis, quam rerum naturas *secundum opinionem, affectus & judicia vulgi* exhibere. Neque Mosen temere aut levi de causa hic recessisse a vero. Si enim Philosophicas rerum origines populo scientiarum omnium ignaro exhibuisset, probabile esse, quod hic illum absurda narrantem & a communi sensu aliena, risu & fastidio excepturus, & non sine gravi suo damno virum sacrum tanquam nugivendum rejecturus fuisset.

Quarto loco objicitur: *Si Cosmopœia vera Moses populum incapacem habuit, honestius atque consultius ei fuisset, caput illud de creatione rerum intactum præterire, quam falsum pro vero substituere.* Respondet Autor, hoc Mosi integrum non fuisse. Nam quia vicinæ gentes habuerunt suas *Cosmogonias*, suamque historiam de Mundi origine in plerisque vitiosam, & veræ religioni inimicam; has similesque traditiones secuti fuissent Judæi. Nisi enim populo dentur sua fides, sua dogmata & opiniones, ipse sibi finget, quisque pro suo ingenio, pro suo affectu, aut pro suis vitiis. Hoc declarat Autor exemplo Christi & Apostolorum, qui de vita futura, de cœlo & inferno, ut & de supremo judicio non *accurate*, sed secundum *imagines populares* locuti sint, ad-

umbrantes cœlum deliciis Paradiſi, & coronis gloriæ; infernum vero igni inextinguibili, frigore & tenebris extremis, vermibus denique cutem & carnem corrodentibus; tandem diem judicii per clangorem tubæ, reſerata ſepulcra, libros rationum expoſitos & erecta tribunalia.

Objectio ultima eſt: *Si a litera Scripturæ recedere licet in primis capitibus Geneſeos, quidni in reliquis omnibus? ubinam ſiſtendum? quo limite? qua lege? ne levitate ingenii pereat ubique ſenſus hiſtoricus & literalis.* Reſpondet Burnetius, nullibi recedendum eſſe ſine neceſſitate, & ſi ullibi hanc legem violaverit, quæcunque ita dicta ſunt, ſe indicta velle. Illud autem probe notandum putat; cum de mundo naturali agitur in ſacris ſcriptis, liberius recedi a ſenſu literali in his, quam in aliis locis, quandoquidem mille exemplis pateat, in hac materia ἀνθρωποπαθῶς vel λαοδογματικῶς locutos eſſe Scriptores ſacros; lumen naturale eſſe Dei donum; quoties ei locus eſt in veritate detegenda, ipſius ope nos uti debere, & non male ſibi dictum videri, quod *Philoſophia ſit Scripturæ interpres in rebus naturalibus.* In omnibus vero animo æquo & moderato, ſummaque in Numen reverentia nos procedere debere. Caput hoc finit Autor comparando Coſmogoniam Moſaicam cum omnibus veterum Coſmogoniis, eamque omnium caſtiſſimam eſſe pronunciat, putatque, ſi Moſes interrogatus fuiſſet, an optimam Coſmopœiam Iſraelitis ſtruxerit, reſponſurum fuiſſe, ſe illis optimam tradidiſſe, prout nempe ferre aut capere potuerint. Nec enim ullam dicit Autor occurrere Coſmogoniam inter antiquos Phyſicos vel Theologos, quæ primi orbis habitabilis conſtructionem recte inſtituat, aut idoneam reddat rationem, cur terra, (elementum graviſſimum,) altior ſit aqua multo leviori; id quod probat memorabili loco Strabonis, qui ut hunc nodum ſolvat, velut in re deſperata, ad providentiam particularem recurrere cogitur.

Quia autem hæc, quæ pro amore veritatis liberius a ſe dicta profitetur Autor, a pluribus forſan valde reprehendentur, hinc
§. 10. tandem orat æquos rerum æſtimatores, ut antequam ſententiam ferant, capita ſequentia pauliſper ſecum recolere velint:

Primo, Sapientum *Orientalium* uſum & *ſtylum*, & quam ra-

ro veritatem nudam & apertam exhibuerint, ſed variis modis velatam aut depictam per ſymbola, hieroglyphica, allegorias, typos, fabulas, parabolas, ſermones populares, aliasque imagines: imprimis vero obſervandam putat duplicem eorum doctrinam, vulgarem & arcanam.

Secundo, populi *Iſraelitici*, quo tempore Moſes ſua ſcripta promulgavit, tardum & rude *ingenium*. Conſtat ex Scriptura Sacra, quam craſſa atque hebes fuerit populi hujus indoles, & quam parum rebus naturalibus contemplandis aut divinis percipiendis idonea. *Erat*, (inquit Autor) *colluvies quædam hominum, cœtus mancipiorum ex ergaſtulis Ægypti nudiustertius eductorum, qui nullas artes præter lateritiam, nullas literas, nullum animi cultum poſſidebant. Quin & dedocendi erant multa, quæ in gente idololatrica imbiberant.* Hiſce poſitis, judicium fidemque Lectorum interpellat, an in hanc turbam ſubito effundenda fuerint naturæ myſteria, &, quæ de rerum principiis diſceptantur adhuc inter Eruditos, theoremata.

Tertio notandum ait Autor, quod multi viri docti tam inter Judæos quam Chriſtianos, in Originibus Moſaicis explicandis, a litera receſſerint; uti probat locis non unis R. *Moſis Ægyptii* in More Nevochim, *Flavii Joſephi* in procœmio ad Archæologias Judaicas, *Ariſtobuli* in Commentariis explanationum in Moſen, (cujus verba reperiuntur apud Euſebium,) tum etiam Patrum Chriſtianorum, *Origenis*, *Cypriani*, *Baſilii*, *Chryſoſtomi*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *&c.*

Quarto eos, qui literæ & verbis Moſaicis tenaciter adhærent in omnibus, monendos judicat, ne quid Deo aut religione noſtra indignum admittant. Quia enim nos Chriſtiani Deum optimum maximum colimus, ut Ens infinite perfectum, nihil, quod dedeceat tale ens, in Theologia noſtra Deo a nobis tribuendum eſſe.

Appendix libri tractat de *Bruchmanis* hodiernis apud Indos eorumque dogmatibus. Superſunt quidem, ut Autor narrat, apud eos antiquiſſimorum dogmatum quædam veſtigia, at ſitu, ſqualore, ſordibus obducta, plerumque etiam fictionibus ad nauſeam usque onerata. Notabile eſt dogma, quod fovent adhuc

Brachmanes regni *Indoſtan* de creatione & interitu Univerſi, quod explicant per egreſſum omnium rerum ex Deo, & regreſſum vel retractionem in eundem, & declarant fictione aranеæ cujusdam immenſæ, quæ, materia ex ſuis viſceribus educta, hujus univerſi telam contexuerit & mira arte ordinaverit; ubi autem ſic ſatis luſit, retrahat fila, eaque omnia in ſeipſam reſorbeat, ut tota ſic rerum creatarum natura in nihilum recidat. Nec minus memoratu digna, quæ reſtant apud *Siamenſes* dogmata; terram hodiernam igne perituram, & ex ipſius cineribus prodituram novam terram *ſine mari*, qualis deſcribitur *Apoc. 21. v. 1.* & perenni vere beatam. Quam doctrinam cum hypotheſi ſua exacte convenire, Burnetius notat.

THE GENERAL HISTORY OF THE AIR, &c.

i. e.

Generalis hiſtoria Aeris deſignata & inchoata ab honoratiſſimo Roberto Boyle, Armigero.

Londini ap. Avvnſham & Joh. Churchill, 1692, in 4. plagul. 34.

QUandoquidem aeris, qui nobis circumfunditur, adſpiratione non animantes ſolum ſuſtinentur, ſed ille quoque plurimum confert momenti ad innumera, quæ in rerum natura ſolent occurrere, phænomena; præclaram commodisque noſtris aptiſſimam ſemper judicavit accuratiorem ejusdem cognitionem Boyleus, qui poſt funera etiam ſummo apud eruditos, propter ingenium & eruditionem, eſt honore & nomine. Nam & peculiares tractatus edidit de quibusdam aeris affectionibus, & generalem quoque ipſius hiſtoriam meditatus eſt; ſed cum videret, non unius eſſe hominis hanc operam, conjunctos quosdam in hoc ſtudio ſibi cupiit, ac proinde cum viris doctis, ante bene multos annos, communicavit titulos claſſium, ad quas ſinguli referrent, quæ de aere ipſis occurrerent notatu digna. Poſtquam autem ipſe ſedulo congeſſerat omnia, quæ vel rariorum ſcriptorum lectio, vel peregrinatorum relatio, vel experientia rerum magiſtra ſuppeditaverat, cæterosque compellatos ut ſymbolas ſuas conferrent

rent, promiſſorum parum fuiſſe memores compererat, ipſe quoque ſpem generalem aeris hiſtoriam condendi, una cum ſchedis, in quibus obſervationes ſuas conſignaverat, abjecit. Sed non paſſi ſunt amici Auctoris perire notas non vulgares, & paulo ante obitum ab ipſo nacti ſunt poteſtatem ita in publicum illas edendi, ut ab eo in chartam fuerant conjectæ. Diviſus autem liber eſt inſtar locorum communium in 48. claſſes, quarum ſequentes ſunt tituli: (1.) Quid per *aerem* intelligatur. (2.) De *conſtantibus & permanentibus* aeris *ingredientibus*. (3.) De *æthere* in atmoſphæra. (4.) De *particulis* aeris *elaſticis*, & aeris elatere. (5.) De *particulis magneticis* in aere. (6.) De *deſtructione*, *generatione*, *abſorptione* & *extricatione* aeris. (7.) De *accidentalibus* nec conſtantibus *aeris ingredientibus*. (8.) De *aqueis* aeris *particulis*, hujusque *humiditate* & *ſiccitate*. (9.) De *nubibus* & *nebulis*. (10.) De *exhalationibus terreſtribus* in aere. (11.) De *ſale* in aere. (12.) De *ſulphure* & inflammabilibus particulis in aere, nec non fulgure ejusque effectibus. (13.) De *cæleſtibus influentiis* ſeu effluviis in aere. (14.) De *altitudine* atmoſphæræ. (15.) De *motu aeris* & *ventis*. (16.) De aere quatenus eſt medium *ſoni*, & ſonis in aere, ſpeciatim de tonitru deque operatione aeris in ſonos corporum. (17.) De *pondere* aeris. (18.) De *conſiſtentia* aeris ejusque raritate, denſitate, fluiditate, ſubtilitate. (19.) De *calore* & *frigore* aeris. (20.) De aere in reſpectu *luminis*, ejusque perſpicuitate, opacitate, reflexione, refractione, coloribus, luce & fulgure. (21.) De operatione aeris in *conſiſtentiam* ſubſtantiarum *animalium*. (22.) De operatione aeris in *conſiſtentiam* ſubſtantiarum *vegetabilium*. (23.) De operatione aeris in *conſiſtentiam* ſubſtantiarum *mineralium*. (24.) De aere reſpectu *ignis & flammæ*. (25.) De aere reſpectu *fermentationis*. (26.) De aere quatenus eſt receptaculum *odorum*. (27.) De aeris operatione in *odores* ſubſtantiarum *animalium*. (28.) De aeris operatione in *odores vegetabilium*. (29.) De aeris operatione in *odores mineralium*. (30.) De operatione aeris in *ſapores* ſubſtantiarum *animalium*. (31.) De operatione aeris in *ſapores vegetabilium*. (32.) De operatione aeris in *ſapores mineralium*. 33. De operatione aeris in *colores* ſubſtantiarum *animalium*. (34.) De operatione aeris in *colores* ſubſtantiarum *vegetabilium*. (35.) De operatione aeris in *co-*

lores minerales. (36.) De aere deſtruente aut introducente alias *minus obvias qualitates* in ſubſtantias *animales.* (37.) De aere deſtruente aut introducente alias *minus obvias qualitates* in ſubſtantias *vegetabiles.* (38.) De aere deſtruente aut introducente alias *minus obvias qualitates* in ſubſtantias *minerales.* (39.) De aere quatenus conducit ad *propagationem & vegetationem plantarum.* (40.) De aere quatenus concurrit ad *generationem, vitam & ſanitatem animalium.* (41.) De corporibus *gravibus* in aerem *ſublatis* & in eo *detentis.* (42.) De *rore.* (43.) De *pluvia.* (44.) De *grandine.* (45.) De *nive.* (46.) De aliis rebus ex aere *delapſis.* (47.) *Promiſcua* experimenta & obſervationes circa aerem. (48.) *Deſiderata* in hiſtoria aeris, & media quædam propoſita ad illam ſupplendam.

Quamvis autem claſſes illæ, ad quas tituli 3, 5, 7, 14, 26, 29, 31, 32, 36, 41, 42, 45, 47, 48 pertinent, plane vacuæ ſint relictæ, quædam etiam paucas obſervationes contineant; plurimæ tamen rebus ſcitu digniſſimis ſunt refertæ, ex quibus ſpeciminis loco, quæ ſequuntur, proferemus. Sub *Tit. 2* habetur Autoris ſententia de particulis aerem conſtituentibus, quas trium opinatur eſſe generum. Primum complectitur exhalationes, quas terra, aqua, vegetabilia, &c. in aerem exſpirant; ſecundum particulas terræ magneticas, & illas quibus lumen propagatur; tertium moleculas elaſticas, quæ ligni ſubtilibus ramentis aptiſſime comparari poſſint. *Tit. 6.* varia referuntur experimenta circa productionem vel extricationem aeris elaſtici, facta ope (1.) olei vitrioli aqua diluti & limaturæ Martis, (2.) farinæ tritici & aquæ, (3.) paſſularum contuſarum & aquæ, (4.) ſpiritus ſalis & limaturæ Martis. *Tit. 8.* Hygroſcopium in exhauſto recipiente nullam paſſum mutationem dicitur, & hinc ætherem humiditati obnoxium non eſſe colligitur. *Tit. 9.* docta continetur disquiſitio de ſale aeris, cujus hæc brevis eſt ſumma. Quamvis ſalis nitro-aerei volatilis exiſtentia a nullo rite ſit demonſtrata, forte tamen quasdam nitroſas particulas ſubtiliſſimas in aere hoſpitari; certiſſimum vero hoc eſſe de ſalinis aliis, v. g. vitriolicis, iis præſertim in locis, quæ marchaſitis abundant, item alcalicis volatilibus, qualeſ ex terra virginea deſtillatione eliciuntur, & ex fumo, ſubſtantiarumque animalium & vegetabilium putrefactione, in aerem exhalantur: vix quoque dubitari poſſe, aerem fovere

fovere ſalia ex hactenus recenſitis compoſita, vel etiam anonyma nobisque adhuc ignota, quippe cum occurrant phænomena (v. g. corroſio vitrorum) quorum cauſæ ad nullum genus eorum ſalium, quæ nobis cognita ſunt, referri poſſint. Proponuntur etiam tentamina quædam inquirendi, quonam genere ſalium aer maxime abundet, v. g. exponendo aeri (1.) cupri lamellas politas, quippe quæ alium colorem ab acido, alium ab alcali corroſæ contrahunt, (2.) ſolutionem argenti puri factam ſpiritu ſalis marini &c. *Tit. 13.* eorum defenditur ſententia, qui cœleſtium corporum vires in hæc inferiora influere ſtatuunt, partim obſervatione medicorum in lunaticis, epilepticis, lethargicis & paralyticis facta, partim ratione, quæ ſiderum lumen ad aerem irrefractum pervenire, eumque pariter ac ſpiritus mixtorum corporum, qui aereæ putantur eſſe naturæ, plus minusve rarefacere, atque adeo ad varios motus diſponere oſtendit. *Tit. 17.* deſcribitur baroſcopium ſtaticum, in quo bulla vitrea tenuiſſima pariter ac capaciſſima, eaque hermetice ſigillata, aeris viciſſitudines oſtendit, quippe cum libellæ accuratiſſimæ appenſa, aere graviori facto elevetur, leviori reddito deprimatur. Determinatur quoque pondus pollicis cubici aerei & Mercurialis, quorum illud ad hoc eſt ut 254. gran. ad 3580. gr. Additur etiam tabula Dn. Joh. Locke, in qua cum cura deſcriptæ ſunt, ab A. 1666. usque ad A. 1682. ſingulis diebus, non ſolum aeris & ventorum viciſſitudines, ſed quoque hygroſcopii, thermoſcopii & baroſcopii ſtatus. *Tit. 19.* experimento probatur, calido æſtatis tempore etiam obturacula vitrea lagenarum intumeſcere, ut ſatis promte removeri nequeant; ſcite quoque monetur, effecta, quæ æſtatis tempore in nobis deprehendimus, non ſemper tribuenda eſſe, ut perperam fieri ſolet, aeris calori & hinc ortæ agitationi in ſero, ſanguine, & ſpiritibus noſtris; cum varia dentur corpora, quæ Solis calore ſollicitantur ad emittenda effluvia, a quibus mutationes in corpore noſtro immediatam ducant originem. Porro habetur hic exacta relatio de monte, qui vulgo *Pico di Tenariffa* vocatur, quemque ex conflagratione eam, quam nunc habet formam, acquiſiviſſe fit probabile; nec non de cavernis, in quibus incolæ illius inſulæ corpora majorum ſuorum a multis ſeculis incorrupta ſervant. *Tit. 20.* in regionibus a-

ere

ere ſereno & defecato gaudentibus, nudis oculis plures ſtellas fixas videri poſſe, quam apud nos, ex variorum relationibus confirmatur. *Tit. 40.* narratur, cœli Ternatenſis temperiem ſalubrem, poſtquam Batavi arbores caryophylla ferentes exſcidiſſent, immutatam plane fuiſſe. Explicatur quoque ratione non abſurda, qui fiat, ut peſtis nonnullis in locis (v. g. Smyrnæ) calidiſſimo anni tempore, aliis vero frigidiſſimo, remittat ; ſupponendo in illis peſtem oriri a particulis , quæ ex diverſis aliis coaleſcentes noxiam illam qualitatem acquiſiverint, & proinde vi caloris denuo reſolvantur, ut damnum amplius inferre nequeant : in his vero a variis ſalinis corpuſculis , quæ junctis quaſi viribus agunt , dum aere calido ſuſtentantur; eandem vero vim nequaquam poſſunt exercere , cum imminuto aeris motu a calore orto, quædam ex illis , perinde ut ex aqua frigeſcente in qua varia ſalia ſoluta, præcipitantur.

M. ABRAHAM FRENCELII DE ORIGINIBVS LINGVÆ Sorabicæ Liber primus.

Budiſſinæ Luſatorum, apud Joh. Wittiſch, 1693. in 4.
Conſtat plagul. 20.

TAmetſi Sorabis Lipſia noſtra cum vicinis oppidis plerisque ortum debet , Sorabicæ tamen vel Slavicæ linguæ uſus in Miſnia adeo exolevit, ut ſatis cauſæ ſe habere putarit *Thomas Reineſius* , in noſtrates graviter invehendi, ob hunc idiomatis Sorabici neglectum , *libro I. Variar. Lect. c. 14.* Viget id autem etiamnum in utraque Luſatia, attamen in pagis potius, quam urbibus. Ibi Miniſtri verbi divini, ut gregi ſibi commiſſo felicius præeſſent , linguam ſuam magis indies magisque excoluere atque perfecere. Hos inter non poſtremus eſt præſentis libri auctor, *Abrahamus Frencelius*, Coſela-Luſatus , Parochus Schœnavienſis, qui in præfatione ad lectorem non unos etiam vernacula literatura claros Sorabos enumerat. Primus poſt reformationem Lutheri fuit M. *Albinus Mollerus* , Paſtor Straupicenſis, qui *Cantica eccleſiaſtica* & *Catechiſmum* A. 1574. Budiſſinæ edidit. Secutus eſt *Paſtor* quidam *Porſchwicenſis* (cujus nomen Frencelio excidit,)

VII. Pſal-

Digitized by Google

VII. Psalmorum pœnitentialium interpres. Emisit deinceps *Catechismum* in lucem *Warichius*, Pastor Gœdavienſis. A. 1670. evulgavit *Michael Frencelius*, (Auctoris nostri parens,) Pastor Postvvicenſis, tria *Symbola* œcumenica, *Evangelium*que *Matthæi* ac *Marci*, Sorabice versum, itemque A. 1688. *concionem* Germanico-Sorabicam *de Baptismo*. Nuncque occupatissimus est in publicanda versione *Epistolarum Paulinarum ad Romanos & Galatas*. A. 1689. prodiit *Didascalia sive Orthographia Vandalica*, opera *Zachariæ Bierlingii*, Pastoris Porschvvizenſis. Anno, quem nunc agimus, jussu atque auctoritate *Magnificorum* Lusatiæ superioris *Statuum* excusus est *Catechismus*, ac propediem publici juris fient *Evangelia & Epistola Dominicales & Festivales*, interpretibus M. *Paulo Prætorio*, Archidiac. ad S. Petri Budissino, *Tobia Zschuderly*, Pastore Lohsenſi, *Joh. Christoph. Crügero*, Pastore Minakalenſi, *Georgio Matthæi*, Pastore Colmenſi, & *Michaele Razio*, Diacono ad S. Michaelis Budissino. Quemadmodum eadem lingua A. 1690. impressæ fuerant (una cum Catechismo *Petri Canisii*,) eædem *Pericopæ Dominicales & Festivales*, sed auctoritate & studio Decani Budissini *Romano-Catholici*. *Jacobus* denique *Ticinus*, Wittigenavienſis, Jesuita Commotovienſis, (qui A. 1692. *Epitomen Historiæ Rosenthalenſis* Pragenſibus typis exscribi curavit,) anno 1679 *Principia Linguæ Wendicæ* peculiari libello explicavit.

Hæc historiæ literariæ cupidis scitu haud ingrata fore duximus, quum Wendica illa sive Sorabica aut Slavica Lusatorum a Bibliothecarum concinnatoribus fere negligantur.

Quum vero eruditi tantum non omnes Ebræam linguam esse primigeniam, cæterasque linguas immediate aut mediate ex ea ortas, ac, quousque licet, derivandas, vix ambigant; idem etiam circa *Sorabicam* tentavit *Abrahamus Frencelius*, adeoque *decem* omnino *libris* arduum illud opus exequi conatus est. *Primo* libro recenſenda arbitratus est vocabula Sorabica, materialiter & formaliter Ebræa. *Secundo* ea, quæ per metathesin, antistœchon, aphæresin, apocopen, syncopen, prosthesin, epenthesin, paragogen, ad Ebræam matrem reduci posse videntur. *Tertio* illa, quæ per metonymiam, antiphrasin, metaphoram, synecdochenque, Ebræa esse deprehenduntur. *Quarto* ista, quæ mediantibus

linguis Græca, Latina, Germanica ad primigenium idioma retrahuntur. *Quinto* acturus est de Diis Slavorum & Soraborum; *Sexto* de nominibus virorum; *Septimo* de mulierum; *Octavo* de regionum; *Nono* de urbium; *Decimo* denique de pagorum nominibus Sorabicis.

Ex his non nisi liber primus hactenus prodiit, satis sane prolixus, sed quem longe minorem reddere potuisset Auctor, nisi digressiones creberrimas ex antiquitatibus Judaicis aut itinerariis modernis Asiaticis, Africanis, Americanis, præter necessitatem & extra tractationis suæ scopum, singulis ferme paginis admiscere maluisset. Sic enim c. c. ubi vocem hora (*mons*) cum Ebr. הר rectissime contendisset, de montibus *lectu jucundissima*, ut vocat, subjungit, quæ in locis communibus quidem, non item in libro hujus generis Lector quæsiverit. Pag. 24. prolixe congerit analecta sua de trituratione veterum, (occasione vocis ציפי, *flagellum* frumentarium;) p. 64. de variis cubandi ritibus; p. 69. de ossiculo Lus; p. 134. de eunuchis; p. 142. de terræmotibus; p. 163. de risu; p. 177. de noctambulis; p. 181. de somno; p. 191. de horis Turcarum; p. 195. de titulis clericorum; p. 207. de calceis, &c.

Quod si talia ab operis universi futura editione resecentur, nec nisi ad origines Sorabicas facientia tractentur, non dubitamus, multis illud apprime probatum iri, præsertim quoad libros sex posteriores; in quibus nomina Deorum, virorum, mulierum, regionum, urbium, pagorum Sorabicorum, non ex Ebræis, sed Sorabicis tantum vocibus deducendas, conjicimus. At si libris tribus prioribus (de quarto minor lis erit,) certitudo aliqua conciliari debet, ante omnia forsan probandum foret, eam ipsam linguam, quæ hodie in usu est, *immediate* ex Ebræa profluxisse; id quod qua ratione fieri queat, nemo facile dixerit. Disquirendum etiam est, annon modernæ linguæ vernaculæ, post ortum ex Ebræa, innumeras mutationes jam subierint; quo pacto etymologiæ vocum, v.g. Sorabicarum, ex Ebræo non possent non precariæ esse atque probabilitate haud magna gaudere. Sæpius sane nimium hypothesi suæ inservire Auctorem credas, e.g. quando Sorabicum Bur (rusticus, agricola) deducit ex Talmudico בור, cum a Germanico Bauer / & hoc a bauen (nemlich) / den Acker oder das Land /) potius

Digitized by Google

potius oriatur. Sic Sorabicum Pohan & Slavonicum Pogan/ (paganus, ein Heyde/) ex Latino potius, quam ex Chaldaico deducendum, quis dubitet? Dubitavit tamen Francelius; etsi Chaldæum פגנין (pagani) ex Latino ortum, vel R. Cohen de Lara, in *Jr David* annotarit.

BIBLIOTHECA ROMANA,

seu

Romanorum Scriptorum Centuriæ, Auctore Prospero Mandosio, Nobili Romano, Ordinis S. Stephani Equite. Volumen secundum

Romæ, typis ac sumptibus Francisci de Lazaris, 1692. in 4.

Constat 2. Alph.

Quas in priori Bibliothecæ hujus Volumine, in Actis Eruditorum mense Junio A. 1683. p. 237. enarrato, promiserat illustrissimus Auctor *Centurias quinque Scriptorum Romanorum*, eas orbi literario superiori demum anno exhibuit, ill. *Magliabechii*, cui & decima centuria a nobilissimo Auctore est inscripta, beneficio ad nos nuperrime delatas. Methodum eandem est secutus, quam sub initium Operis instituerat, nulla scilicet temporis, quo quisque vixit, habita ratione, Scriptoris cujuslibet vitam atque opera, quæ edidit, vel edere habuit in animo, recensens; nisi quod illud solenne ipsi est, ut cuilibet Centuriæ Imperatoris alicujus Romani nomen, tanquam πρόσωπον πλαυγὲς, præfigat. Ita enim Centuriæ sextæ primus est *Jul. Cæsar*; septimæ *Octavius Augustus*; octavæ, *Antoninus Pius*; nonæ *Adrianus*, ac decimæ denique *Nero*, quorum scripta, ab Auctoribus antiquioribus hinc inde notata, studiose collegit. Sed nec alia desunt, quæ curiosi lectoris sitim queant restinguere, præsertim cum tam sedulo conquirat omnes, quotquot vel oratiunculam saltem, vel poema quoddam elegantius, vel dramata etiam musica, quorum magnum ibi reperire licet numerum, ediderunt. Nos instituti memores, quæ potiora nobis visa sunt, breviter excerpemus. *p. 12. Dominici Panaroli* Philosophi ac Medici Opera dum recenset, notat insuper

ſuper, quod a ſtudiis nunquam feriatus, totusque ſcriptioni fuerit addictus, unde in morbum incidens A. 1675. obierit. Poſt eum origines & incrementa Collegii Romani PP. Soc. Jeſu breviter deſcribit, quæque ſub ejus nomine ſcripta fuere edita, enarrat. *Pauli I.* & *Stephani III.* duorum fratrum in ſummo ſacerdotio ſucceſſionem, exemplo carere notat *p. 22.* Et Pauli equidem *Epiſtolas* multas, quas furto e Bibliotheca Vaticana ſublatas queritur Baronius, evulgare voluiſſe *Andr. Duchesnium*, ſed hactenus nondum ſe vidiſſe. De *Dominico Regio*, cujus *Vita Thomæ Mori* pluries excuſa, obſervat *p. 23.* quod modo *Dominici Geri*, modo *Geri Dioconme*, modo *Cyriaci Baſilici* nomen aſſumſerit. *Margaritæ Coſtæ*, Poetriæ noſtro ſeculo claræ, Opera Poetica dum *p. 26.* refert, ſimul eam ab iniqua Erythræi cenſura vindicat. *P. 33.* Periochæ in libros Virgilii, Ovidio alias adſcriptæ, auctorem facit *Herennium Modeſtinum* JC. *Alexium* quoque *Porrum*, qui vixit A. 1587. non Mantuanum, ſed Romanum fuiſſe evincit; *Perſium* vero etiam Poetam, quem alii Volaterranum, alii Lunenſem dicunt, Scriptoribus Romanis annumerandum, quod pater ejus Eques Romanus fuerit, & ipſe quoque hoc titulo ſalutetur. *Marii Philonardi Relationes de Regno Poloniæ* Italice MSS. habuiſſe dicitur Angelicus Aproſius, *p. 63.* ubi & *Flaminii Vaccæ*, ſculptoris & ſtatuarum artificis inſignis, Opus *de Antiquitatibus Romanis* memoratur. *Marci* porro *Scoſſæ*, qui vixit circa A. 1478. MS. *de modo curandi*, adhuc penes ſe eſſe ait, cum contra *Bernardini Mandoſii*, (de quo *p. 68.*) *Hiſtoriæ Italiæ*, quam pene ad umbilicum perduxerat, penitus interciderit; niſi quod fragmentum non breve, *de Amerinæ civitatis antiquiſſimæ in Umbria præſtantia ac nobilitate*, apud ſe adhuc cuſtodiatur, *p. 80.* ſſ. *Franciſcæ* & *Iſabellæ* Farneſiarum, quarum illa A. 1651. hæc 1685. denata, opuſcula recenſet, & *p. 68. Sylveſtri I* Papæ & *Judæorum Diſputationem* ſeu Conflictum MS. extare Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Petri, pro certo habet. *Johannis* & *Stephani Trulliorum* fratrum Opera Medica ἀνέκδοτα *p. 92.* commemorat, quæ *Johannes* junior Stephani filius, addito ſingulari obſervationum Tomo, ſit editurus. Nec minus *Theophraſti Paracelſi principalium Operum Compendium*, item *Helmontii Opera* a *Modeſto* Romano in compendium redacta ſe vidiſſe refert. *Achillis Mapheji* Tractatum *de*

Excellen-

Excellentia Baſilicæ Vaticanæ, in Archivo Vaticano adhuc MS. cuſtodiri *p. 103.* & *Octaviani Veſtrii Barbiani*, qui A. 1626. e vivis abiit, duo Volumina, nempe *Affectuum ſpecies libr. XI.* & *Scientiæ civilis librum unum* MSS. apud Ferdinandum Ughellum ſervata docet *p. 117. Jacobum Creſcentium* animum ad ſcribendum non appuliſſe, miratur Erythræus Pinacoth. III. n. XI. ſed Mandoſius aliquot ejus opuſcula affert *p. 110.* Plurima inſuper alia MSS. hinc & inde, uti *Joh. Baptiſtæ Magdaleni* Opus, cujus titulus: *Diſcrepantia Auctorum in ſcribendi genere*; item *Dominici Staglæ*, qui vixit circa A. 1429, *Hiſtoriam antiquam explicatam*; it. *Alexandri Zilioli*, de quo *p. 206, Hiſtoriam Poetarum Italorum*, in Bibliotheca Aproſiana; *Johannis Diaconi*, (non confundendi cum Johanne Diacono, Monacho Caſinenſi), *Geſta Clementis I. Papæ & Martyris*, in Biblioth. Caſinenſi; *Octavii Cuccini* J. U. D. *Commentarium de Furtis* in Biblioth. Berardi Capotii Cuccini; *Æmilii Sibonii Carmina & Epiſtolas varias*; item *Philippi a S. Catharina Diſcurſus ſacros* in Cœnobio S. Mariæ de Scala; *Sfortiæ Pallavicini* Opus *de Divina Providentia*, & *Vitam Alexandri VII*; *Marci Antonii de Alteriis* opera quam plurima Romæ apud filios; *Stephani Bonafaccia* pergrande Opus *de decem Stephanis Pontificibus*, *ac ſimul de omnibus illuſtribus viris, qui Stephani nomen habuere, itemque Alexii de Alexiis* Opera Medica apud Cæſarem, Macchiatum Medicum; *Joh. Pauli Mucantii*, d. 11. Dec. 1617. denati, Opera quamplurima, in Biblioth. Franciſci Mariæ Phœbei, Archiepiſcopi Tarſenſis; *Lælii Cinquini*, qui claruit circa A. 1600. *Opus de Diſciplina equeſtri* quatuor libris conſtans, apud Alexandrum Caſalium extare monet. *Quintilianum* patria Romanum fuiſſe, ex vita ejus editioni Lugdun. 1575. præfixa probare nititur *p. 122. Hippolytum Stradam*, Philoſophiæ Moralis Doctorem, *Commentaria in univerſam Philoſophiam* hæredibus edenda reliquiſſe *p. 129*, & Juſtiniani Imp. Inſtitutiones Juris Civilis in hexametrum carmen a *Nicol. Mandoſio* verſas a ſe aliquando edendas, *p. 130.* indicat. Ridicula ſunt, quæ *p. 132.* de *Quintiliano Præcellio*, qui genus ſuum Ciceronis ævo, quod is in Epiſtola quadam Præcellium nominet, floruiſſe jactitavit, indeque pergrande volumen *de Familiæ Præcellianæ nobilitate integra* ſcripſit, refert. *P. 159.* ubi de *Nicolao Balduccio* A. 1684. mortuo agit, obſervat,

ſervat, ipſum modo *Lucii Labaccii*, modo *Baldi Nicolaccii*, modo *Johannis Forti* nomen aſſumſiſſe. Qua occaſione opus *de Baptiſmo Spirituali*, quod Centur. IV. n. 65. Baldi Nicoluccii eſſe ſcripſerat, nunc Balduccio attribuit. *P. 210.* Nicolaum Toppium, Bibliothecæ Neapolitanæ auctorem, ubi de *Archangelo* agit, corrigi jubet, quod Romanus ille fuerit Archangelus, minime Neapolitanus, cujus ſimul *Opera Moralia* deperdita fuiſſe dolet. Extare autem adhuc vitam S. Lini Pontificis a Cleto Pontifice deſcriptam, in Menologio Græcorum, quod MS. aſſervetur in Bibliotheca Barberina, *p. 222.* credit. *Pieriam de Imperiacciis*, Romanam virginem, Ordinis Pœnitentium S. Franciſci, quæ die 15. Aug. A. 1626. diem obiit ſupremum, *multas Revelationes, Apparitiones, Documenta & Opera ſpiritualia* ſcripſiſſe tradit *p. 228.* quæ tamen ſuperiorum juſſu fuerint conſtricta. Interim Opera ejus Ludovicum de Triola duodecim Tomis collegiſſe, quæ in Cœnobio S. Franciſci trans Tiberim hodienum aſſerventur. Sed & illud non minus ex *p. 234.* obſervari meretur, librum de *antiqua inter Gallos & Hiſpanos conjunctione* ab Antonio Roſſello, Sacerdote Gallo, editum, *Franciſco Marcheſio* hodienum ſuperſtiti adſcribendum, eumque verum etiam *Vitæ S. Franciſci*, Ordinis Minorum Inſtitutoris, compilatorem eſſe, Latine verſæ a F. Tiburtio Navarro, cui eam Aſceta Benedictinus in Indiculo Aſceticorum perperam adjudicarat. Inter Opera *Chriſtophori Hurandi* aliquando in lucem proditura, *p. 269.* numerantur Tractatus *de Scriptoribus Vaticanis*, item *de Politica ſecretiori Janſeniſtarum*, pluraque alia a viris eruditis *Famiano Strada*, *Aloyſio Ignatio Urſolino*, *Franciſco Maria Turrigio*, & *Joh. Ciampino*, (de quo imprimis *p. 302.*) prælo deſtinata accurate recenſentur. Nobis hæc adhuc ſunt adjungenda, quæ de *Philippo Bonanno* S. J. *p. 297.* retulit. Is cum in libro *de Teſtaceis* in Actis Erud. 1686. p. 108. memorato, Teſtacea ſponte in limo naſci aſſeruiſſet, adverſarium invenit anonymum, qui in Epiſtola Bononiæ impreſſa falſitatis hanc ſententiam accuſavit. Sed defendit eam Bonannus in Epiſtola ſub nomine *Godefridi Fulberti* Romæ A. 1683. vulgata, ulteriusque in Volumine Romæ A. 1691. impreſſo, cujus titulus: *De viventibus, quæ in rebus non viventibus reperiuntur. Micrographia* inſigne additamentum promiſit, ut & *Catalogum Scriptorum Societatis*

tatis Jesu, qui ab A. 1675. diversa Opera edidere, continuationem veluti Sotvvelli Bibliothecæ futurum, itemque *Chronologiam Societ. Jesu.* Sed & A. 1679. suppresso nomine typis dedit *Catalogum Provinciarum Societatis JEsu, Collegiorum, Residentiarum, Seminariorum & Missionum, qua in unaquaque provincia numerabantur.* P. 325. ubi de *Vincentio Maria Ursino* agit, narrationem Italicam de mirabili ejus, dum civitas Beneventana terræ motu collaberetur, conservatione, integram inseruit. Ceterum non dubitamus, quin ex hoc ipso volumine celeberrimi Wittii Diarium Biographicum insigniter augeri queat. Ita enim, præter superius memoratos, ad A. 1663. d. 9. Sept. referendus foret *Carolus Pacianus*, qui *p. 50.* præter alia scripta evulgata, etiam Libros X. *de Pensionibus*, it. Lib. III. *de humana & vera felicitate* sub manibus habuisse dicitur; ad A. 1626. *Franciscus Zazzara*, cujus frater *Andreas* plura pro continuandis Baronii Annalibus elaboravit, quæ tamen morte præventus nec absolvere, nec expolire potuit; ad A. 1687. *Bernhardus Philippus Odamus*, cum editurus esset Volumen Italico idiomate, continens seriem Numismatum Summorum Pontificum a Martino V. usque ad Innocentium XI. & alii, apud Auctorem ipsum, cum nos id nunc non agamus, rectius investigandi. Illud saltem adhuc ultimo monemus loco, Auctorem scripta sua enumerando totum Opus claudere, cui ad perficiendum, quod parat, *tertium volumen Scriptorum præstantium, ex diversis etiam orbis locis ortorum, Romana tamen civitate donatorum; Bibliothecam* item *Equestrem alphabetico digestam ordine, Vitas* denique, *seu Elogia Academicorum Humoristarum*, vegetam stabilemque incolumitatem apprecamur.

LEONARDI PLVKENETII PHYTOGRAPHIÆ Pars III.

Londini, 1692. sumptibus Autoris, in fol.

PRodierunt jamjam Anno 1691. non sine insigni applausu Botanophilorum priores duæ Partes hujus Phytographiæ, tum quoque a nobis recensitæ in Actis Eruditorum ejusdem anni mense Octobri p. 493. Sequitur nunc tertia Pars, itidem nitidissima

ma, octingentas fere ſtirpes novas complexa; quarum aliæ recenſitæ quidem ſunt a Breynio in Prodromo II, & ab Hermanno in Prodromo Paradiſi Batavi, aſt nondum delineatæ vel deſcriptæ ſufficienter; aliæ vix nomine notæ ſunt, ita ut hactenus plane incognitæ videantur. Cumque Tabularum numerus in Parte I. & II. usque ad 120. ſe extendat, in hac vero III. Parte ad 250. continuetur, ſatis apparet, contenta hujus tertiæ partis ſuperare utramque priorem ſimul ſumptam. Nec ſic tamen exhauſtus omnino illius Cl. Autoris Thesaurus eſt, quippe qui adhuc plura vegetabilia non minus rara ſe poſſidere) in Præfatione ad ſtudioſos Botanicos fatetur. Nomine igitur publico exorandus eſt, ne illa curioſis Plantarum indagatoribus diu invideat.

PETRI CVNAEI ICTI ORATIONES ARGVMENTI VARII. Eiusdem alia Latina opuſcula, SATYRA MENIPPEA, IVLIANI CÆSARES, & RESPONSVM in cauſa Poſtliminii, cum quibusdam Epiſtolis. Chriſtophorus Cellarius Notas & obſervationes addidit.

Lipſiæ, apud Georg. Maurit. Weidmannum, 1693. in 8. plag. 13.

PETRI CUNÆI, viri, ut reliquas ejus dotes prætereamus, eloquentiſſimi, *Orationes* ſtyli puriſſimi elegantia commendatiſſimæ, diverſis vicibus non in Belgio tantum, ſed & in noſtris regionibus, Wittebergæ, & præſertim hic Lipſiæ typis excuſæ ſunt. Ita enim ſunt comparatæ, ut cum Ciceronis Orationes optimæ non adeo ſeculo noſtro videantur accommodari poſſe, ex eis ſolis ut dicendi facultas peti queat, illis *Cunæi* iſtæ adjunctæ juventuti ſtudioſæ ad genuinam illam eloquentiam viam egregie commonſtrent. Quæ cum Vir Clariſſimus, *Chriſtophorus Cellarius*, & ipſe penes ſe ſenſiſſet, & uſu comprobare vellet, de nova editione ſuis additionibus augenda cogitare cœpit; quam nunc ita adornavit, ut non tantum Orationibus ipſis ſuas adnotationes ſubjiceret, ex quibus, quam ſtudioſe *Cunæus* res ſuas ex Græcis Latinisque ſcriptoribus, maxime Hiſtoricis; verba vero & ſententias ex Cicerone, Livio, Seneca, Tacito, & Plinio depromſerit, utpote quorum

quorum loca ipſa allegare imprimis operam dedit eruditiſſimus Editor; ſed reliqua etiam, quæ inveniri poterant *Cunæi opuſcula*, præter illam de Ebræorum Republica commentationem, mox etiam apud nos ex alia officina proditurum, ſubjunxerit, uſus imprimis eam ad rem conſilio viri ampliſſimi, FRIDERICI BENEDICTI CARPZOVII, qui non ſolum auctor ei fuit, ut & *Satyram Menippeam* ſuis adnotamentis illuſtraret; ſed qui & pro eximia ſua in adjuvandis literis voluntate obſervationes proprias, quas copioſe libro ſuo adſcripſerat, eidem transmiſit; adeo ut ſingula nunc in lectione *Cunæi* felicius procedere poſſint.

G. G. L. AD PROBLEMA MAJO NUPERO IN HIS Actis p. 235 propoſitum.

PErplacet problema Bernoullianum nupero menſe Majo propoſitum, de invenienda linea ABC ex data ratione inter tangentem BD & reſectam AD ex axe AE, per tangentem; vel ideo, quod etiam illi, qui noſtræ Methodi differentialis faciliora tenent, non ſtatim huc pervenient. Nec motu tantum, ſed & calculo analytico exhiberi poteſt, ſi detur ratio inter factum ex his duabus rectis (tangente t reſecta r) vel earum potentiis, & inter chordæ AB ipſis ſubtenſæ potentiam facto homogeneam, veluti inter tr & cc, vel trr & c^3 aliterve. Idemque locum habet in aliis innumeris, ut ſi detur ratio dictæ reſectæ AD, ad ordinatam BE.

ZEEDIGE AANMERKINGEN, VVAARIN DE Gronden, &c.

i. e.

Annotationes modeſtæ, in quibus fundamenta, ſiſque innixæ ratiocinationes celeberrimi Viri D. Balthaſaris Beckeri, circa naturam & operationes Spirituum, ad verbi divini normam examinantur; editæ a Johanne Aalſtio & Paulo Steenvvinckel, Miniſtris Evangelii in Hoornar & Schelluynen.

Dordraci apud Theodoricum Goris, 1693. in 8. Plag. 21.

PErcrebuit apud Doctos opinio, quam fovet D. *Balthaſar Becker*

cker, Eccleſiæ Amſtelodamenſis Miniſter, circa naturam & operationem Spirituum, quamque ante aliquot annos in libro, cui titulus, *Mundus faſcinatus*, publico expoſuit. Magnis motibus hic liber occaſionem dedit, ut ſolent fere ſemper nova, & a communi hominum ſenſu valde aliena. Nonigitur mirum eſt, plures huic ſcripto refellendo operam dediſſe, inter quos Autores etiam noſtri prodiere, quorum librum paucis perluſtrabimus.

Præfatio continet rationes, quibus Autores ad ſcriptum hoc edendum inducti fuerint. *Prima* eſt ardor ille omnibus naturalis, ex numero faſcinatorum, quo nomine Beckerus a ſe diſſentientes indigitat, ſe eximendi; quod ſperant fore, ſimulatque demonſtraverint, abſque ullo rationis & veritatis detrimento contrariam Beckero ſententiam credi & defendi poſſe. Hæcque ratio eo majoris momenti iis viſa eſt, quia ex Autoribus, qui hucusque contra Beckerum ſcripſerunt, alios putant veram ejus ſententiam non percepiſſe; alios Doctoris illius rationes nimis contemſiſſe, & præ contemptu vera earum pondera neglexiſſe; alios denique zelo inordinato & ſimilibus paſſionibus abreptos, convitiis tantum contra eum egiſſe. Quæ cum ſingula viros veritatis ſtudioſos & præprimis Chriſtianos maximopere dedeceant, & potius ad errantes in errore ſuo obfirmandos, quam ad veritatem manifeſtandam valeant; ſe ſibi propoſuiſſe dicunt, abjectis omnibus affectibus, Beckeri cogitata modeſte examinare, & tam cum rectæ rationis dictamine, quam cum divinis revelationibus comparare; ut ita omnibus attentis pateat, quibus fundamentis famoſa illa doctrina nitatur, & ipſe Beckerus libro hoc perlecto perſpicere queat, illum ab amantibus eum, & non niſi errores ejus averſantibus ſcriptum eſſe. *Secunda* ratio, quæ Autores noſtros ad ſcribendum excitavit, eſt provocatio eorum, qui *Gisberti Voetii* veſtigiis inſiſtentes, dogmata *Johannis Cocceji* & *Renati Des Cartes*, quæ Autores noſtri magni faciunt, averſantur, & ex iis errores Beckeri originem ſuam trahere, atque eapropter Coccejanos ad refutationem eorum præ aliis obligari, præ ſe ferunt. Communem hoc tempore eſſe accuſationem, conqueruntur Autores, quæ omnes errores, omnia denique abſurda Carteſio, ejusque Philoſophiæ tribuat, adeoque ut egregium hunc Philoſophum ab hac imputatione

Digitized by Google

ne liberarent, ſe eo magis ad ſcribendum incitatos eſſe aſſerunt, & probandum in ſe ſuſcipiunt, Beckerum non alia de cauſa in errores, quos fovet, prolapſum eſſe, quam quia Carteſii dogmata circa naturam & operationes Spirituum deſeruerit, nec inter extenſionem & cogitationem tam accurate, prout opus fuiſſet, diſtinguere dicerit. Hanc unicam putant eſſe cauſam, quare Beckerus operationes mentis noſtræ in corpus ſuum ſupponat notas, quia in proprium corpus peraguntur; econtra Angelorum operationes impoſſibiles, quia proprio corpore deſtituuntur. Ex quo unico errore reliquos omnes proveniſſe credunt, & conſequenter eo ſublato, totum ſyſtema ejus ſimul collapſurum eſſe. Sed & eadem opera planum fore ſperant, quanta injuria Beckeri errores Carteſio tribuantur; hoc vero ut vel ſtatim ab initio pateat, Autores loca quædam ex Principiis Carteſii allegant, quæ indicant, Carteſii ſententiam ab opinione Beckeri toto cœlo diſcrepare. Hactenus Præfatio.

Liber ipſe dividitur in §. 102. Incipiunt Autores a ſtudio veritatis, quod tanquam principium ac cauſam omnium ſcientiarum & artium laudant. Sed ei, ut porro docent, quam maxime obſtat amor proprius, qui facit, ut homines in præconceptis ſuis opinionibus nimis ſibi abblandiantur, & omnia iis contraria falſa & abſurda judicent, adeoque ſi ingenio tantum valeant, ut progredi ulterius poſſint, errores erroribus cumulent. Ex amore illo, quo homines opiniones ſuas amplectuntur, duæ præcipue naſcuntur inclinationes ſibimetipſis aliquatenus contrariæ, novæ ſcilicet a ſe inventa tanquam veriſſima proponendi, & eadem ab aliis propoſita tanquam abſurdiſſima rejiciendi. Hæ duæ inclinationes maxima vel potius unica ſunt veritatis obſtacula. Altera enim, dum præceptorum veſtigiis anxie inſiſtit, veritatem ac falſitatem autoritate veterum ponderat, & quæ vel latum unguem ab eorum placitis recedunt, tanquam abſurda rejicit, ſicque omnem veritatis incremento viam præcludit: altera vero, dum homines ſcripturientes incitat, ad inventa ſua & excogitata, antequam ad rationis trutinam probe perpenſa ſint, exponenda, adeoque efficit, ut mundus magis magisque opinionum, conjecturarum & errorum monſtris oneretur, veritas vero magis obſcuretur.

Hæc ad Beckerum applicantur, qui dogmata ſua paradoxa,
§. 3. dum Spiritibus omnem efficaciam & potentiam in corpora agendi adimit, ac Diabolum cum Angelis ſuis ſtatim poſt lapſum in infernum detruſum eſſe, nec quicquam in mundo hoc amplius agere poſſe ſuſtinet, vulgo expoſuerit, non ſtylo modeſto & hominem imbecillitatis & ad errorem proclivitatis conſcium ſapiente, ſed mordaci & inſultanti, ac facetiis repleto, quaſi ſecuriſſimus victoriæ. Hunc Beckeri genium locis aliquot ejus adductis probant, quorum præcipuus eſt, ubi eos, qui ſententiæ ſuæ adverſantur, tanquam Diaboli patronos & advocatos traducere non
§. 8. erubeſcit. Ad rem ipſam dein progrediuntur, & legibus Beckeri, ut non niſi lumen innatum rationis & ſenſus clarus S. Scripturæ pro regula veritatis habeantur, ſe ſubmittunt, ſicque totum librum primum Beckeri prætereundum cenſent, utpote qui non niſi hiſtoriam ejus, quod omnium ſeculorum populi de Deo & Spiritibus crediderunt, continet, & per conſequens, poſitis jam dictis legibus, in hac controverſia ad probandum nihil valere poteſt. Ponunt autem ſtatum controverſiæ in eo: num doctrina Eccleſiæ Reformatæ, de natura & operationibus Spirituum, cum recta ratione & vero ſenſu S. Scripturæ pugnet, an vero concordet? quod poſterius probare, & Beckerum, qui prius ſuſtinet, refellere inſe ſuſcipiunt. Et quidem primo notant, Beckerum notionem ſuam de Spiritibus, quod ſcilicet ne vel minimam quidem unionem vel communionem cum corpore habeant, & per proprietates a corpore plane diverſas deſcribi debeant, ſupponere, non probare. Opponi enim poſſe: unde pateat, Angelos bonos & malos cum corpore quodam tenuiſſimo non unitos? hoc certe dubium ex ratio-
§. 13. ne ſola ſolvi non poſſe. Reprobant porro ſententiam Beckeri de loco Spirituum, quæ certe mira eſt; vult enim Spiritus ibi eſſe & in eo loco verſari, quem cogitatione ſua attingunt, atque ſic v.g. mentem noſtram, quoties de his urbibus ſimul cogitat, Romæ, Londini & Pariſiis ſimul exiſtere; quæ opinio miræ confuſionis mater eſt, veramque diſtinctionem inter corpus & animam, ſive extenſionem & cogitationem tollit, ingensque abſurdorum ſyrma ſecum trahit. Sequeretur enim v. g. mentem noſtram, quando totum univerſum cogitationi ſuæ ſubjicit, omnipræſentem eſſe. Hiſce anne-

annectunt Autores noſtri loca quædam ex Beckero, & ex iis demonſtrant, Beckerum in hoc puncto ſibimetipſi contradicere; tandemque concludunt, animam noſtram, ſi accurate loqui velimus, locum non habere, quia τὸ *Ubi* vel *in loco eſſe*, mera ſit proprietas extenſionis; certo tamen ſenſu corpus noſtrum locum animæ dici poſſe, quia ſcilicet in illud vel in illo operatur, & rurſus eo mediante certis modificationibus afficitur. Progrediuntur hinc ad c. 4. l. 2. Beckeri, ubi tractat de animæ immortalitate, quam materiam ita clare & dilucide ab eo tradi, ita invicte demonſtrari prædicant, ut ab omnibus ſummo cum fructu legi poſſit. Capite 5. Beckerum agere dicunt de transmigratione vel revolutione animarum, ut & earum apparitione poſt mortem. Prius dogma prætereunt, utpote Ethnicos vel Judæos concernens. Poſterius, ſcilicet apparitionem, æque impoſſibilem credit Beckerus ac priora, ſed, ut Autores noſtri cenſent, non probat. Quamvis enim animæ noſtræ poſt mortem per ſeipſas in corpus ſuum amplius operari nequeant, nullam tamen involvit contradictionem, Deum illis vel prius corpus, vel aliud ad tempus aliquod rurſus poſſe adaptare. Conſentiunt tamen Beckero, cum ſtatu animarum poſt mortem, qui eſt vel æterni gaudii vel miſeriæ, talem apparitionem perdifficulter convenire. Capite 7. Beckerum pergere dicunt ad naturam Angelorum, & quidem ex Scriptura inveſtigandam; hoc autem perpendendum præmittere, Scripturam, quoties de Angelis & Spiritibus loquitur, veram eorum naturam & eſſentiam non declarare, quia ſc. Scriptura S. non Angelorum, ſed hominum gratia tradita ſit. Hanc rationem Autores noſtri nullius momenti judicant; licet enim haud diffiteantur, principalem finem Spiritus S. in revelationibus ſuis eſſe, ut peccatori viam veram Deique virtutibus conformem ad ſalutem æternam demonſtret, non autem ut philoſophiam vel ſcientias humanas nos doceat; id tamen neceſſe eſſe credunt, ut Scriptura, quoties imprimis de rebus, quas ratio non docet, v. g. Angelis, loquitur, tantum cognitionis nobis impertiatur, ut quid de iis credere vel non credere debeamus, cognoſcamus. Sed & hoc Scripturam S. circa Angelos ſatis præſtare, Autores noſtri, & quod mirere, ipſis Beckeri verbis oſtendunt; fatetur enim Beckerus, Scripturam docere, non ſolum quod ſint §. 16.

Spiritus, ſed etiam explicare quid ſit Spiritus, nempe Ens ſine carne & oſſibus, idque exponit per Ens intelligens ſine corpore, vel per ſubſtantiam cogitantem, nullo corpore veſtitam; fatetur etiam, Scripturam Angelos a mentibus humanis ſatis diſtinguere, iisque magnam cognitionem cum magna potentia conjunctam tribuere; adeoque Beckerum doctrinam ſuam quoad hunc
§. 27. articulum a manifeſta contradictione liberare non poſſe autumant. Porro Autores conſiderant Beckeri doctrinam de Spiritibus malis ſeu de Dæmonibus, de quibus rurſus Scripturam pauca tradere, Beckerus judicat, & imprimis loca 2. Petr. 2. v. 4. & Judæ v. 6. de Angelorum malorum lapſu & judicio non clare loqui, adeoque exploratoribus a populo Iſraelitico ex deſerto ad explorandum terram Canaan olim miſſis melius accommodari putat. Sed Autores noſtri, loca iſta talem explicationem non ferre, pluribus argumentis ex ipſis locis petitis dilucide probant.

§. 30. Pergunt inde ad examen præcipui dogmatis Beckeriani, quod eſt de ſtatu Diaboli & ejus Angelorum poſt lapſum. Statuit autem Beckerus, Spiritus malos ſtatim poſt lapſum a Deo condemnatos, ex mundo relegatos & in infernum detruſos eſſe, ibique æternis vinculis ligatos detineri, adeo ut in hoc mundo nihil amplius agere aut efficere queant. Sed docent Auctores noſtri, quam parum validis rationibus Beckerus hoc magnum paradoxon ſuperſtruat & fulciat. Prima ejus ratio petita eſt a ſimili, nempe homine; ſicque ratiocinatur: ſi homini ſtatim a lapſu non melius fuit, ac ſi jam revera in infernum detruſus eſſet (id quod ex Scriptura, ubi de fuga & tremore ejus a Deo appellati loquitur) oſtendit, idem de Angelis lapſis judicandum eſſe. Sed quis quæſo hujus argumenti nullitatem non perſpicit, & quis non videt contrarium potius ex eo probari? Ex Scriptura enim ad oculum patet, & quilibet etiam propria experientia convincitur, hominem non ſtatim poſt lapſum in infernum detruſum, nec omnibus ſtatim pœnis, quas peccatum exigebat, affectum eſſe. Quod ſi igitur ex ſtatu hominis de ſtatu Diaboli judicare debemus, Sole clarius eſt, ſententiam Beckeri totam everti. Secunda ratio Beckeri ex ſilentio Scripturæ deſumitur, & ab eo per modum quæſtionis proponitur. Quærit enim, num judicium & pœna Angelorum malorum ſint dilata? & quia Scriptu-

Digitized by Google

ptura nusquam ait, illis ullam aut gratiam aut dilationem conceſſam eſſe, concludit, talem dilationem non dari. Verum hæc rurſus ratio perquam facile in eum retorqueri poteſt; Scriptura enim nusquam docet, Diabolos ſtatim poſt lapſum in infernum detruſos, maximisque omnium pœnis, quas meruere, eo ipſo momento ſubjectos eſſe; concludi ergo ex Beckeri ratione debet, id verum non eſſe. Sed ſi Beckeri rationem (ſic pergunt Autores noſtri) exactius perpendamus, totam ejus vim in eo conſiſtere reperiemus, quod ſequi videatur, Spiritus malos ſtatim poſt lapſum ſecundum merita punitos eſſe, quia Deus, qui punire poterat, nullam illis miſericordiam concedere, nec mediatorem dare voluit. Verum ſi ideam Dei conſulimus, reperiemus quidem, juſtitiam & ſanctitatem ejus exigere, ut peccatores puniantur, non autem, ut ſtatim poſt lapſum omnes omnino pœnæ, quas meruere, ſuper eos effundantur. Quin experientia æque ac Scriptura S. teſtatur, magna cum longanimitate a Deo tolerari homines irregenitos & reprobatos, quibus non minus ac Diabolo ejusque Angelis paratus eſt ignis æternus. Quia igitur hæ rationes Beckeri tam infirmæ ſunt, concludunt Autores, ſententiam Beckeri eſſe falſiſſimam, eumque, qui his ſolum rationibus nixus tantum paradoxon vulgo exponere auſus eſt ſtylo mordaci & facetiis pleno, a temeritate excuſari non poſſe; præprimis, cum verba clariſſima S. Scripturæ, quoties cum hoc ſyſtemate non conveniunt, mirum in modum detorquere non vereatur. §. 44.

Perpendunt exin Autores noſtri caput 9. Beckeri, ubi agit de cogitatione & potentia Angelorum. Tribuit in genere Angelis maximam cognitionem & quæ omnem hominum ſcientiam ſummopere ſuperat, ex Matth. 18. v. 10. 1. Cor. 13. 12: quoties autem ad particularia progreditur, ab hac magna ſcientia non parum rurſus detrahit. Dicit enim, de myſterio ſalutis per Chriſtum nobis paratæ, ea ſolum, quæ ex nunciis, quæ juſſu Dei ſubinde ad nos pertulere, didicerunt, tenere, adeoque magni illius myſterii non niſi exiguam partem cognoſcere. Verum hanc ſententiam verbo divino per omnia eſſe contrariam, Autores noſtri variis Scripturæ locis oſtendunt, præprimis ex Luc. 2. v. 10. 14. ubi agitur de annunciatione nativitatis Chriſti, paſtoribus Bethlehemiticis facta, & cantico exercitus cœleſtis annunciationem illam ſubſecuto; quod canticum præcipua fidei noſtræ myſteria continere

nere per accuratam ejus explicationem demonſtrant. Quin & ex ipſa ratione id concludi poſſe cenſent; quia enim Angelis tanquam creaturis perfectioribus, ipſo Beckero fatente, major cognitio tribuenda, & Deus ſummam ſuam gloriam in eo ſtatuit, quod absque abnegatione ſanctitatis & juſtitiæ ſuæ Deus peccatoris fieri poſſit; concipi certe non poteſt, quomodo Angeli hujus tantæ gloriæ minorem, quam homines, cognitionem habere poſſint. Pergit Beckerus, ſtatuitque Angelos cogitationes hominum ignorare debere; alias enim eſſentiale attributum Dei, nempe corda & renes ſcrutari, ipſis tribui videretur. Sed putant Autores, diſtinguendum eſſe inter cogitationes nondum factas, & jam factas; priores ſcire ſoli Deo competere, utpote cui ſoli intima cordis patent, & qui cogitationes noſtras pro lubitu flectit; poſteriores autem cur ex voluntate Dei Angelis innoteſcere nequeant, nullam rationem eſſe, ſed potius, quia homines hominibus cogitationes ſuas verbis & ſignis manifeſtare poſſunt, conveniens videri, certum aliquod medium dari, per quod Angeli tum aliorum Angelorum, tum etiam hominum cogitata percipiant. In quo autem hoc medium conſiſtat, nos homines ignorare debere, & quid mirum? cum ille modus, quo membra movemus, & aliis cogitata noſtra communicamus, nos, ut mox videbimus, plane lateat.

§. 57. Procedunt Autores ad ſcrutandum vires & potentiam Angelorum. Hæc in genere maxima de illis prædicat iterum Beckerus; ad ſpecialia autem perveniens, maximam rurſus partem aufert. Putat quidem Angelos in Angelos operari poſſe, quia ambo Spiritus ſunt; ſed in animas noſtras omnem illis agendi efficaciam adimit, & multo magis in corpora; quia concipi non poſſe putat, Angelos, qui ſunt Spiritus, in corpus agere poſſe. Sed quia objici poterat, mentes noſtras, quamvis non minus ſint ſpirituales ac Angeli, tamen in corpus agere, Beckerus hoc dubio ſe exſolvit, reſpondendo, de animabus noſtris id eſſe notum, quod in corpus agant; habere enim proprium corpus, & propterea in illud agere poſſe; de Angelis vero, utpote corpore deſtitutis, id dici non debere. Hanc ratiocinationem Beckeri, qua operationes animæ in corpus tanquam notas, & a modo, quo Angeli in corpora agere deberent, maxime differentes ſupponit, maxima abſurda involve-

re

re, & omnium ejus errorum fœcundam matrem fuiſſe, Autores arbitrantur. Notant autem primo, Beckerum nusquam probaſſe, Angelos omni corpore eſſe deſtitutos; nec iis firmi aliquid reſponderi poſſe, qui, ut multi etiam ex Patribus fecerunt, Angelis corpora quædam tenuia, aerea aut ignea forſan aſſeruerunt: eo tamen poſito, omnem Beckeri ratiocinationem per ſe concidere. Sed his prætermiſſis, exacto examini ſubjiciunt modum, quo mens noſtra in corpus ſuum agit, inquiruntque adeo, num ille ita notus ſit, ut Beckerus opinatur. Dicunt autem, attendentibus clarum fore, mentem noſtram non minus atque Angelos eſſe ſubſtantiam cogitantem, intellectu atque voluntate præditam, adeoque concipi non poſſe, quomodo illa magis ac hi alio modo quam voluntate ſua in corpus agere & illud movere queat, & hucusque omnia eſſe æqualia. Inquirendum itaque reſtare, num hæc neceſſaria ſit conſequentia: mens vult ut corpus moveatur, ergo corpus moveri debet. Ita quidem videri animo vaganti & attentioni non aſſueto, Autores noſtri cenſent, quia fere ſemper ad nutum voluntatis motus in corpore ſequitur, & vice verſa, corpore moto, mens ut plurimum perceptione quadam afficitur: at perpendentem & ſeipſum penitius inſpicientem longe aliud de eo judicaturum, nempe nullam eſſe connexionem naturalem inter voluntatem mentis & motum corporis, nec ullam conſequentiam, ut mente volente corpus moveatur; ſed hoc mere ex arbitrio & juſſu Numinis, quod duas res, toto cœlo differentes, corpus & animam, tam mirifice copulaverit, dependere. Ut hoc probatum dent, allegant nunquam ſatis laudatam Ethicam doctiſſimi Arnoldi Geulinx, qui §. *de Inſpectione ſui n. 4. & ſeqq.* tribus id evincit rationibus: primum quia clarum & per ſe notum eſt, id quod neſcimus quomodo fiat, nos non facere; ignoramus autem profundiſſime, quomodo manus, pedis vel linguæ motus perficiatur, & quid ad hunc motum peragendum requiratur; nullo itaque jure effectum hunc arrogare nobis poſſumus: ſecundo & tertio, quia ſi motus ille tam quoad tempus & durationem, quam quoad magnitudinem & extenſionem, mere ab alio dependet, nihil nobis juris in eum tribuere debemus; dependet autem ab alio quoad durationem, ſimulatque enim laſſitudine, arthritide vel paralyſi membra noſtra corripiuntur, motus volun-

ta em amplius non ſequitur, ſed quicquid enitamur, deſtituit quoad magnitudinem & extenſionem. Quia igitur modus, quo mens noſtra in corpus operatur, æque ignotus ac ille, quo Angeli in illud operantur, & ſemper ad arbitrium Numinis ita jubentis recurrendum eſt, omnes difficultates Beckeri evaneſcunt. Quia enim motum & operationes corporis, voluntatem ejus ſequentes, menti noſtræ tribuere non dubitat; idem etiam de effectis corporeis, ad voluntatem Angelorum peractis, ſtatuat neceſſe eſt: eadem enim utriusque eſt ratio, nec ulla vel minima indigitari poteſt differentia. Mentis enim noſtræ & Angelorum voluntatem motus & effectus corporei comitantur, non ex ulla alterius propria vi & energia, ſed mere quia abſolutus rerum Arbiter id ita jubet & ordinat; ceſſabunt comitari, ſimulatque huic juſſa ſua revocare libuerit. Concludunt Autores noſtri, nullam igitur Beckero ſupereſſe neceſſitatem, loca Scripturæ, quæ de Angelorum operationibus & effectis corporeis loquuntur, tam miſerum in modum detorquendi, ne id, quod exhibent, exhibere videantur. Evaneſcere quoque Beckeri gloriationem, ſe ſcilicet omnia illa, quæ Angelis effecta tribui conſueverunt, Deo vindicaſſe; quicquid enim modo jam dicto Angelis tribuatur, ne hilum quidem gloriæ divinæ detrahere, cuilibet hæc perpendenti notum eſſe. Quæ ſequuntur, omnia fere inſerviunt vindicandis Scripturæ locis, quæ de vi & potentia Angelorum loquuntur, a ſenſu alieno Beckeri; ſemper enim, quando Angeli aliquid effeciſſe dicuntur, eos tanquam nuda ſigna operationum divinarum adfuiſſe Beckerus ſtatuit; quædam etiam loca, v. g. viſitationes Abrahami, Loti &c. ſic explicat, ut eas non per Angelos, ſed per meros homines peractas arbitretur. Hiſce ſingulis Autores noſtri dilucide reſpondent, nec ullam ita Scripturas torquendi rationem eſſe oſtendunt. Merentur imprimis legi, quæ §. 67. 68. & 69. de miraculis & ſignis miraculoſis, & quænam inter ea ſit differentia, docte diſſerunt. In genere de hoc libro dici poteſt, quod ſumma cum moderatione ſit ſcriptus, & quod Autores id, quod in Præfatione in ſe receperant, reipſa præſtiterint. Stylus eſt clarus, nitidus, purus, omnia, etiam ipſos terminos artis, verbis Belgicis exprimens.

PHILIP-

PHILIPPI A LIMBORCH SS. THEOLOGIÆ INTER REmonſtrantes Profeſſoris, Hiſtoria Inquiſitionis, cui ſubjungitur Liber Sententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ ab anno Chriſti CIↃCCCVII. *ad annum* CIↃCCCXIII.

Amſtelodami apud Henricum Wetſtenium A. 1692. in fol. Conſtat Alphabetis 9.

CUm nuper menſe *Aprili p. 167. Jacobi Simancæ* opera recenſeremus, ſubjeciſſe nos meminimus, nullos nos dubitare, ſi exactiorem quis notitiam *Inquiſitionum Romanarum* deſideret, ei Simancæ tractatus haud parum profuturos. Sed id nunc potius de eleganti hoc, quod ſiſtimus, Volumine muto æquiore jure aſſeverare nos poſſe, confidimus.

Librum Sententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ editurus celeberrimus Remonſtrantium Profeſſor *Limborchius*, ad illuſtranda obſcuriora in eodem loca diſſertationem quandam præmittere primum conſtituerat; cum vero Auctores, qui argumentum de Inquiſitione tractarunt, evolveret, adeo copioſa ſe illi obtulit materies, ut priore conſilio abjecto, integram Inquiſitionis Hiſtoriam ſibi conſcribendam duxerit, *quatuor libris*, quicquid materiam *Inquiſitionis* ſpectat, atque ad libri Sententiarum elucidationem facere videtur, plene exponere aggreſſus. Hinc in *Lib. I. Inquiſitionis originem*, ejusdemque in varia regna ac regiones propagationem proponit, oſtendens, doctrinam Jeſu Chriſti omni perſecutioni religionis cauſa ſuſceptæ repugnare: primorum Chriſtianorum unanimem ac conſtantem doctrinam fuiſſe, religionis Chriſtianæ genio omnem vim ac ſævitiam adverſari: poſteros, majorum veſtigiis relictis, ethnicam crudelitatem in Eccleſiam invexiſſe, ac Imperatores, approbantibus Epiſcopis, varias poſt Concilium Nicænum contra Arianos aliosque hæreticos leges ſanciviſſe: nec Arianos, Imperatorem ſuis partibus faventem nactos, ullum ſævitiæ genus omiſiſſe, ſed in eos, a quibus ejecti fuerant, majorem truculentiam exſeruiſſe: veteres Eccleſiæ doctores de perſecutionibus non unum atque idem ſenſiſſe: *Auguſtinum* in prioribus ſuis ſcriptis

Cap. I.
II.
III.
IV.
V.
VI.

ſcriptis omnem vim religionis cauſa adhibitam damnaſſe, poſtmodum vero poſt acres & diuturnas cum Donatiſtis contentiones, pœnas quascunque, legibus civilibus in errantes conſtitutas, ſola morte excepta, non tantum non improbaſſe, verum & infligendas illis eſſe docuiſſe: *Pontifices Romanos* legum ſeveritate ita cap. VII. cohibuiſſe homines, ut vix quicquam contra recepta eccleſiæ Romanæ placita mutire auſi fuerint; quibus vero ſi quis vel minimum contradicere tentaverit, mox paratum ipſi fuiſſe ſupplicium.

VIII. *Valdenſes* ſeu Pauperes de Lugduno non eosdem fuiſſe cum *Albigenſibus*; licet enim in quibusdam dogmatibus inter ſe convenerint, in non paucis tamen a ſe invicem diſſenſiſſe, & inſtituta ac ritus inter utrosque uſurpatos admodum diſcrepaſſe, ut ex libro ſententiarum Inquiſitionis Thoſolanæ luce meridiana clarius pateſcat: *Albigenſium duo* fuiſſe *genera*, ſiquidem alii fidem & ritus ipſorum profitebantur, atque *perfecti* ſeu conſolati vocabantur; alii autem cum hiſce perfectis faciebant pactum, quod ipſi nominabant la convenenſa, *Convenientiam*, quod in fine vitæ per eos recipi vellent ad ſectam ipſorum. Pontifices Romanos ſuæ poteſtati admodum inimicam Albigenſium ac Valdenſium doctrinam in

IX. prima herba opprimere ſtuduiſſe: *Dominicum* primum fuiſſe inquiſitorem, & inquiſitionem Tholoſæ primo introductam, de

X. *anno* autem, quo primum cœperit inquiſitio, non conſentire ſcriptores, aliis eam ad A. C. 1212, aliis ad 1208, aliis ad 1215 referentibus: illud autem certum eſſe, & inter omnes conſtare, eam

XI. temporibus *Innocentii III.* initium ſumſiſſe. Pontifices *cruciatas expeditiones*, quas adverſus infideles & Saracenos ad recipiendam terram ſanctam primum inſtituerant, tunc contra Chriſtianos, ſedis ac poteſtatis ſuæ adverſarios, convertiſſe, idque diſcriminis interceſſiſſe inter eos, qui contra Saracenos, & eos, qui contra hæreticos in expeditionem cruciatam prodibant, quod illi in tergo, hi vero in pectore crucem geſtarent. *Raymundos*, patrem ac filium, Comites Tholoſanos, in quorum ditione magna Albigenſium multitudo commorabatur, a cruciata expeditione multa in-

XII. commoda ac clades perpeſſos eſſe. Imperatorem *Fridericum II.* legibus aliquot contra hæreticos, eorumque complices ac fautores Patavii editis, quas *Paulus* Servita in hiſtoria Inquiſitionis Vene-

tæ

tæ anno Christi 1244, *Bzovius* autem ac *Raynaldus* anno 1225 latas perhibent, inquisitionis negotium quam maxime promovisse. Inquisitionem in Arragoniam A. 1232, in urbem Tholosam A. 1234, in primo festo Dominici, non sine impedimentis & tumultu populari introductam fuisse, & licet anno sequente inquisitores Tholosa ejecti sint, eosdem tamen mox restitutos, ex *Luca Wadingo*, qui in historia Fratrum Minorum ad annum 1235, aliquot Tholosæ commorantium Inquisitorum mentionem injicit, satis colligi posse: in Italia quoque per hæc tempora officium delegatæ Inquisitionis cœpisse, ac Papam *Gregorium* anno 1235 Priori Sanctæ Mariæ ad gradus & Fratri Radulpho Ordinis Prædicatorum Viterbii, officium inquisitionis commisisse, nec non eodem anno Pontificem Episcopo Vicensi, Priori Barcinonensi & Fratri Guilielmo de Barbarano, Ordinis Prædicatorum, ut contra hæreticos in provincia Tarraconensi inquirerent, & juxta præscriptum canonem procederent, injunxisse, atque in universo Regno Galliarum Fratrem Robertum ejusdem Ordinis Prædicatorum contra hæreticos generalem Inquisitorem constituisse. Inquisitioni, quam Papa urgere nunquam desierit, unum atque alterum primo remoram injecisse, cum & novitas tribunalis, quo seculares ab omni plane in hæreticos judicio excludebantur, admodum homines offenderet, ac Inquisitores nimia sua crudelitate inquisitionem odiosam redderent, Pontificesque summis Principibus, si non omnia ex ipsorum arbitrio facerent, hæreseos notam inurere haud vererentur, ut contra eosdem tanquam hæreticos procederent. Mortuo Friderico Imperatore ac rebus Germaniæ maxime perturbatis, Italiaque Principe destituta, Papam *Innocentium IV.* inquisitioni magis magisque promovendæ invigilasse, ac in Italia passim inquisitionis tribunalia erexisse, inquisitoribus perpetua instructis potestate, judicium suo nomine in causa fidei administrandi: postea aliis in locis extra Italiam, ac primo in Comitatu Tholosano, dein in universo regno Franciæ, in Castellæ & Legionis regnis, in Sardinia, in Syria, Palæstina, Servia, civitatibus Viennensi & Albonensi, Hungaria, Polonia, Dalmatia, Bosnia, Raguſa, Croatia, Istria, Walachia inquisitionis tribunalia erecta fuisse. Inquisitionem *Venetam* non perinde esse obnoxiam Papæ atque aliorum Dominicorum inquisitio-

cap. XIII.

XIV.

XV.

XVI.

XVII.

sitiones in Italia ; nec enim solis commissam Ecclesiasticis, sed & magistratus secularis præcipuas in ea esse partes. Circa A. C. 1300.
cap. XVIII. in Italia acriter sævitum esse contra *Apostolicos* dictos, quorum ortum ex Eymerico describit Auctor, referens temporibus Honorii IV. Bonifacii VIII. Nicolai IV. & Clementis V. circa A. D. 1260. in partibus Lombardiæ, Episcopatu videlicet Parmensi & Novariensi exortos fuisse *Gerardum Sagarelli* Parmensem & *Dulcinum* Novariensem, eosque congregationem quandam fecisse, quam *Apostolos* vocaverint, qui sub nullius obedientia vivebant, & vitam sequi Apostolorum asserebant : Gerardum Sagarelli tempore Bonifacii die 18. mensis Julii A. C. 1300 ut hæresiarcham concrematum, & post annos octo ab hujus supplicio, Dulcinum cum Margaretha ejus consorte in scelere & errore, membratim dilaniatum & postmodum combustum fuisse. Eodem tempore *ordinem Templariorum*, in Concilio Viennensi variarum hæresium condemnatorum, jussu Papæ Clementis V. exstirpatum fuisse. E *Waltheri Lolhardi* asseclis, quorum numerus ad octoginta millia hominum excrevisse a quibusdam perhibetur, non paucos in sua sententia usque ad mortem magna cum hilaritate perseverantes, ignis supplicium in Austria sustinuisse, ipsumque Waltherum, principem sectæ
XIX. Lolhardorum, Coloniæ A. 1322. exustum fuisse. *Johannem XXII.* Papam Inquisitoribus hæreticæ pravitatis mandata dedisse procedendi contra *Beguinos*, qui se de tertia regula S. Francisci dixerunt, contendentes, nullo casu granaria & cellaria posse haberi a Franciscanis; paupertatis Franciscanæ perfectionem hac ratione labefactari ; & Papam non habere auctoritatem circa regulam Francisci dispensandi ; id si faciat, illius decreta nullius esse auctoritatis, & posse contemni. Circa hæc tempora inter illos exstitisse *Petrum Johannem Olivum*, qui *Postillam* scripserit *in Apocalypsin*, ac quæ de bestia & meretrice Babylonica dicuntur, Papæ & Romanæ Ecclesiæ applicarit.
XX. Ab eodem Papa excommunicationis sententiam pronunciatam esse in *Matthæum Galeacium*, Vice-Comitem Mediolanensem, ejusque filios & asseclas; nec non *Marsilium Paduanum* & *Johannem Jandunum*, juris Imperatorii contra
XXI. Papam assertores strenuos, hæreticorum notam incurrisse. Eundem Papam A. 1317. litteris datis ad Poloniæ Regem, Prælatos & Provincia-

Digitized by Google

vincialem ordinis Prædicatorum, inquisitionem *in Polonia* instituisse, quam sequenti seculo, anno videlicet 1436, *Uladislaus Jagello* Rex Poloniæ confirmaverit & amplificaverit. *Gregorii* Pontificis suasu A. 1357. inquisitionis officium, quod in Gallia languescere aliquatenus videbatur, restauratum fuisse. Post varias contra memoriam *Jo. Wiclefi* & contra *Joh. Hussum* institutas actiones, Concilium Constantiense non tantum eorundem libros damnavisse, sed & in mortuum Wiclefum sententiam pronunciasse, quæ ipsum declaravit hæreticum, anathemate percussit, & ossa ejus, si quo modo agnosci possent, e sepulcro eruta concremari jussit; Johannem vero Hussum, qui litteris salvi conductus ab Imperatore Sigismundo instructus ad Concilium venerat, non tantum hæreseos condemnasse, sed & vivum flammis exuri fecisse: qua occasione contra Pontificios, qui infamiam fidei violatæ a se amoliri conantur, ostendit Auctor, fidem publicam ab Imperatore datam in Husso jussu Synodi omnino violatam fuisse. *Martinum* Pontificem ad postulatum Regis Alphonsi A. 1419. decrevisse, ut officium inquisitionis *in Regno Valentiæ* per Inquisitorem, a Priore deputandum, in posterum administraretur. Circa A. 1460 *in Flandria & Artesia* inquisitionem admodum sæviisse contra nonnullos, quos falso magiæ & occulti cum Satana fœderis insimularint, & ad conflandam Valdensibus invidiam Valdenses nuncuparint, loco etiam, in quo nocturnos suos cœtus habere dicebantur, Valdesia appellato. *Ferdinandum & Isabellam*, ad ingentem pro religione Romana zelum ostentandum, inquisitionem majori pompa, augustiore apparatu, & ampliore potestate ornatam, *Sixti* Pontificis auctoritate, in omnia sua regna introduxisse. In *Lusitania* non multis post annis tribunal inquisitionis ad instar illius, quod in Hispania est, erectum fuisse, & quidem, si Antonio de Sousa credimus, ad preces *Johannis III.* Regis Portugalliæ. Pro ejus institutione primum *Apostolicum Breve* A. 1531, secundum autem A. 1536 Papam concessisse, ac ab illo tempore sacrum hoc inquisitionis tribunal, Inquisitorisque generalis munus in hoc regno continua successione perdurasse. *Ferdinandum*, Regem Hispaniæ, anno 1504 in regnum Neapolitanum æque ac in alia suæ potestati subjecta regna inquisitionem introducere studuisse, sed pluribus suboriendibus difficultatibus inceptum suum ad-

c. XXII.

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.

exitum

exitum perducere non potuiſſe; ſimiliter & anno 1547, *Petrum de Toledo*, Pro-Regem Neapolitanum, juſſu Caroli V. inquiſitionem illic inſtituere voluiſſe; ſed & hujus conatibus non reſpondiſſe eventum; & quoniam Hiſpanis ſtet ſententia, inquiſitionem ſuo ſenatui ſubjectam, Neapolin introducendi, Curiæ vero Romanæ, iſtis Hiſpanorum conatibus ſe opponendi, regnum Neapolitanum in hunc usque diem a duro inquiſitionis jugo immune eſſe ac liberum.

cap. XXVII. *Panormum lib. II. Tit. 2. c. 11. n. 8.* e privilegio quodam, quod Siculæ inquiſitioni anno 1224. Panormi Imperator Fridericus indulſerit, colligere, jam anno nominato inquiſitionem in *Sicilia* cœpiſſe, ſed privilegium illud ſibi ſuſpectum videri; hoc autem dubio vacare, quod idem, ſive genuinum ſit, ſive ſuppoſititium, A. 1452. Rex *Alphonſus*, ac poſt A. 1477. *Ferdinandus* atque *Eliſabetha* confirmarint, & eandem in Sicilia inquiſitionem *Carolus V.* multis privilegiis donarit. *Philippi II.* inquiſitionem ad modum Hiſpanicæ, hortatu *Pii V.* in Ducatum Mediolanenſem introducere molientis, conatum ita a populo exceptum fuiſſe, ut in apertam ſeditionem proruperit, ac Philippus ab inſtituto ſuo deſiſtere coa-

XXVIII. ctus fuerit. Tempore reformationis inquiſitionem in *Germania* &

XXIX. *Gallia* renovari cœpiſſe. Anno 1542. Papam *Paulum III.* conſtitutione, cujus initium, *licet ab initio*, deputaſſe ſex Cardinales Inquiſitores Generales hæreticæ pravitatis in omnibus Reipublicæ Chriſtianæ locis, tam citra quam ultra montes ubilibet exiſtentibus, eisdemque contra hæreticos quoslibet magnam conceſſiſſe poteſtatem,

XXX. quam Pius IV. poſtmodum auxerit. *Carolum V.* qui inquiſitionem contra Lutheranos & Reformatos in Belgium magno molimine invexerat, eandem Filio in Teſtamento ſuo commendaviſſe, ac in his parentis ſui juſſis obſervandis minime ſegnem ſe exhibuiſſe illum, cum non contentus in terris inquiſitionem exercere, *in* ipſis *triremibus* inſtitui eam curaverit, imo & extra Europam non tantum in *Inſulas Fortunatas*, ſed & ipſum novum orbem *Americam* illam introduxerit, conſtitutis duobus illius tribunalibus, uno

XXXI. in provincia *Peruana*, in civitate *Lima*; altero in provincia *Mexicana* in civitate *Mexico*. In Belgio equidem jam anno 1522. inquiſitionem viguiſſe, atque ei Magiſtrum *Franciſcum Hulſt Huſtumum* & *Nicolaum Egmondanum* Carmelitam præfuiſſe; verum anno 1540.

Carolum

Digitized by Google

Carolum V. Imperatorem edicto contra hæresin & hæreticos, apertius inquisitionem, ad instar Hispanicæ, in Belgium invehere voluisse, quo mandaverit omnibus, quibus justitiæ administratio commissa erat, ac Officialibus, ut requisiti ab Inquisitoribus fidei, & ordinariis sive Episcopis, cupientibus simul contra quempiam in negotio criminis hæreseos procedere, illis præstent omne auxilium ac favorem, eisque in executione officii sui assistant.

Et hactenus quidem primam Inquisitionis originem, ejusque hinc inde propagationem descripserat Clarissimus *Auctor*. Pergit nunc ad repræsentandam interiorem illius faciem, & de *Ministris* Inquisitionis agere incipit, quos primo omnium summatim ex relatione *Simancæ* tradit, & postmodum de singulis seorsim in sequentibus aliqua commentatur. *Lib. II.* Cap. I.

II. Et quidem dum de *Inquisitoribus* ipsis tractat, eorum delegatam judicandi potestatem a Papa esse affirmat; ad quod requiratur, ut quadragesimum ætatis annum aliquis attigerit; quanquam in Hispania & Lusitania generali Pontificis decreto ad munus hoc admittatur, qui vix ætatis annum trigesimum egressus sit. Olim Papam ordinarie illud commisisse Magistro & Prioribus Provincialibus Ordinis Prædicatorum, & aliquatenus Generali & Provincialibus Ordinis Minorum; hodie autem in tota Italia Apostolicos Inquisitores non eligi a Prælatis Ordinum prædictorum, sed vel immediate a Papa, vel per *breve*, ut Inquisitorem Mediolani & Genuæ, vel per literas patentes a Cardinalibus, ut in universa republica Christiana. Magnam de cætero hoc munus obtinere dignitatem, quippe cum Inquisitoribus, veluti Episcopis, *reverendissimorum* titulus attribuatur; cessare vero, si aliam dignitatem indipiscantur Inquisitores; quos si peccare contingat, caveri volunt, ne ex condemnatione illorum in opinione hominum auctoritati & dignitati S. Officii inquisitionis aliquid derogetur.

III. Agit porro Auctor de *Vicariis* Generalibus, qui absentibus ipsis Inquisitoribus negotium inquisitionis promoveant; quos ordinarie ab Inquisitoribus ipsis institui, & a solis iisdem deponi posse monet. Tales & Vicarios in singulis civitatibus, quos *foraneos* vocant, constitutos esse, quanquam iis non nisi sola *processus offensivi* instructio soleat concedi. Quoniam vero olim Inquisitores fratres erant religiosi, Theologiæ solum periti, jurium ignari,

 mani-

mandatum ipſis fuiſſe, ut advocarent peritos, hoc eſt *Theologos, Canoniſtas & Legiſtas*, ipſosque conſulerent, quorum numerus certa lege definitus non ſit: atque viros iſtos *Aſſeſſores* & *Conſultores* appellari, quorum ſingulis ſuæ ſint partes; Theologis, ut *qualitatem* propoſitionum in judicium venientium examinent, unde & *Qualificatores* dicantur; Juris peritis, ut de punitione vel abſolutione reorum pronuncient. Qui officio accuſatoris fungitur, cap. V. *Promotorem Fiſcalem* vulgo appellitari, virum jurisperitum; qui tamen in ea provincia, ex qua ducit originem, officium *fiſcale* adminiſtrare nequeat; ne aut gratioſus aut calumnioſus apud ſuos eſſe VI. videatur. Haberi porro, & quidem ex laicorum numero, *Tabelliones*, quos & *Notarios* & *Secretarios* nuncupent, denunciationes, accuſationes & omnia cauſarum acta ſcribentes, idque ea lingua, qua loquitur teſtis vel reus. Sequitur Judex & receptor bonorum publicatorum. *Judicis* officium eſſe, judicare inter fiſcum & privatos de his cauſis, quæ de bonis hæreticorum tractantur. VII. *Receptorem* vero adeſſe bonorum ſequeſtrationibus, bona publicata recipere, defendere, vendere & ſalaria & alias impenſas officii ſolvere. VIII. *Executorem* vocari, qui præcepta Inquiſitorum exequatur, ejusque officium præcipue verſari in comprehendendis & cuſtodiendis reis, quos etiam abſentes perſequi & vincire teneatur: munus illius idem eſſe, cum munere illorum, qui alias *Officiales* vocantur. IX. Cum vero *Innocentius III.* ut inquiſitionis munus recens inſtitutum felicius procederet, indulgentias & privilegia liberaliter iis impertiverit, qui Inquiſitori ad inquirendos & puniendos hæreticos auxilium & comitatum præſtiterint, hinc factum, ut homines ejusmodi, veluti ex Inquiſitoris familia ſint, *Familiares* & *Stipatores*, & quoniam in extima veſte crucem præ ſe ferunt, X. *Cruce-ſignati* vulgo dicantur. Præter hoc aliud eſſe *Cruce-ſignatorum* genus a Dominico inſtitutum, quibus conſtitutiones & leges condidit ad vitam ſic inſtituendam, ut acerrime hæreticos infectarentur, quorum confraternitatem ſummi Pontifices quam XI. plurimis gratiis, indulgentiis atque favoribus illuſtraverint. Quia vero Inquiſitorum aliorumque officia miniſtrorum ſolent eſſe perpetua, neceſſe eſſe, ut interdum rationem ſuorum munerum reddant; inde magiſtratus creari, qui viſitent Inquiſitores & omnes alios

alios miniſtros, ob eamque cauſam *Viſitatores* ipſos appellari. Et iſti quidem miniſtri ſunt, qui omnes inquiſitioni hæreticorum inſerviunt, inter quos nulli magiſtratui ſeculari ſunt partes : ſed cum armis & poteſtate magiſtratus ſæpe indigeant, ut hæreticos ultimo ſupplicio afficiant, quod nulli eccleſiaſtico licet ; id agere ſolent eccleſiaſtici, ut magiſtratus ſuis juſſibus habeant obſequentes. cap. XII.

Id qua ratione agant, & quodnam ſit officium ſeu poteſtas cujuslibet *Rectoris*, capite XIII. monſtrat Auctor ; atque inde de Inquiſitorum, ut miniſtrorum præcipuorum, tum *privilegiis* tum *poteſtate* diſtinctius agere pergit, quæ omnia magna ſunt ſane & eximia. *Juriſdictionem* Inquiſitorum eousque extendi ait, ut adverſus omnes ac quascunque perſonas procedat, ſolis Nuntiis Apoſtolicis Epiſcopisque exceptis. Utque ſine ullo impedimento officio ſuo fungi poſſint, poteſtatem ipſis datam eſſe cogendi civitatum rectores ad jurandum de defendenda eccleſia contra hæreticos ; & cum non ſemper in cauſis gravioribus occaſio ſit recurrendi ad Pontificem Romanum, poteſtatem etiam habere ipſos, ſtatuta eccleſiaſtica & ſecularia libere interpretandi ; uti &, defendendi ſui cauſa, ut inſtructi ſint officialibus & familia armata : quorſum & ſpectet *prohibitio* librorum ; qua occaſione paulo altius *Auctor*, & ab ipſa, quantum fieri potuit, origine totam de librorum prohibitione materiam exponit. Interim cum judicium de hæreſi, & ordinariis ſeu Epiſcopis, & delegatis ſeu Inquiſitoribus commiſſum ſit, videndum ulterius ſuſcipit, quid ſinguli ſeparatim poſſint, & ad quos actus utrique neceſſario concurrere debeant. De *Carcere* quoque agit, ubi inſimul oſtendit, quænam præcedere debeant, priusquam aliquis in cuſtodiam detur ; quantum ſilentium hominibus miſeris ſit in iisdem præſtandum ; & quam fœde ſæpe in carceribus illis captivi habeantur. Sed cum hæc omnia magnis impenſis conſtent, capite ſequente Auctor de *expenſis* in Inquiſitionis adminiſtratione requiſitis, & confiſcatione bonorum, quæ huc applicantur, diſſerit ; & denique de ſalariis Inquiſitorum miniſtrorumque agit. *Lib.* vero *III.* de *Criminibus* ad Inquiſitionis tribunal ſpectantibus agit *Auctor*, & primum omnium de *hæreticis* & eorum pœnis diſquirit. Ut quis vere ſit hæreticus, tria dicit requiri : ut fidem catholicam ſit profeſſus, id eſt, ut ſit baptiſatus; XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. cap. L.

ut error eorum ſit in intellectu, quæ fidei ſunt; ut denique ſit pertinacia in voluntate. Pœnas in hæreticos conſtitutas eſſe multas & graviſſimas; easque diſtingui in *eccleſiaſticas* & *civiles*. Inter *illas* primo loco poni *excommunicationem*, quæ vel major ſit vel minor; porro privationem ſepulcri, & alias. Inter *civiles* primam eſſe bonorum publicationem, cui annexa ſit filiorum, licet catholicorum, exhæredatio; tertiam pœnam eſſe, quod ſint infames; quartam, quod omni dominio priventur, jure gentium introducto; huc etiam ſpectare, quod fides illis data ſervanda non ſit, aſyla etiam, quæ nec facinoroſos excludant, ipſis ſint deneganda: quintam pœnam eſſe carcerem; ſextam bannum & diffidationem; & ultimam denique ſupplicium mortis, ut nempe comburantur vivi. Prolixius in ſequentibus eſt *Auctor* in explicandis *Hæreticorum diſtinctionibus*: alios enim eſſe manifeſtos, alios occultos; alios eſſe affirmativos, alios negativos; alios impœnitentes, alios pœnitentes; alios Hæreſiarchas, alios credentes hæreticis & ſchiſmaticos. Agit porro de *Receptatoribus* & *Defenſoribus* Hæreticorum; item de *Fautoribus* Hæreticorum, quibus accedere docet *Impeditores Officii Inquiſitionis*; ſic enim præceptum omnibus eſt Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque, ut Inquiſitoribus præſtent omnem favorem atque auxilium. Inde agit de *Suſpectis* hæreſeos. Suſpicionem vero eſſe ait triplicem, levem, vehementem & violentam; huc & pertinere *diffamatos* de hæreſi, illos ſcilicet, contra quos publica fama clamat, quæ diffamatio ut perfecte probetur, ſufficere duos teſtes bonos & graves. Uti & *Relapſos*, qui vel in hæreſin, vel in *Fautoriam* hæreſeos denuo inciderint. Sed tamen & alios, quorum crimina poſſint cenſeri alterius fori, hæreſeos labe aſpergi, ut ad inquiſitionis tribunal trahantur, quos inter ſunt, qui *prohibitos libros* propter hæreſin retinent & legunt: *polygami*, quoniam de Sacramento matrimonii male ſentire cenſeantur: *celebrantes Sacramentum pœnitentiæ*, cum non ſint Sacerdotes: *Confeſſarii ſollicitantes*, qui in ſacramentali confeſſione mulieres ad inhoneſtos actus provocent: *inſurdeſcentes in excommunicatione*, qui poſtquam nominatim pro excommunicatis ſunt declarati, in illa excommunicatione per annum perſeverarunt; & qui ita obſurduet, haberi pro confeſſo & convicto de crimine, ob quod fuit

cap. II.

III.
IV. V.
VI. VII.
VIII.
IX.
X.
XI.
XII.
XIII.
XIV.
XV.
XVI.
XVII.
XVIII.

excom-

excommunicatus: *blaſphemi*, illi nempe, qui proferunt blaſphemi- cap. XIX.
as hæreticales: *divinatores*, ſortilegi & aſtrologi, lamiæque & in- XX.
cantatrices: denique Judæi, non quidem ut ad religionem Chri- XXI.
ſtianam cogantur, ſed ut qui ex ipſis, poſtquam Chriſtiana ſacra re-
ceperant, ſe rurſus ad antiqua ſacra contulerunt, non aliter ac hæ-
retici puniantur.

Sequitur *Liber IV.* qui diffuſiſſime agit de *modo procedendi* coram tribunali inquiſitionis; ſed quia nos pleraque hujus generis omnia recenſuimus, cum relationem de *Inquiſitione Goana* Actis noſtris inſereremus *Tom. I. Supplement. Sect. II. p. 61.* libro hoc excerpendo merito ſuperſedemus.

His ita abſolutis, ipſum tandem *Sententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ* librum ab anno Chriſti CIↃCCCVII. ad annum CI CCC XXIII, ſiſtit celeberrimus *Limborchius*, qualem quidem typis exſcriptum nondum vidit Orbis Chriſtianus. Exhibetur autem eodem *ritio Inquiſitionis*, qualis olim in uſu fuit, expreſſa centenis aliquot ſententiis, prout ab Inquiſitoribus contra fideles, ab Eccleſia Romana tetra hæreticorum appellatione diffamatos, pronunciatæ fuerunt, imprimis contra Albigenſes & Valdenſes, qui ad unam vel duas ſectas conſtituerint, ex his demum *Actis* ſatis manifeſte decidi poſſe videtur, ſi vel *Sententia Petri Auterii*, Doctoris inter Albigenſes eximii fol. 40. conferatur cum ſententia *Stephani Porcherii* fol. 92. aut *Jo. Brueyſſan* fol. 96. Cæterum ſolennitates, quibus ſententiæ ab Inquiſitoribus pronunciabantur, olim nuncupatæ fuerunt *Sermones Generales de fide*, quia ante ſententiæ pronunciationem ſermo de fide ab Inquiſitoribus haberi conſuevit. Ejusmodi quatuordecim ſermonum Acta hoc volumine comprehenduntur; in quo de cætero curioſa imprimis eſt relatio *degradationis*, cujus omnes ritus, quibus peragitur, ut clericus in hæreſin lapſus tradi poſſit curiæ ſeculari, p. 136. accurate deſcribuntur.

JOH. CHRISTOPH. Hartung / PHILOS. ET J. U. D. *Methaphyſica Juridica.*

Jenæ, in 8. A. 1692. Conſtat plagulis 30.

CUlm de tota Philoſophia, tum maxime de Metaphyſica ſemper bene merita eſt Illuſtris Salana, præſertim poſtquam B. Stah-

Stahlius & B. Slevogtus, Par in his literis incomparabile, hanc omnium disciplinarum principem publice docuerunt, suisque scriptis magnopere illustrarunt. Nec apud Philosophos, quique Metaphysica carere nullo modo possunt, Theologos, hoc studium substitit, sed etiam Medicos & Jureconsultos dignitate ac utilitate sua movit ac incitavit adeo, ut nuper Consultissimus Autor Metaphysicam forma quasi Juridica totam indueret, & quomodo ejus doctrinæ ab iis, qui utilem Jurisprudentiæ operam navare cupiunt, in succum & sanguinem vertendæ essent, exemplis doceret. Hic nimirum scopus, hæc methodus Doctissimi Viri per integrum Librum, postquam in capite primo non tantum de natura hujus scientiæ, sed & de utilitate in studio & exercitio Juris prudenter egisset, eamque contra dissentientium deliramenta & inepta figmenta stramineaque argumenta, ceu pag. 9. & 12. loquitur, mascule defendisset. Non autem contentus fuit, præcepta & distinctiones Methaphysicæ præcipuas sub initium singulorum capitum exemplis sui generis, quod est, e foro petitis illustrare, nisi & Regulas, nomine regularum vere dignas, omnique exceptione majores subjiceret, similemque in modum ad materias forenses applicaret. Sequitur autem tum in præceptis & distinctionibus, tum in Regulis, ordine decenti proponendis, dextreque exponendis, maxime B. Sthalium, idque recte omnino, cum ille in his omnibus accurate processerit, quique in Scholis hodie magis regnet, reperiatur nemo. Novas tamen Regulas nonnunquam insperfit, qualis illa foro perquam commoda in c. 15. aut ult. pag. 474. seqq. *Fictio in casu ficto tantum operatur, quantum veritas in casu vero.* Adeo verum est, ut verbis ipsius Autoris p. 13. concludamus, Metaphysicam summe utilem ac scitu necessariam esse, etiam Juris Studioso, quem veram non simulatam Philosophiam Juris affectare oportet, inprimis si ejus disciplinæ præcepta materiis Juridicis convenienter applicare doceatur.

NOVA LITERARIA.

IN Italia Florentiæ imprimitur Historia San-Geminianensis, auctore *D. Coppi*; propediem etiam evulgabitur *Pauli Cortesii*, cui fanum illud S. Geminiani patria fuit, Dialogus Latinus de viris sui temporis eruditione claris. Diarium Eruditorum, quod Par-

Parmæ Latino ſermone editur (cujus annus 1692 totus typis jam eſt exſcriptus) auctorem habet *Petrum Paulum Manzanum* : Diario autem Mutinenſi, & Italico quidem idiomate adornando, decem viri docti, quorum nomina alio loco indicabimus, junctis operis incumbunt. Romæ *Philippus Bonanni* e S. I. cujus Micrographiam propediem ad nos delatum iri ſperamus, a *Joanne Ciampino*, viro promovendis bonis literis nato, excitatus Numiſmata Romanorum Pontificum, quorum non contemnendam copiam P. *Claudius Molinet* in Hiſtoria Romanorum Pontificum a Martino V. usque ad Innocentium XI. Pariſiis A. 1679 edita, & proximis abhinc annis Venetiis *Joannes Palatius* in Geſtis ſummorum Pontificum, cum orbe erudito jamdum communicarunt, juſto & perfecto opere (quale & *Bernardum Philippum Odamum* molitum fuiſſe, ſed morte præventum abſolvere non potuiſſe, hoc ipſo menſe pag. 311. innuimus) complecti conſtituit.

In Gallia Aquis ſextiis *P. Antonius Pagi* in concinnando ſecundo Criticæ Baronianæ tomo occupatur. *P. Franciſcus Porterus*, Hibernus, Ordinis Fratrum Minorum Hiberniæ, olim in Romano S. Iſidori Collegio S. Theologiæ Profeſſor primarius & nunc Lector bis Jubilatus, ac Sereniſſimæ Majeſtatis Britannicæ (Jacobum Regem innuimus) Theologus & Hiſtoricus, qui Avenione hoc ipſo anno *Syſtema Decretorum Dogmaticorum ab initio naſcentis Eccleſiæ, per ſummos Pontifices, Concilia generalia & particularia hucusque editorum*, publicavit, nunc juſſu Regis ſui totus eſt in componenda Eccleſiaſtica Hiberniæ Hiſtoria. Pariſiis *P. Harduinus* ſtrenue dicitur incumbere novæ Conciliorum editioni, quæ minus ampla, quam priores, futura eſt, quod reſecare ea omnia conſtituit, quæ ad Concilia proprie non ſpectant, & in Bibliothecis Patrum extant. Ejusdem Diſſertatio de Nummis Herodiadum, ſuppreſſa, cum vix lucem adſpexiſſet, denuo comparebit, una cum tractatu novo de ultimo Paſchate J. Chriſti. *Ludovici Ellies Du Pin* Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum, & Archiepiſcopi, & Parlamenti Pariſienſis decreto condemnata eſt, tametſi Auctor Declarationem ediderat, qua haud pauca in Opere illo ſuo tradita, partim retractata, partim emollita deprehenduntur. Fatis Lutetiæ Pariſiorum hoc anno die 7. Februarii ſt. n. cum annum ætatis ſexa-

ſexageſimum nonum ageret, functus eſt *Paulus Pelliſſonius*, non ſemel in Actis noſtris memoratus; magnum, dum viveret, Academiæ Francicæ, cujus & hiſtoriam condidit, decus; vir adverſam benignamque fortunam expertus; Romanæ religionis quondam adverſarius, poſtremo propugnator magni nominis: de cujus obitu, quod Sacramentis ritu Romano non receptis deceſſit, diverſa ſunt pro partium ſtudio hominum judicia; hinc Romano-Catholicis ſubitaneo animi deliquio hoc ſolamine ante extrema deſtitutum eum fuiſſe contendentibus; inde Reformatis conſulto, & purioris doctrinæ ſenſu in præcordia redeunte, neglectas, quas ſerio nunquam probaverit, ceremonias arguentibus. Noverit hæc Deus ὁ καρδιογνώστης. Elogium Viri citra omnem controverſiam eloquentiſſimi, vitæque ejus hiſtoriam Diarium Eruditorum Pariſienſe d. 4. Maji 1693. p. 193. exhibet.

In Germania noſtra triumviri clariſſimi vitam cum morte hoc anno commutarunt. Primus eorum eſt *Chriſtianus Scriverius*, Rensburgo-Holſatus, S. Miniſterii quondam apud Magdeburgenſes Senior & ad D. Jacobi Paſtor, poſtremo Reverendiſſimæ Abbatiſſæ Quedlinburgenſi a confeſſionibus & concionibus ſacris, ſcriptis quam plurimis homileticis in lucem editis de Eccleſia præclare meritus, qui Quedlinburgi d. 5. Aprilis, anno ætatis 64. placide obdormivit. Alter eſt *Juſtus Chriſtophorus Schomerus*, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor in inclyta Academia Roſtochienſi primarius, nec non Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſor & diſtrictus Mecklenburgici Superintendens celeberrimus, cujus ſcripta quædam in Actis A. 1691. p. 253, & 1692. p. 448. recenſuimus. Atque hic quidem in ætate florentiſſima, cum annum 46. ageret, die nono Aprilis ſt. v. terris ereptus eſt, magno Eccleſiæ orthodoxæ, quæ plurimum ſibi a ſingulari Viri eruditione pollicita fuerat, detrimento. Ultimus eſt *Johannes Georgius Volckamerus*, S. R. Imperii Eques Auratus, Auguſtiſſimi Imperatoris Conſiliarius & Archiater, Comes Palatinus Cæſareus, Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſes &c. qui vitæ honorumque ſatur, die 17. Maji Noribergæ e vivis exceſſit.

Ante paucas ſeptimanas, Indices Generales Auctorum & Rerum primi Actorum Eruditorum Decennii primique Tomi Supplementorum, luci publicæ fuerunt expoſiti.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ
Calendis Augusti Anno M DC XCIII.

CASPARIS ZIEGLERI, JURIS CONSULTI, AD PROCESSUS Saxon. Ordinationem Commentarius & Introductio. Accessit de Successione Conjugum seu Portione superstitis conjugis statutaria tractatus.

Lipsiæ apud Joh. Grossii viduam & hæredes, 1693, in 4. plag. 64.

SIstit nobis post fata sua *Zieglerus*, Electoralis Saxonici Supremi Appellationum Judicii, dum viveret, Consiliarius, & in Academia Wittenbergensi Antecessor primarius ac Facultatis Juridicæ Ordinarius (quem in scriptis & functionibus suis incomparabilem JCtum agnoverunt orbis eruditus & provinciæ Saxonicæ) tractatum, cujus pretium vel sola beati Autoris fama & materiæ dignitas loquitur. Priori loco exhibetur *Ordinatio Processus Saxonici cum annotatis cuique titulo subjectis*; ubi non recensebimus ea, quæ Autori cum aliis sunt communia, sed digitum saltem intendemus ad ea, quæ vel 1. ab aliis prætermissa, aut non satis distincte tractata enucleavit & præjudiciis confirmavit, vel 2. rejecta communi opinione emendavit, vel 3. novis rationibus, omissis vulgaribus, probavit. In classe *prima* deprehendimus sequentes fere quæstiones & conclusiones: quodnam sit Judicis officium in partibus amice componendis? quando in citatione non opus sit termino legali? quomodo obtineat cumulatio actionum? quousque emendari vel mutari possit libellus? an defuncta uxore gener pro socero absque mandato in judicio comparere possit? quousque ratihabitio Domini confirmet gesta falsi

Procuratoris? quænam ſit origo Guarandæ in Saxonia præſtari ſolitæ? cur octiduum oblationi ad jurandum ſit præſcriptum? Si nobilis feudi dominus adverſus vaſallum ſubditum agere velit judicio feudali, non ſufficere juramentum Actuarii generale, ſed requiri ſpeciale, judicio feudali accommodatum; inſinuationem compendioſam citationis heredum ad domum defuncti obtinere, modo unicus terminus judicialis obitum illius præceſſerit; matrem non poſſe defenſorio nomine pro filia comparere; maritum jure tutelæ maritalis poſſe præſente uxore lites ejus expedire; exceptionem præſcriptionis impedire litis conteſtationem; in proceſſu executivo nec hodie præſtandam eſſe guarandam; ubi veritas aliter haberi nequeat, nullam immunitatem a teſtimonio, licet alias ſufficientem, allegari poſſe; recognitionem documentorum a curatore mulieris factam non valere, ſed fieri debere vel a muliere una præſente, vel ab actore conſtituto; famulum uſuras mercedis ex mora petentem, privilegium prælationis in concurſu creditorum non amittere; ſortem pro annuis reditibus datam eodem jure prælationis, quo ipſos reditus, gaudere.

In *ſecunda* claſſe eminent aſſertiones: non Judicem, ſed Principem poſſe partibus invitis proceſſum ordinarium in ſummarium mutare; Advocatum neque in bona cauſa fallaciis uti poſſe; partem, cujus cauſa etiam bona eſſe intelligitur, recte ad transactionem ab Advocato poſſe induci; opinionem communem, quod maritus pro uxore comparens ad cautionem rati adigatur nonniſi reſpectu receptitiorum, in Saxonia non procedere; uſufructuarium litigantem, agro nondum ſubacto, non immunem eſſe a cautione; pauperem, ad cautionem juratoriam admiſſum, eidem ſubtrahere ſe poſſe, ſi fidejuſſores tandem repererit; ad juramentum admitti etiam eum, qui ſpectatæ fidei non eſt; ex inſtrumento per contumaciam rei non edito, de cujus contentis non conſtat, reum condemnari poſſe juxta petita actoris; terminum exhibendis productis præfixum per compromiſſum partium poſſe coangustari, non vero per Judicem; ſententiam non ſecundum acta & probata, ſed ſecundum conſcientiam ferendam eſſe; reſciſſionem nullitatis in ſententia commiſſæ, quæ non proceſſum ſed merita cauſæ concernit, ad ſpatium Saxonicum non eſſe reſtringendam,

Digitized by Google

dam; si tertius rem pignoratam possideat nomine proprio, excutiendum esse ipsum debitorem, antequam contra possessorem agatur, sive hypotheca generalis fuerit, sive specialis; in Saxonia æque ac alibi obtinere cessionem bonorum.

Tertia classis has potissimum continet propositiones: omissa compositione amica nullum non esse processum; reconventionem nihil iniqui involvere; annuos reditus in concursu creditorum tributis æquiparari &c.

Alteram hujus Voluminis partem constituit *Introductio ad Processum*, ubi cautelas ante institutam actionem, tum in libello, citatione, comparitione aut contumacia, legitimatione ad causam per mandata, syndicata, actoria; oppositione exceptionum, litis contestatione & denunciatione, interventione, probatione, reprobatione, actorum inrotulatione, sententia ejusque publicatione, leuteratione & appellatione observandas suggerit, eosque articulos distincte simul exponit, & asserta sua ex facti specie pag. 6. proposita, & per singula capita deducta illustrat. Ubi inter multa singularia ibidem occurrentia hæc potissimum observavimus: pro persona conjuncta minorem defensorem absque mandato cum rati cautione in judicio admitti, ut ut minor ratihabere non possit; defensores in cautione rati adigi non posse, ut beneficio excussionis renuncient; pro Universitate duos vel tres defensores cum cautione rati non admitti; mulierem in foro Saxonico ad juramentum per curatorem offerre se non posse; falsum esse, si generaliter intelligatur, probationem esse individuam, quandoquidem si ex pluribus litis consortibus nonnulli probationem instituerint, reliqui neglexerint, hi posteriores sint excludendi.

Tertia pars *de portione conjugis superstitis statutaria*, & vera statuti Wittebergensis interpretatione, exhibet initio successionem conjugum ex Jure Romano & Saxonico, inde statutum Wittebergense totidem, quot conceptum est verbis, sistit. Hinc potestatem magistratus municipalis explicat, eamque contra communem opinionem, neq; ex mero imperio, neque ex jurisdictione venire, & confirmationem Principis non ad esse statuti, sed ad consequendam auctoritatem legis & firmiorem obligationem requiri probat. Ostendit simul, hoc Wittebergense statutum non confirmatum, neque adeo

typis impreſſum eſſe, ſed obligare tanquam conſuetudinem. Quibus præmiſſis, deſcendit ad explicationem verborum, oſtendens ſermonem hic eſſe tam de uno, quam de pluribus liberis, & de bonis defuncti conjugis tantum, non utriusque in unam maſſam collatis; porro viduum debere tertiam partem liberis defunctæ uxoris, ſive ex ipſo, ſive ex priori matrimonio geniti ſint; Geradam vero liberis non absque diſtinctione ſexus, ſed fœmellis tantum deberi, neque ſolis filiabus, ſed aliis etiam defunctæ cognatis. Denique Deciſiones nonnullas per modum quæſtionum proponit, ſcilicet (1.) hoc ſtatutum non intelligendum eſſe de peregrinis, licet per longius tempus Wittebergæ commorantibus (modo domicilium nondum eo tranſtulerint) ibique decedentibus. Quamvis enim in contractibus & delictis ſtatuta loci, ubi res geſta vel patrata eſt, attendantur, contrahendo tamen vel delinquendo conſentiri in ſtatuta, non æque moriendo. (2.) Non extendendum ad Clericos, Profeſſores aliosque Academicos, niſi forte ſponte ab ipſis receptum ſit; ubi Coleri & Goldbeckii argumenta in contrarium excutit, & ſententiam ſuam ad bona mobilia reſtringit. (3.) Statuto huic renunciari, & portionem delatam repudiari valide poſſe. Adeoque (4.) liberum eſſe viduæ, ſi illata ſua, quam portionem repetere malit, non obſtante reſcripto Chriſtiani II. Elector. de A. 1606. (5.) Conjugem ex hoc ſtatuto ſuccedentem non teneri ad collationem, non obſtante vel conſuetudine aliqua, vel Jure Sax. communi aut Electorali. (6.) Bona defuncti immobilia extra jurisdictionem civitatis ſita ſtatuto iſti non ſubeſſe. (7.) Si quis plura habeat domicilia, mobilia in quolibet domicilio ſecundum ejus ſtatuta eſſe judicanda. (8.) Portionem ſtatutariam non deberi ex feudalibus, fideicommiſſo ſubjectis, nec viduæ deberi ex eo, quod propter occiſum maritum hæredes necem ejus vindicantes ex transactione ab occiſore conſequuntur. (9.) Si viduæ legatum relictum a marito, illud poſt portionem ſtatutariam ex reliqua defuncti hæreditate ſolvendum. (10.) Liberorum legitimam & præcipuum educationis, quod ex ſtatuto liberis impuberibus debetur, prius quam conjugis ſtatutariam eſſe deducenda.

CORNELII

CORNELII SOLINGEN, MED. ET CHIRURG. DOCTORIS Hand-Griffe &c.

i. e.

Cornelii Solingen, Med. & Chirurg. Doctoris Hagienſis, Manuales Chirurgiæ Operationes, una cum Obſtetricum Officio &c. Quibus Autoris ejusdem Embryulcia adnexa eſt &c.

Francofurti ad Viadrum, apud Jeremiam Schrey & Heinrici Johannis hæredes, A. 1693. in 4.
Conſtant plagulis 11. & figur. tabul. 14.

VErſio hic Germanica ſiſtitur duorum multæ experientiæ Tractatuum, diverſis temporibus ab Autore celeberrimo Belgice divulgatorum; *Operationes* quippe *Chirurgicæ, una cum Obſtetricum Officio variisque Obſervationibus A. 1685, Embryulcia* vero *A. 1673. Hagæ Comitis* prodierunt. *Operationum Chirurgicarum*, pro tritiſſima corporis humani in tres ventres & artus diviſione, *quatuor* Experientiſſimus noſter *partes* conſtituit, easque capiti, thoraci, abdomini & artubus deſtinatas ita pertractat, ut, quas a Chirurgo tantopere poſtulat conditiones, ipſemet explere videatur ſolicite. Quemadmodum enim in Chirurgo, præter judicium maturum & animum attentum, non tantum ſolidam Anatomiæ cognitionem, ſed inprimis etiam artem inſtrumenta quævis chirurgica rite confieiendi, deſiderat; ita ubivis fere cum propriam operandi rationem, Anatomiæ innixam, tum inſtrumenta a ſe inventa, maximamque pariter partem elaborata, ſedulo explanat ac delineat. Quod ut conſtet planius, unam & alteram Operationum ſtrictim commemorare non gravabimur. Fonticulos ſcilicet ſupra futuram coronalem cannula perieranium ſcindente, acumque in medio obtinente, cultello pericranium ſeparante, ac cauterio actuali externam cranii laminam absque multo partium adjacentium dolore adurente, excitat. Depreſſioni cranii absque fiſſura vel fractura elevandæ, in infantibus nunc emplaſtrum tenax, nunc cucurbitam ſtanneam, loris munitam, interventu flammæ adaptat; in adultis autem,

Operat. Chirurg. Præfat.

Part. I. c. 1.

cap. 2.

cap. 3. tem, inciſione pericranii rite facta, & cranio trepani exfoliativi o-
pe forato, terebram triformem vel elevatorium biploideum admo-
4. vet. Aſt ſi cranii depreſſionem fiſſura, fractura, aut comminutio co-
mitetur, ibi ſingularibus raſpatoriis, ſerris par vis, elevatoriis & forci-
5. pibus; hic vero dum comminutio externam tantum laminam occu-
pat, trepanis exfoliativis ac lævigatore utitur. Quæ trepana exfoli-
6. ativa, parva tamen & multa, circa infixam quoque gladii vel pu-
gionis portionem, pro hac extrahenda, adhibet; item adminiculo
7. trepanorum exfoliativorum, roſtri pſittaci & forcipis ſcindentis fo-
8. ramen cranii dilatat, optimeque ac tutiſſime ipſam trepanationem,
præter vulgarem modum, partim trepano exfoliativo lato, partim tre-
pano magno a Guillemeau Tab. 4. Fig. 1. & 5. depicto, abſolvi reputat.
Licet in oculorum affectibus, quorum auxilia chirurgica ſuggerit,
31. G. Bartiſch magni faciat, in adnatæ tamen eminentia operatio-
nem ejus mere fictitiam eſſe, ſola vero remedia diſcutientia & ro-
33. borantia per experientiam efficacia venditat. Quæ in oculum præ-
ternaturaliter illapſa fuerunt, hujusque bulbum lædunt, apta remo-
50. vet acu; aurium vero res alienas inſtrumentis diverſis extrahit: ſpe-
ciatim ex aure Helveti cujusdam militis magnam araneam, trium
quæ Chirurgorum operam eluſerat, peculiari exemit auriſcalpio.
53. Pro ozænæ magnitudine cognoſcenda, nares ſpeculo appropriato
54. expandit.. Strumarum curam non tam ſectione, quam remediis
emollientibus & reſolventibus aggreditur; in ſe ipſo namque tu-
morem glandularum ſalivalium ſtercore humano atque emplaſtro
de ranis cum mercurio & ſale armoniaco absque inciſione
56. & ult. ſuſtulit. Neque in laryngotomia tracheæ vulneratæ cannu-
lam incurvatam & foraminatam, quod tuſſim talis excitet, ſed pla-
niformem potius, vulneri reſpondentem, cujus extremitas immit-
tenda aliquantum plicata & lævigata ſit, altera vero externa
duabus ad minimum alis gaudeat, applicat. Paracenteſin thoracis
Part. 2. c. 1. adornans, ſpatium intercoſtale in latere ſiniſtro ſecundam inter &
tertiam coſtam, in dextro autem ob hepar inter tertiam & quartam,
ab inferioribus numerando, annotat; hinc cutim apprehenſam
ſupra ipſam coſtam inferiorem ad hujus ductum diſcindit, quia ſe-
ctione peracta, æger ſcapulas elevare, vulnusque exacte ſuper inter-
coſtale ſpatium diſtendere ſoleat. Muſculis denique intercoſtali-
bus

Digitized by Google

bus oblique ad thoracis usque cavum ſectis, quo pleuram absque pulmonum læſione magis incidat, apte ſpecillum excavatum conductoris vice ſcalpello admovet, vulnus digitis anterioribus pulmones adnatos ſimul ſeparantibus dilatat, materiamque in thorace contentam decuſſorio educit. Fiſtularum thoracis calloſitatem turundis, e charta pergamena convoluta & lixivio acri incocta præparatis emollit; tortuoſitatem vero earum ſpecillo flexili cavo e filo argenteo catheteris adinſtar flexilis confecto & acum cum filo recondente indagat ac perforat. In mamma cancroſa amputanda inſtrumento annuliformi ſcindenti acus vel furcam atque falcatum præponit cultrum. In paracenteſi abdominis hoc ſubula quadrangulari aliove inſtrumento lanceolæ ſimili transfodit, transfoſſoque cannulam argenteam ſive ſtanneam ejusdem cum foramine magnitudinis, ſuppoſito corio, adaptat, & quidem cochleatam, quo operculo itidem cochleato & corio interjecto exacte obturari, omnisque aquæ effluxus impediri valeat. Carunculam urinariam, quæ obſtruit meatum, filo argenteo dentato abſumit; calculos autem in utroque ſexu eximendi rationes poſtquam varias indigitavit, Lithotomis demum trutinandum proponit, annon calculos omnium maximos e veſica, flatu prius ope follis ſufficienter diſtenta, per vulnus abdomini ſub umbilico ad lineæ albæ latus ipſique veſicæ inflictum, extrahere liceat commodiſſime. Quam indenatis aliquoties perfecit ſectionem cæſaream, in vivis tamen parturientibus vix ſuſcipere audet, ne in iis quidem, quibus uteri vagina anguſtata internumve os cartilaginoſum exiſtit, quoniam viæ hæ dilatari omnino poſſe videantur. Abſceſſus imprimis capitis, phlebotomo aut cauſtico haud temere aperiendos, ſed medicamentis potius, etiamſi adfuerit ſuppuratio, reſolvendos eſſe dictitat; hunc in finem caput mortuum, a deſtillatione ſpiritus ſalis armoniaci cum calce viva relictum, & unguento martiato, nervino, aliove reſolventi admixtum, ſuperaddita farina orobi vel fabarum, ne ſal diffluat cutimque corrodat, multum extollit, utpote cutis poros adeo laxans, ut vel purulenta materia per cutim preſſam guttatim ſtillet. Inſtrumento Hildani, quod hic in gratiam oſſis femoris fracti excogitavit, ac Cent. 5. Obſ. 86. deſcripſit, aliud commodius ſubſtituit, cruri quoque fracto adaptandum. Sanguinem

cap. 3. 4. & ult. Part. 3. c. 1. cap. 7. 20. 42. & 43. ult. Part. 4. c. 11. 17.

cap. 33. & 34. ult. nem denique & lympham, ubi venæ, arteriæ aut lymphatica læsa fuerint, ſpleniis potiſſimum & faſciis compeſcit, chartam oleo vitrioli imbutam & exſiccatam adſtringentis loco commendans.

Sed relictis Operationibus Chirurgicis, *Obſtetricum* porro *Officium*, *Obſervationes ſingulares adjectas & Embryulciam* convenit luſtrare. Sicut namque Nobiliſſ. Autor in muniis Obſtetricum deſignandis, gravidarum non minus ac puerperarum rationem habet; ita partim ingravidationis ſigna, ſymptomata gravidarum modumque vivendi; partim, qua ratione fœtus vivus in lucem edendus, quocunque gaudeat ſitu, aptiſſime excipi exceptusque tractari debeat, circumſpecte edocet, ſellamque una parturientibus accommodatam delineat. In Embryulcia vero, partus difficilis cauſis ac ſignis, itemque fœtus mortui indiciis prælibatis, quomodo hic a Chirurgo extrahendus ſit, unice oſtendit; quas tamen encheiriſes recenſere, brevitati litantes eo magis ſuperſedemus, quod Experientiſſimus Autor Embryulciam veram, ſive fœtum mortuum inſtrumentis a ſe inventis & fabrefactis extrahendi rationem, ſibi etiamnum reſervet, certis de cauſis non niſi poſt diem fatalem evulgandam. Tandem Obſervationes, centuriam excedentes Officioque Obſtetricum adnexæ, fœminas concernunt & infantes.

711. Sic Noſter in fœmina quadam uterum cum vagina poſt inſignem utriusque prolapſum, ope inſtrumenti appropriati elaſtici retinuit

723. in ſitu. In diſſecta alia, quæ gravida ſibi fuerat viſa, loco fœtus ingentem uteri ſcirrhum deprehendit; aliam vero, cujus vagina a

727. partu præcedenti lacerata perverſam ob curam fere coaluerat, a

743. mortuo liberavit fœtu. In muliere inferioris conditionis miram

743. colli veſicæ inverſionem ſive procidentiam; in fœtu autem quodam mortuo umbilicalem funiculum perquam brevem, manu lata

761. haud longiorem, ordinario tamen craſſiorem, annotavit. Neque fœtus reticendus a quadragenaria poſt quadraginta & novem horarum elapſum editus, quem omni ex parte inſtar lapidis lazuli cœruleum vidit, auxilio vini & aquarum ſpirituoſarum externe adhibitarum reſtitutum. Omittimus autem obſervata reliqua, quæ operam cumprimis, vel parturientibus, vel iſchuria laborantibus ab Autore præſtitam abunde declarant.

ΑΝΘΡΩΠΟΘΕΩΡΙΚΟΣ,

Sive

NIHIL, ALIQVID, ET OMNIA THEOLOGORVM: AVTORE GEORGIO LEHMANNO SS. Theol. D. Prof. Publ. & Superintendente Lipſienſi.

Lipſiæ, typis Chriſtiani Gœzii, 1693. in 8. Conſtat plagulis 25.

QUartus ſupra vigeſimum annus agitur, quod ſumme reverendus Autor e diœceſi Weiſſenfelſenſi, quam ſumma cum prudentiæ laude non exiguo temporis intervallo moderatus fuerat, in Lipſienſem evocatus eſt, ubi Superintendentis & Profeſſoris Theologi graviſſimo munere tanto ſtudio functus eſt, ut & Eccleſia noſtra, & Academia memoriam meritorum Præſulis ac Doctoris ſui nunquam oblivione ſit obliteratura, eumque per quamplurimos adhuc annos ſuperſtitem merito exoptet. Habuerat is *orationem* d. 5. Julii A. 1683, cum in Panegyri ſolenni, a maxime reverendo Theologorum Lipſienſium Collegio, Licentia Doctorum Theologiæ axioma ſuo tempore conſequendi, Duumviris plurimum reverendis, *Georgio Weiſſio* & *Henrico Jonathani Werenbergio* conferretur. Magno cum applauſu tum audiebatur iſthæc declamatio, meritoque adeo digna viſa fuit Autori, quam nunc excudi curaret, & cui præfigeret Tractatum ejusdem argumenti, ſed majoris molis. Utrobique *articulum* noſtræ fidei *de homine* ita explanat, ut metaphoris alchymiſticis nullibi non lucem ei fœnerari ſatagat.

Inciderat nempe Lehmannus in librum Oxoniæ A. 1621. in 4. a *Joanne Thornbourgh*, Epiſcopo Wigornienſi in Anglia, evulgatum, ac hoc titulo inſignitum: ΑΙΘΟΘΕΩΡΙΚΟΣ, *ſive*, *NIHIL, ALIQUID, & OMNIA antiquorum ſapientum, vivis coloribus depicta philoſophico-theologice, in gratiam eorum, qui artem auriferam phyſico-chymice & pie profitentur.* Dicunt enim artifices illi χρυσοποιοὶ, ſe efficere NIHIL, dum compoſitum ſolvant ac putrefaciant; ALIQUID, dum putrefactum ab impuritate corrumpente abluant, ablutum coagulent, ut aqua deſiccetur, coagulatum denique calcinent, & calcinatum figant; ac ſic tandem OMNIA, quod eſt, lapidem philoſophorum, adipiſcantur. Eadem ratione *Lehmanno*, de *lapſu*, *converſione* & *regeneratione noſtra*

differenti, NIHIL THEOLOGORUM eſt *homo peccati originalis labe infectus, ſine metu Dei, & per concupiſcentiam totus depravatus, declinans unice ad malum, qui propterea ad ſui converſionem non concurrit quidquam boni operando, ſed mere paſſive ſe habet.* ALIQUID vero THEOLOGORUM eidem appellatur *homo gratia divina præventus, & a naturali repugnantia liberatus, ut jam non tantum in aures ejus verbum divinum illabatur, ſed & ad cor ipſum penetret, ibique fructificare incipiat, capiente voluntate liberoque arbitrio ac reliquis facultatibus animæ, ex antegreſſa divina operatione, paulatim vires & incrementa, ut poſtea Deo cooperentur.* OMNIA denique THEOLOGORUM ſunt *homo, qui, poſtquam jam regenitus & in judicio divino abſolutus eſt, ſanctificantibus donis augetur, & perficientis gratiæ divinæ auxilio ſe quotidie renovat, ut ſurgat novus homo, qui coram Deo ambulet, in juſtitia & rectitudine.* Singulis his definitionibus ſubſternit Lehmannus explicationem uberiorem, in qua cumprimis terminum definiti ab obſcuritate liberat. E ſingulis etiam deducit decadem theſium Theologicarum, quarum expoſitionibus paſſim immiſcet elenchos contra adverſarios intra & extra eccleſiam conſtitutos, veteres pariter ac modernos.

LVCERNA LAPIDARIA, QVÆ TITVLOS, MONIMENta, epitaphia, inſcriptiones ac ſepulcra tum Gentilium, tum Chriſtianorum, via Flaminia & Arimini ſcrutatur. Accenſa a Joſepho Malateſta Garuffio, Bibliothecæ Ariminenſis Cuſtode.

Arimini, ex typographia Didaci Dominici Ferraris A. 1691. & 1692. in 4. plag. $11\frac{1}{2}$.

NObiliſſimus Auctor, ut Bibliothecam publicam Ariminenſem ſuæ fidei commiſſam auctiorem indies ornatioremque reddat, non modo ab aliis conſcriptos libros ei inferre, ſed & ipſe novos componere ſatagit. Hac fini *Poetici Muſei Teſſellatio*, ſeu *Diſtichorum Centuriæ* Foro Livii, itemque *Sphingis Cœna Ænigmatica* Arimini, ejus opera ac ſtudio prodiere. Venetiis Italice edidit anno ſuperiori *Vitam S. Joſephi.* Quamplurima autem alia promittit &c

sit, & quum annum nunc agat ætatis octavum supra trigesimum, spes est, illum, Deo volente, promissis suo tempore staturum. In his eminent *Templum Malatestarum*, & *Commentaria in quosdam Chemicos characteres, insculptos orificio ollæ sub terra inventæ*; item Italice concinnati *Annales Ariminenses*. Cæterum, quæ præsentis hujus tractatus contenta sint, titulus non obscure docet; exactius tamen edisseremus hoc loco, eo quod libellus in his oris rarissimus, nec nisi dono clarissimi Auctoris, curante viro humanitate non minus quam bonis literis illustri, *Ant. Magliabecchio*, ad nos delatus sit.

Nimirum Romanis in more erat positum, ut virorum fœminarumque, natalium splendore meritisve vulgi sortem excedentium, sepulcra in publicis viis collocarent, eum in finem, ut prætereuntibus viatoribus ea contemplari ac venerari liceret. Imitati hos sunt *Ariminenses*, quorum urbs, in ora maris Hadriatici sita, caput olim fuit Galliæ Senonensis, & post Romanos paruit Gothis, dein Malatestis, nunc Pontifici Romano. Hi ergo, cum Gentiles essent, in via Flaminia, qua ab urbe Roma per Tusciam & Umbriam Ariminum itur, suos sepeliere, viæque huic cippis sepulcralibus hinc inde magnum decus conciliaverunt. Christiani facti, cœmeteria in templis habuere; quanquam etiam inter ipsa Christianorum sepulcreta hodienum effodiantur monumenta ethnica. Tribus capitibus omnis Garuffii labor absolvitur. *Primo* monumentis Gentilium privatæ quidem sortis, sed pace vel bello clarorum; *altero* marmoribus Cæsarum C. Julii, Octaviani Augusti & Tiberii; *tertio* Christianorum epitaphiis, *Lucerna* hac sua lucem aliquam fœnerari satagit.

Equidem, si dicendum quod res est, difficiliora sæpe Inscriptionum momenta intacta prætermisit, Chronologica inprimis. Neque dissimulare possumus, mendas in hanc collectionem frequentes, typographi, non Auctoris, culpa irrepsisse, sed quæ facile tolli possunt, si quis diligentius conferat cum Gruteri Inscriptionibus.

Sic, ut periculum facias, contende, si placet,

Gruterum	cum	*Garuffio*
p. 1093. n. 3.		p. 16.
p. 1100. n. 6.		p. 17.
p. 467. n. 1.		p. 19.

p. 1115. n. 2.	p. 23.
p. 1074. n. 15.	p. 24. n. 4.
p. 1002. n. 4.	p. 29. n. ult.
p. 1090. n. 13.	p. 35. n. 2.
p. 1002. n. 5.	p. 36.
p. ead. n. 3.	p. 38.
p. 1097. n. 2.	p. 44. n. 2.
p. 406. n. 7.	p. 45.
p. 436. n. 3.	p. 46.

Et hactenus quidem crederemus, tutius lectionem Gruterianam nos sequi, quam Garuffianam, quum marmora illa hodie aut deperdita sint, aut literæ in plerisque evanuerint magis magisque, ut facilius fuerit Pighio, Marcanovano, Smetio atque aliis, a quibus Gruterus sua habuit, melius hæc cognoscere, quam Auctori cuicunque moderno, etsi docto ac sagaci. Supersunt plura id genus, sed ubi non æque certi sumus, utrum ex Garuffio Gruterum, an Garuffium ex Grutero corrigere præstet.

Exempli loco sit illa, quam hunc in modum Garuffius repræsentat, inscriptio:

p. 14.

C. ANTIÆ
L. F. SATVRNINÆ
MATRI COLON.
FLAMINIACÆ
SACERD. DIVÆ PLOTINÆ
HIC ET FORO SEMPRONII.
D. D.
PVBLICE.

Paulo aliter Gruterus, tum fol. 322. n. 2. tum fol. 1088. n. 15. Nempe versu 1. legit CANTIÆ. Sed *C. Antiæ* pronuntiandum, Garuffius docet auctoritate Clementini & MSCtorum Bibliothecæ Gambalonghiæ. Ipse enim lapis nunc, ni fallimur, deperditus est. Suspicatur autem, Gruterum dubitasse, utrum fœminæ prænomen ullum competat. Et sane rarissime prænomina mulierum in saxis occurrere, quis neget? Verum hinc forsan majoris momenti argumentum petere potuisset Noster, quod de gente *Cantia* non satis constet, de *Antia* res sit in confesso. Nam quotiescunque

Can-

Cantius apud Gruterum obviam nobis fit, prænomine deſtituitur, unde ſuſpicio enaſcitur, prænomen ibi cum nomine gentilitio coaluiſſe. At ANTIA fœmina habetur apud Gruterum p. 601. n. 2. p. 356. n. 1. itemque M. ANTIVS apud eundem p. 45. n. 8. & L. ANTIVS apud Reineſ. Claſſ. I. n. 246. Mallemus etiam cum Grutero legere FLAMINICAE verſu quarto, & conſtruere cum SACERDOTI, non FLAMINIACAE, ac ſi eſſet epitheton Coloniæ Ariminenſis in Flaminia ſitæ; quod equidem Garuffius exſerte non dicit, hac tamen ſua lectione innuiſſe videri poſſet. Neque enim coloniæ a regione, ſed aut ab ipſa urbe in quam ducuntur, aut a deducente, vel augente Imperatore, denominari ſolent.

Obſcuriuſcula eſt alia Garuffiana: p. 18.

L. BETVTIO PAL. FVRIANO
P. P. LEG. IN ITAL. II. VIRO
QVINQ. II. VIR. I. D. III. VIR.
ÆDIL. CVR. PONTIF.
FLAMINI DIVI NERVÆ
PATRONO COLON. COLLEG.
CENTONARIOR. AMANTISSIMO
PATRIÆ
L. D. D. D.

Garuffius interpretatur: *Lucio Betutio Palatino* (forte, noſtro judicio, *Palatina*; eſt enim nomen tribus, ac elliptica locutio, pro, *Palatina tribu oriundo*; vide Reineſium cl. VIII. inſcr. 76. Gruterum p. 525. n. 5. p. 711. n. 12. p. 1026. n. 8. p. 1041. n. 19. p. 1050. n. 1.) *Furiano* (non, *Euriano*, ut legitur apud Gruterum p. 1091. n. 12.) *Patri Patriæ Legato in Italia* (Patris patriæ titulum homini privato, ſeculo II. poſt Chriſtum natum, datum eſſe, quis credat? Legatus *Italiæ* vel *per Italiam* frequentius occurrit, quam *Leg. in Italia*. Fortaſſis legendum eſt: *PrimiPilo LEGionis III. ITALicæ*, quemadmodum T. Catinius Severus apud Reineſium cl. VI. n. 22. vocatur *P. PIL. LEG. II. ITAL.* ſimilis noſtro Betutio, quoniam etiam *Patronus Coloniæ Aeſis* celebratur. Confer Gruterum c. l.) *Duumviro Quinquennali, Duumviro Juridicundo, Triumviro Ædili Curuli, Pontifici, Flamini Divi Nervæ, Patrono Coloniæ, Collegium Centonariorum, amantiſſimo Patriæ. Locus datus decreto Decurionum.*

Idem

Idem prænomen, nomen, tribum & cognomen reperimus apud Gruterum p. 1092. inſcr. 1. & apud Garuffium p. 44. ſed neutrubi ſine ſphalmate, quod nemo, niſi qui lapidem ipſum inſpexerit, facile corriget. Senſum tamen fundet non malum, ſi ſigla I. D. ſignificet JVRISDICTIO, qua de re Garuffius aliquando judicabit. En aliam:

p. 20. C. FÆSELLIO. C. F. AN.
RVFIONI EQ. PVBL. L. L.
CVR REIP. FORODR. PATR.
COL. ARIM. ITEM. QVI. CANORVM
VICORVM VII.

Garuffius verſum 2. exponit: *E Quiti PUBLico Libertis Libertabus.* De EQ. PVBL. nulla eſt controverſia. At quis hic locus *libertis libertabuque*? Sane apud Gruterum p. 1094. n. 2. LL literæ omittuntur. Sed ſi veſtigia duarum literarum ſuperſint, (de quo viderit Garuffius) reponere ſatius eſſet PVBLIC. Nam inmanibus interpunctiones ſæpe a deſcriptoribus pro lubitu locatæ deprehenduntur. Sic v. 4. male divulſas vel conjunctas voces ita reſtituere oportet: ITEMQue VICANORUM VICORUM VII. e quibus etiam fuere VICANI VICI DIANENSIS, qui lapidem hunc POSVERE, ut additur apud Gruterum, item CERMALENSES apud Garuffium p. 18. AVENTINI, pag. 36. VELABRINI, p. 44.

Apud Gruterum Reineſiumque deſideratur lapis L. FÆSTEL-
p. 22. LIO L. F. AN. SABINIANO inſcriptus, tanto rarior & obſervatu dignior, quoniam FÆSTELLIA gens nondum innotuit, niſi eadem ſit cum FÆSELLIA, de qua modo dictum eſt.

Apud Gruterum & hunc deſiderari credideris:

p. 28. TVLLIVS ZOTICVS
VI. VIR. AVG. AD
LIBERVM PATREM
CVM REDIMICVLO
AVRI III. ET IRSO
ET CANNARO ARG.
PIIS TESTAMENTO.

Hoc eſt, (inquit Garuffius) *Tullius Zoticus Sexvir Augur, vel Augu-*

Digitized by Google

Auguſtalis, ad Liberum Patrem cum redimiculo auri III. & Irſo & Cannaro Argentario piis teſtamento. Sed hæc forte emendanda. Evolve ſis Gruterum p. 67. n. 2. ubi quidem Ferrariæ extare dicitur, ſed feliciſſime ſanat morbos omnes, quibus laborat Garuffianum apographum:

T. VIBIVS
ZOTICVS VI.
VIR. AVGVSTAL.
LIBERVM. PATREM
CVM. REDIMICVLO
AVRIFIC. ET THIRSO
ET. CANTHARO. ARG. P. II. S
TESTAM. PONI. JVSSIT.

Hoc eſt, *Titus Vibius Zoticus Sevir Auguſtalis Liberum Patrem* (ſive Bacchi ſtatuam argenteam) *cum redimiculo aurificis* (quod additur, vel materiæ connotandæ cauſſa, vel ne ornamentum capitis intelligatur, quale textores vel ſartores conficiunt) *& thyrſo & cantharo argenti pondo II. cum ſemiſſe, teſtamento poni juſſit.*

Longe felicior forſan Garuffius fuit in ſequenti inſcriptione exponenda, nec apud alios reperta: p. 27.

SALVTI EX VOTO
Q. PLAVTIVS JVSTVS
ÆDIL. ARIM.
N. S. ET CASSIÆ TREPTHE
S. ET Q. PLAVTI VERECVNDI
F. S. ÆDEM
S. A. DED.
H. A. S. A. H. L. L. Q. D. R. I. H. Æ.

Id eſt: *Saluti ex voto Quintus Plautius Juſtus Ædilis Ariminenſis nomine ſuo, & Caſſiæ Trepthæ ſuæ, & Quinti Plautii Verecundi fratris ſui, ædem ſibi ædificatam dedicavit. Hanc autem Saluti ædificatam Heredes liberti libertæque denuo reſtituere in honorem ædificantium.* Sic Garuffius. Dubius tamen hæret, num ne monſtroſa illa figlarum congeries ſtudio confecta ſit, ut haberent antiquarii, in quo fruſtra ingenium exercerent. Pro TREPTHE legendum TREPTÆ, tum ex analogia Grammatica, tum ex parallelo lapide apud Garuffium p. 39. ubi extat P. TREPTVS.

In

In classe secunda vix est inscriptio ulla, quæ huc transferri debeat, nisi forte illa, quæ olim in muris Arimini visebatur:

pag. 55. IMP. CÆSAR DIVI F. AVG. PONT. MAX. COS. XIII.
TRIB. POT. XXVII. PP. MURUM DEDIT
CVRANTE L. TVRNO SECVNDO APRONIAN.
PRAEFECT. URB. F. ACTERIO. V. C. CORECTORE
FLAMIN. ET PICENI.

Exhibuit eandem A. 1577. Leander Alberti in descriptione Italiæ p. 299, sed vitiosiorem. Verum emunctissimæ naris criticus Gruterus in supposititiarum appendicem f. VI. n. 4. eandem rejecit, æque ac f. VI. n. 5. & f. V, n. 4. illas, quas p. 54. & 48. laudat Garuffius.

E classe tertia afferre liceret epitaphia Episcoporum Ariminensium Fr. Laurentii de *Balacchis*, † A. 1300. Julii *Parisani* Tolentinatis, † XII. Kal. Apr. A. 1574. Joh. Bapt. *Castelli* Bononiensis, † Lutetiæ Parisiorum 22. Aug. 1583. Julii Cæsaris *Salicini* Bononiensis † VI. Id. Octobr. A. 1606. Angeli *Cesii* Romani † 12. Kal. Octobr. A. 1647. Thomæ ex Comitibus *Carpineis* † A. 1657. Sed Vghellus heic nobis otia facit in Italia sacra, ad quam Lectorem benevolum remittimus.

69. 58. ibid. & 79. p. 57. p. 59.

Inter viros natalibus ac rebus domi forisque gestis illustres merito refertur *Matatestarum* gens. Et de ea plura afferremus e Garuffii Lucerna lapidaria, nisi plenius illa exactiusque executurus is esset in opere supradicto, ad prælum parato, ac forsan jamjam excuso, cui titulus est: *Templum Malatestarum a Luca Waddingi calumniis vindicatum.*

p. 63. Quod eruditos attinet, *Basinii* Parmensis Poetæ, *Justi* Oratoris Romani Jurisque consulti, *Iemistii* Byzantii, *Roberti Valturii*, sæculo Christiano XV. clarorum, itemque *Gentilis Arnulphi* Philosophi & Medici, † A. 1546. *Juliani Arnulphi*, Phil. & Med. † A. 1547. *Sebast Vancii* JCti † A. 1557. aliorumque ossa Arimini servantur.

p. 86. Cæterum, quæ in ea urbe est, ecclesia & domus Archiconfraternitatis S. Hieronymi, Xenodochium quondam fuit Armenorum, teste Armenica inscriptione marmorea, quam Garuffius literis Armenicis ligno insculpi curavit, Deodatus Nersecovick Episcopus

piſcopus Trajanopolitanus, Romæ vivens, ita pronunciandam docuit: *I tuuaganutian hingharíur karaſunging, ies Touma Iſinieci Zpolorduns*; atque h. m. interpretatus eſt: *In numeratione quingenteſimi quadrageſimi quinti* (anni) *ego Thoma ædificavi totam domum.* Concludit hinc Garuffius, domum illam ædificatam A. Chriſti 545. Ne enim numerum millenarium ſubintelligi putes, domum hanc certo ante A. C. 1545 Armeniis jam hoſpitium præbuiſſe monet, & probandum pollicetur in *Hiſtoria* ſua *Ariminenſi* Italice evulganda. Verum fugit clariſſimum virum, æram Armenicam non a Chriſto nato auſpicia capere, velut noſtram, ſed ab A. C. 551; ut cognoſcere licet e Clementis Galani Hiſtoria Armena, cap. XI. Adde ergo annos 545 ad 551, cognoſcesque, *Thomam* ædem Ariminenſem extruxiſſe anno Chriſti 1096. Erat tum temporis Armeniorum patriarcha Gregorius Vecajaſer, utpote ſuperſtes usque ad annum Armen. 556, Chriſti 1107. Hic A. Chr. 1080. legatum miſit Joannem presbyterum ad Gregorium VII. Rom. Pontificem, & commercium literarium cum eo coluit. Unde credibile eſt, *Thomam*, Ariminenſem incolam, inter Joannis comites fuiſſe, aut ſaltem hinc anſam nactum eſſe, e patria Ariminum migrandi, & xenodochium condendi, cui ultimam manum impoſuit A. C. 1096. Hanc cæterasque noſtras obſervationes clariſſimus Garuffius, pro inſigni, qua pollet, humanitate, æqui bonique conſulet, a malo certe animo minime profectas.

REMARKS MADE IN TRAVELS THROVGH FRANce & Italy &c.

i. e.

Obſervationes in itinere per Galliam Italiamque, una cum multis Inſcriptionibus publicis, nuperius collectæ a Viro alicujus dignationis.

Londini, apud Thomam Baſſet, 1693. in 8. plag. 25½.

ANonymus hic, quisquis eſt, Franciam Italiamque ſex ſeptemve abhinc annis peragravit, & quum ab innumeris itinerariorum ſcriptoribus jamjam annotata, in hoc ſuo opere,

prætermittenda cenſuiſſet, non potuit non ſatis ſterile idipſum reddere. Neque enim vetera marmora aut numos hactenus ἀνεκδότους, aut codicum rariorum MSCtorum titulos, aut multa nova literaria in diarium ſuum retulit, ſed hunc fere ſcopum, (uti p. 155. fatetur,) ſibi præfixit, ut ædificia, inſcriptiones, reliquias, ritus recenſeret, e quibus cumprimis Pontificiorum ſuperſtitio eluceſcere poſſet. Si pauca excipias, quæ de *Burrho* & *Bellorio* commentatur, nihil ferme ad Eruditorum hiſtoriam faciens penes eum offendas, niſi quod Lugduni in muſeo *Servierii* (viri ea tempeſtate octogenario majoris) vidit horologia varii generis, aliasque machinas mathematicas mechanicasque admiratione digniſſimas. Has inter ſigillatim laudat *indicem inclinationum* vel adfectuum *prædominantium*, hoc eſt, globulum infixum acui, qui ſi ab aliquo tangatur, ſine mora, quotiescunque volueris, converti dicitur ad illum tabulæ rotundæ, cujus limbo omnia adfectuum nomina inſcripta ſunt, locum, qui adfectum indicat, in tangente prædominantem. De paradoxo hoc artificio ac omnem pene fidem ſuperante, ipſa Auctoris noſtri verba excerpere, non erit dividiæ: *His*
p. 22. *montre des inclinations predominantes is very pretty; where let any perſon touch a little Ball, that is put on a needle, (mens paſſions and affections being writ on the brim of a round board,) it immediately turns to that inclination, whereto he is moſt ſubject; neither ſhall he by touching it never ſo oft, though thereupon every time it goes round, get it to fix at any other.* Nec plura addit αὐτόπτης noſter.

48. In agro D. Remigii Fano in Liguria adjacente, multæ ſuccreſcunt palmæ, quarum ramos & Romam & in Germaniam mitti ad Chriſtianos Dominicam palmarum celebraturos, notum eſt: at, dum Noſter addit, etiam a Judæis magno pretio coëmi, quod iis opus habeant, *quando agnum Paſchalem comedant*; nimium memoriæ fiſus eſt. Nam palmarum quidem uſus eſt penes Judæos in Scenopegia, ut לולב conficiatur, non item in feſto Paſchatos.

57. Inſcriptionum in hoc libro extantium ſpecimen eſto Genuenſis illa, etſi verſu quinto non ſatis Latina:

JULII CÆSARIS VECCHERII
perditiſſimi hominis

infa-

infamis memoria.
Qui cum in Rempub. conſpiraſſet,
obtruncato capite, privatis bonis,
expulſis filiis, dirutaque domo,
debitas pœnas luit
anno ſalutis 1628.

Nec lectu indigna ſunt epitaphia *Franciſci* Ducis *Lotharingiæ* & *Ricardi de la Poole* Angli, Ducis *Suffolciæ*, in prælio Ticinenſi d. 4. Febr. A. 1525. occiſorum, d. 5. Sept. A. 1582. erecta, ſumptibus *Caroli Parkeri a Morley*, Epiſcopi, a Regina Eliſabetha Angliæ regno ejecti, mortuique menſe Sept. A. 1591. pag. 62.

Inter donaria templi Lauretani eminet *angelus* aureus duodecim librarum, quem ſuperſtes Jacobi II. Regis Britanniæ conjux d. 22. Octob. A. 1687. ſacello inferri curavit. Geſtat is cor aureum ac adamantibus pretioſiſſimis exornatum, cujus cavitate verum Reginæ cor, ubi mortua fuerit, condetur. 138.

Eo tempore, quo Innocentio XI. P. R. & Ludovico XIV. R. G. graviſſimæ lites interceſſere de jure *regaliæ* & *franchitiarum*, Paſquini ſtatuæ affixum cernebatur diſtichon non illepidum: 238.

Correxit Petrum gallus, ploravit & ille:
Nunc Petrus Gallum corrigit, ille negat.

Apud Lucenſes ad D. Frediani viſitur tumba *Ricardi* Regis Angliæ, quam Maximilianus Miſſonius, (uti A. 1692. p. 304. diximus,) fraudis ſuſpectam habet, inſcriptionem non addens, quam ex Anonymo noſtro hunc in modum repræſentamus, ac Lectoris benevoli examini ſubjicimus: 351.

Hic rex Ricardus requieſcit ſceptrifer almus.
Rex fuit Anglorum, regnum tenet ipſe polorum.
Regnum dimiſit, pro Chriſto cuncta reliquit.
Ergo Ricardum nobis dedit Anglia ſanctum.
Hic genitor ſanctæ Walburgæ virginis almæ
Et Willibaldi ſancti, ſimulat Winibaldi,
Suffragiis quorum det nobis regna cœlorum,
Amen.

A NEVV JOVRNAL OF ITALY. i. e.
Wilhelmi Actoni novum Itinerarium Italicum.

Londini, apud R. Baldvvin, 1691. 12. plagul. 7. dimidiatis.

LIbellus hic (perquam indiligenter, quoad nomina propria excusus,) breviſſimis verbis & non niſi indice tantum digito monſtrat urbes, antiquitates ac curioſiora περιήγια alia Italiæ, & Sabaudiæ, regnique Neapolitani; adeo ut plane de eo tacuiſſemus, niſi Auctor, (qui Eduardum Harvæum de Comb Nevil in Surria Equitem per Italiam comitatus eſt,) adſereret, *S. Richardum* Lucenſem, (de quo *Miſſonius* æque, ac *Anonymus* modo recenſitus, nihil certi compertum habebant,) fuiſſe regem Angliæ *Richardum* hujus nominis *tertium*, Lucæ mortuum ſepultumque, quum Romam peregrinaretur. Ex quo numero colligas tanto magis, Richardum hunc eſſe ſuppoſititium. Nam Richardus III. genuinus occiſus eſt in Anglia in prælio Boſvvortenſi d. 22. Aug. A. 1458. Sed ſalva res eſt. Innuitur enim haud dubie, ut vel ex epitaphio patet, *S. Richardus*, *S. Willibaldi* primi Eyſtetenſis in Germania Epiſcopi, *S. Winibaldi* Abbatis in Heidenheim, & *S. Walpurgis* ibidem Abbatiſſæ pater, gente Anglo-Saxo, Lucæ in Italia circa A.C. 722. defunctus. Hunc enim Regem Angliæ fuiſſe, traditio eſt, ſed incerta, ut *Baronius* etiam ipſe in Annalibus ad p. 750. de ejus veritate dubitare videatur: etſi *Joh. Bollandus*, & *God. Henſchenius* in Actis Sanctorum ad d. 7. Febr. contendunt, e Subregulis, quorum plures apud Saxones occidŭos modicas eo tempore in Anglia ditiones tenuere, S. Richardum quoque fuiſſe.

LES OEVVRES DE LVCRECE. i. e.
Lucretii Opera, Gallice reddita per Dominum Baronem de Coutures. Editio noviſſima.

Pariſiis, apud Thomam Guillain, 1692. in 12. maj. plagul 40.

IN vulgus nota ſunt, quæ de vita aut operibus T. Lucretii Cari ab hiſtoriæ literariæ conditoribus memorari ſolent. Nauſeam etiam cieremus lectori, ſi Ciceronis, Ovidii, Quintiliani, Statii, Gellii, de eo teſtimonia exſcriberemus. Id verbo dicamus. Nemo inficiabitur, omnes quotquot vatis illius, Virgilio aliquantulum antiquioris, de rerum natura libros ſex in vernaculam ſuam transferre fategerunt, opus eſſe adgreſſos vigiliis ac lucubrationibus dignum.

Ten-

Digitized by Google

Tentavit id idiomate Italico *Hieronymus Fruchetta* Rhodiginus; Gallico *Michael de Marolles*, Abbas de Villeloin, ſive Villalongarius; Anglico *Joh. Evelynus*.

At hos omnes viciſſe creditur illuſtris *Coturius*, qui & Latinum textum recenſuit, & ſenſum ejusdem verſione Gallica non evidenter modo ac fideliter, ſed eleganter etiam extulit expreſſitque. Hinc ergo, ut & ex notis adjectis, facile intelliges non pauca dicta obſcuriuſcula Lucretii, quæ vel *Lambinis* ipſis, *Giphaniis*, *Pareis*, *Fabris*, aliisque commentatoribus Latinis, negotium haud leve faceſſiverunt.

BEATI RHENANI SELESTADIENSIS LIBRI TRES INſtitutionum Rerum Germanicarum nov-antiquarum, Hiſtorico-Geographicarum, illuſtratarum a Jacobo Ottone.

Ulmæ, impenſis Georg. Wilh. Kuhn, 1693. in 4.
Conſtant 3. alph. 18. plag.

SI pares rebus fortiter ac præclare geſtis Scriptores obtigiſſent Germanis veteribus, nulla illi gente inferiores fuiſſe legerentur; quum alta nocte jam oppreſſa eorum ſint facta, quia præter Tacitum e veteribus nemo extat, qui litteris ea commiſerit, Romanis ſuæ magis gloriæ ſtudentibus, & incommoda a Germanis accepta, annotante Pirkheymero, callide tegentibus. Unde factum, ut Plinii de Bellis Germanicis libri, & Cornelii ac aliorum ſcripta, e quibus præclara Germanorum geſta cognoſcere licuiſſet, ab invidis ſuppreſſa ſint, ne eorum gloria Romanam obfuſcaret. Proinde admodum difficile eſt, veteris Germaniæ ſtatum explicare; de quo tamen quicquid apud priſcos ſcriptores indagare licuit, collegit & exquiſito cum judicio digeſſit doctiſſimus ſuperioris ſæculi vir Beatus Rhenanus, remque minime obviam, nec ſine ingenti labore perquiſitam in medium protulit, editis anno 1531 tribus *Rerum Germanicarum* libris. In his non ſolum provincias Romanorum, quas intra Rhenum & Danubium poſſederunt, recenſuit, earumque ſtatum ac gubernandi rationem expoſuit, utque illæ, Imperio Occidentali collabente, a Francis & Alemannis occupatæ, quamve in formam redactæ fuerint, indicavit; ſed omnes Germanicas

gentes, & mutatas earum ſedes, fortunas, mores, linguas, oppida & eo ſpectantia tradidit. Has populorum iſtorum migrationes, & quæſitas alibi in Germania ſedes, mutatas provincias, earumque appellationes cognoſcere, non minus utile eſt quam jucundum. Etſi autem Rhenanus, propter ſcriptorum, qui hæc tradiderunt, inopiam, judicio magis quam aliis præſidiis inſtructus fuit, nihil tamen in hoc argumento attulit, quod non ex auctoribus vetuſtis, Cæſare, Ptolemæo, Strabone, Dione, Plinio, Mela, Tacito, Vellejo, Ammiano, Auſonio, Eutropio, Stephano, & aliis quibusdam ſit depromtum; ut adeo in loca eorum, quæ ab auctore paſſim indicantur, inquirendum, accuratiusque paulo de iis cogitandum ſit his, qui patriæ ſtudio exquiſitiori, & amore hiſtoriæ Germanicæ tenentur. Inter quos nomen, quod profitetur, ut tueretur vir meritis de Republica Ulmenſi ſpectatiſſimus *Jacobus Otto*, ita libros hos Rhenani publicæ iterum luci exponendos eſſe ſuarum partium credidit, ut inſigni eos acceſſione locupletaret. Congeſſit igitur, quæcunque iis lucem aliquam fœneratura exiſtimavit, & Collegio Univerſali Hiſtoriæ Germanicæ, Imperatoria auctoritate ſuffulto, grata futura & ad ſcopum ejus collimare putavit; ex recentioribus ſcriptoribus ea corroborans aut illuſtrans, quæ e veteribus aſſeruerat Rhenanus; plura etiam, quæ ad Germaniæ ejusque regionum & incolarum exactiorem notitiam faciunt, annotans. In recenſione Seleſtadii, quam uberiorem dedit celeberrimus ejus civis Rhenanus, libro tertio illuſtranda dum verſatur Commentator, prolixiuscula digreſſione res ſub Friderico I. & ſequentibus Imperatoribus geſtas p. 549. ſeqq. enarrans, ad Leopoldi, qui res Imperii fortiter hodie moderatur, facta delatus, epigraphas aliquot in coronationem Joſephi Regis Romanorum & Hungariæ concinnatas, & duodecim ipſum præcedentes Cæſares elogio decorantes, p. 569. ſeqq. profert, non minus devotiſſimi erga celſiſſimam Domum Auſtriacam ſtudii, quam elegantis ingenii & eloquentiæ teſtes; quibus nemo non Germanorum obſequioſe ſuffragatur.

HISTORIA SAPIENTIÆ ET STVLTITIÆ, COLLECTA a Chriſtiano Thomaſio, JCto. Tomus. I.

Halæ Magd. ſumptibus Chriſtoph. Salfeldii, 1693. in 8. Conſt. plag. 14.

Novem

NOvem fere anni elapſi ſunt, quod vir ſolidiſſima eruditione ſpectatiſſimus, *Jacobus Thomaſius*, Profeſſor publicus in Academia Lipſienſi benemeritiſſimus, orbe hoc exceſſit, melioris vitæ particeps factus. Reliquit is multa volumina collectaneorum MSCta, ad hiſtoriam literariam ac ſigillatim philoſophicam, (quam concinnare toto vitæ ſuæ decurſu cogitaverat,) apprime facientia. Latent ea in ſcriniis filii primogeniti, *Chriſtiani Thomaſii*, Juris-Conſulti celeberrimi, qui cum digna luce publica merito cenſuiſſet, tota tamen ut ederet expedire haud arbitratus, conſtituit accuratiores illinc decerpere obſervationes, & ſingulis menſibus earum aliquas cum literatis communicare; ea tamen lege, ut & ſua quandoque obſervata admiſceat, nec non aliorum, ad eundem ſcopum collineantia. Prodiere ergo nundinis nuperis menſes tres priores, octo capita complexi, quorum ſeptem anteriora auctorem habent Jacobum Thomaſium. Lemmata vero eorum hæc ſunt: 1. Clavis in epiſtolas Philippi Melanchthonis. 2. De libro, cui titulus: *Somnium Lutheri.* 3. Piccardi, Humiliati. 4. Waldenſes ſeu Albigenſes, an Manichæi? 5. Manetis dogma de loco animarum poſt mortem & ſcapha Lunæ. 6. Petri Abelardi vita. 7. Berengarius hæreticus, diſtinctus a Berengario diſcipulo Abelardi. Ultimum caput exhibet famoſum libellum Gaſparis Scioppii, cui titulus: *Iſaaci Caſauboni Corona regia.*

Hiſtorie der Weißheit und Thorheit / zuſammen getragen von Chriſtian Thomas / JCto. 1 Theil. Halle / verlegt von Chriſtoph Salfelden / 1693. in 8. Conſtat plag. 14.

IDem hujus Sylloges auctor, ſcopus, methodus, titulus, qui præcedentis. Sed idioma diverſum, diverſum etiam eſt argumentum. Habentur heic, præter excerpta quædam ex Luthero de reformandis Academiis ab ignoto congeſta, hiſtoria *Davidis Georgii*, ut & *Eſaiæ Stiſelii*, cum Chriſtiani Thomaſii ἐπιχειρήσεσι. Volumine altero hanc telam continuabit, & *Ezechielis Methii* geſta fanatica curatius perluſtrabit. Indicare ſic lubuit *tomorum* priorum hujus *Hiſtoriæ*, tam *Latini* quam *Germanici* contenta, ut quid in poſterum

ſterum in ſequentibus voluminibus exſpectandum ſit, hiſtoriarum cupidi vel ex brevi hac recenſione conjicere poſſint.

TACITE, AVEC DES NOTES.

i. e.

Tacitus, cum notis politicis & hiſtoricis; opera ac ſtudio Ameloti de la Houſſaie.

Hagæ Comit. apud Henr. Van Bulderen, 1692. in 12. chart. maj. Tomus I. conſtat plagulis 24. Tomus II. plagulis 25.

VOlumina hæc duo complectuntur *ſex* priores *Annalium* Taciti libros, ab *Ameloto Huſſæo* nova veſte Gallica donatos. Ediderat is A. 1686 Ethicæ e Tacito concinnandæ ſpecimen primum de adulatione. Quumque in eo paſſim aſſeruiſſet, a *Perroto d' Ablancourt* Tacitum ſatis quidem eleganter, ſed non optima fide, nec juxta genuinum archetypi ſenſum, Gallice redditum, non æquo animo tulit hanc maculam agnato huic ſuo inuri *Fremondus d' Ablancourt*, adeoque eodem anno exeunte, Amſtelodami, ſumptibus Wolfgangi, excudi curavit libellum, cui titulus: *Perrot d' Ablancourt vengé.* (Vide ſis *Acta Erudit.* Lipſ. A. 1687, p. 86. 87. aut *Bibliothecam* Univerſ. Hiſtoricam Amſtelodamenſem, T. III. artic. XXVII. p. 336-539.) In eo Fremondus Amelotum provocavit, ut, ſi vir eſſet ac cenſuræ ſuæ ſubjicere vellet Ablancurtium, novam procuderet verſionem *fidam* magis, magis *emphaticam* ac *comtam*, quam eſſet Ablancurtiana. Currenti ſic calcar addidit, cum Amelotus nihil magis unquam in votis habuiſſe videatur, quam ut de Tacito bene mereretur. Præmiſit autem verſioni huic ſuæ eandem Criticen de interpretibus Taciti, (de qua c. l. diximus,) hic illic tamen auctiorem ac emendatiorem reddidit. Subſtravit textui notas tum hiſtoricas, tum politicas, exemplis ac apophthegmatibus e recentiori hiſtoria ſelectis probe illuſtratas. Plerumque fideliter ſuos auctores ſequitur. Pauca enim ſunt loca, ubi non eos evolviſſe, ſed ſoli memoriæ ſuæ fiſus eſſe credi poſſet: e. g. quando prælium, quo captus eſt Johannes Fridericus Elector Saxoniæ d. 24. Aprilis anno 1547, in notis polit. ad

Digitized by Google

ad T. I. p. 200. vocat *la bataille de Meiſſen*, cum in auctore ſuo ſine dubio repererit *la bataille de Muhlberg*. Nec raro hiſtoriolas pro veris venditat, quas Hiſpani, aliive, quibus cum Gallis contentiones & æmulationes intercedunt, pro meris calumniis reputari poſtulant. Sic traditionem de origine ordinis Aurei Velleris (e *Pauli* forſan *Colomeſii* opuſculis p. 126. ſ. hauſtam) tanquam indubiæ fidei hiſtoriam Tomo I. p. 264. proponere auſus eſt; quum eam in opprobrium Auſtriacæ Gentis confictam nemo non videat. Sæpe Ablancurtius in his notis vapulat. Interdum etiam alii, e. c. Petrus *Richeletus* T. II. p. 420. Gilb. *Burnetus*, cenſuram Ameloti experiuntur.

JOHANNIS VANDER VVAEYEN VARIA Sacra.

Franekeræ typis & impenſis Johannis Gyzelaar A. 1693. in 4. Conſtant Alphab. 4. & plag. 9.

INter Varia Sacra, quæ uno volumine Vir Clariſſimus exhibere voluit, primum locum occupat Epiſtolæ ad Galatas ſuccincta analyſis. Eandem diſſertatio Theologico-Philologica de Hirco Azazel ad Levit. XVI. 5. 7. 8. 9. 10. 20 & 21. excipit. In qua præmiſſa verborum e Moſe citatorum illuſtratione, variisque ſententiis de ſignificatione vocis Azazel allatis, illorum accedit opinioni, qui diabolum ea denotari cenſent, ſuisque pariter ac Spenceri argumentis hunc ſignificatum ſtabilire nititur. Deinde quid per שעיר ſive hircum, qui Azazeli ceſſerit, indicetur, inquirere inſtituit, judicatque populum Judaicum, Chriſtum rejecturum, & a Chriſto ac communione Dei olim, aliquot ſeculorum decurſu, rejiciendum, non inepte hic a quibusdam intelligi. Cui ſententiæ ut robur addat, octo theſes in medium affert, easdemque probare ſtudet. *Prima* illarum eſt, in cultu quoque Levitico horrendi illius, olim infligendi Judaicæ genti judicii, figuram aliquam & typum exſtare, nec abſurdum videri, nec abſonum. *Secunda*, nec rem ipſam, nec ullam rationem prohibere, quo minus id fieri potuerit, in eo cultu, atque eo tempore, quo omnium peccatorum, modo ſolenni, plena expiatio in typo ob oculos ponebatur coram univerſo Iſraele.

pag. 140. 168. 158. 197.

Tertia, quin imo rationes esse, quæ suspicionem injiciant, omnino convenire, ut id, si unquam aut ullibi, hoc in cultu atque hac
pag. 199. ipsa die factum fuerit. *Quarta*, omnia totius contextus huic ex-
205. plicationi exacte convenire. *Quinta*, suffragari huic sententiæ ar-
208. gumenta, nec numero nec pondere exigua. *Sexta*, alias sententias
226. multis laborare difficultatibus. *Septima*, eam, quam ipse aliis præferendam ducit, facile se expedire, omnesque scrupulos adversus eam hactenus propositos clare dilui posse.
248. *Octava*, alios jamdudum eandem aut suæ simillimam docuisse opinionem. Huic Exercitationi alia de eodem argumento subjungitur, quam doctissimus autor Johanni Spencero opposuit, ac duobus membris absolvit. In primo quod principi de Hebræorum ritibus maximam partem ex Ægypto petitis errori, quem putat, confutando destinatum est, ostendit,
276. leges Mosis fuisse typicas rerum spiritualium, adeoque non mutuo ab
272. Ægyptiis acceptas; satius esse diabolum Dei simiam, quam Deum
273. diaboli dicere; in historia Exodi nihil occurrere, quod originem debeat Ægyptiis, nihil quod non ad patrum catechesin, religio-
277. nem, cultum, ritus revocet Hebræorum animos; Spencerum potissimum legis Mosaicæ usum, qui in indicando corpore Christi, & convincendis de veritate Christiani tanquam antitypici cultus Ju-
279. dæorum animis imprimis consistat, negligere; eundem non sine injuria doctissimorum virorum conqueri, leviter tractatas hactenus
281. ceremonias esse; legem Mosis non potuisse Israelem secernere ab omnibus gentilibus, sigillatim Ægyptiis, si ab his mutuo accepta
282. fuerit; profanos auctores peculiaria & ab omnium populorum ritibus diversa Judaicæ genti tribuere cultus divini imprimis instituta;
284. Religionem veram nunquam ita corrumpi potuisse, quin illius ali-
288. qua vestigia superfuerint; Zabæos in idololatria Ægyptiis priores,
294. ipso Spencero teste, extitisse; nec ulla ratione probari posse, jam Mosis tempore idololatriam Ægyptiorum ita multiplicatam fuisse, ut tanti apparatus, quantum lex Mosis flagitat, pars maxima ab iis mu-
300. tuo accipi ulla ratione potuerit; in multis quoque, quæ sacrum cultum non spectant, antiquitatem falso jactari ab Ægyptiis; o-
303. mnium gentium de diis semideisque ex contorta de Deo Patre &
320. Sponsore filio veritate, derivatam fabellam esse; Hebræos Ægyptiis circumcisionem non debere, sed potius hos ab illis eam accepis-

se;

Digitized by Google

se; Sacerdotes Ægyptiorum non fuisse tales, quales lex Mosis cre- pag. 350.
avit, sed fere similes artium professoribus ac viris eruditis, qui tum
sacris admoventur, tum scholis, tum etiam consilio & dicasteriis
Principum; secundum mentem Bonfrerii & Morini, Ægyptios Salo- 357.
monis demum tempore admisisse circumcisionem; lapides Ægy- 362.
ptiis fervide cultos ac celebratos Hebræam sapere originem; Ora- 363.
cula ad divinorum imitationem effinxisse gentiles; ex historiis, iis-
que potissimum, quæ patrum suorum seu traditiones seu scripta
præ se ferunt, eluceſcere, Ægyptios multa aliis debere gentibus; in
ipsa quoque lingua Ægyptiorum non deesse specimina, quibus sen- 374.
tentiam suam confirmatam dare possit, vocabula quippe magno
satis numero apud Ægyptios reperiri Hebræis communia, eaque a
radicibus Hebtæis derivari palam esse; anthropothysiam omni
fere genti receptam vel solam argumento esse posse, in fabulis non 375.
tantum gentium, sed & in absonis ceteroquin ritibus, μίμησιν
quandam facti reive sacræ reperiri; antiquitatem Ægyptiacam in- 386.
certitudine maxima laborare, & ita diversum fuisse ac in multis sibi
contrarium Ægyptiorum cultum, ut bella inde exorta legantur
funestissima; a Spencero itaque edocendum fuisse, quosnam potis- 390.
simum Ægyptios imitati sint Israelitæ; cum ab aliis gentibus non 391.
pauca Ægyptii mutuo habuerint, certo affirmari haud posse, eos-
dem ab Hebræis nihil recipere voluisse; magis conveniens videri ad
fidem Mosi apud Israelitas conciliandam, eorumque animis cœ- 392.
lestem veritatem persuadendam, ab inventis diaboli diversa iisque
contraria præcepta, quam eadem maximam partem retenta fuisse;
improbabile prorsus esse, Deum, cum ab omni idololatria Judæo- 393.
rum animos avocare intenderit, leges magnam partem ab idolo-
latris institutas atque observatas per Mosen tradidisse; Israelitas, in
fabricando vitulo Ægyptiorum gentem imitatos, supremo Numini 395.
adeo displicere haud potuisse, si ipsemet ritus cultusque, maximam
partem Ægypto usitatos, a populo Israelitico observari voluerit.
His ita luculenter pertractatis, rationes a celeberrimo Spencero ad- 404.
ductas sub incudem revocat, atque tum ad testimonia divina e Scri-
pturis sacris deprompta, tum ad humana veterum pariter ac recen- 410.
tiorum, tum ad argumenta artificialia respondet, atque peculia- 433.
rem digressionem de Herodoto instituit, ejusque autoritatem in re- 527.

bus Ægyptiacis imprimis parvi faciendam esse solide demonstrat. In secundo dissertationis membro ad vindicias eorum, quæ de Hirco Azazel scripserat, progreditur, ac primum peculiarem de eodem argumento a Spencero conscriptam exercitationem examinat; postea nonnulla clarissimi Basnagii ad examen revocat. Sequuntur hinc tres orationes, quarum primam *de Ecclesiæ ex utraque Babylone exitu, & unius cum alio convenientia*, ad diem VIII. Id. Decemb. A. 1677. cum ordinarius Theologiæ & Hebrææ litteraturæ Professor introduceretur, recitavit: alteram *de incremento cognitionis, exspectando tempore novissimo*, ipsis Kalend. Junii A. 1686. Rectoris Magnifici muneri initiatus, dixit: tertiam vero *de semihorio silentii* ex *Apoc. VIII. 1.* eodem die anni subsequentis Rectoratu discedens habuit. Post easdem offerunt sese homilia in *Zach. IV. 10.* & dissertatio ad *Zach. III. 9.* de septem oculis lapidem Christum intuentibus, in qua evincere nititur, particulam Hebræam עַל per *ad*, aut *versus* esse vertendam, adeoque oculos non tribui ipsi lapidi, quibus videat, verum oculos esse versus lapidem, quibus ille cernatur. Agmen claudunt capita doctrinæ de Testamentis & Fœdere in concinnum ordinem redacta. Sub finem totius operis index rerum, verborum, auctorum ac Scripturæ locorum exhibetur.

GRIEKSE, LATIJNSE EN NEERDVITSE VERmakelykheden &c.

i. e.

Græcæ, Latinæ, & Belgicæ Amœnitates, auctore Petro Rabo.

Roterodami, apud P. vander Slaart, A. 1692. in 8. Plag. 29.

ALtera hæc (primam enim videre nobis non contigit) non ita pridem ad nos pervenit editio libri elegantissimi, dignissimique qui in his Eruditorum Actis memoretur. Auctor illius doctissimus is ipse est, qui superiore anno Bibliothecam Europæam (*Boeksaal van Europe*) Roterodami Belgico idiomate per bimestria intervalla edere cœpit, cum jam ante Herodiano in Belgicum sermonem converso, monumentisque aliis, Græci Latinique sermonis haud vulgarem

garem peritiam, civibusque ſuis harum linguarum ignaris conſulendi ſtudium prodidiſſet. Nec aliud ipſi in præſenti opuſculo inſtitutum fuit, quam ut in nationalium ſuorum gratiam, ex Græcis Latinisque ſcriptoribus, ſeu veteribus ſeu recentioribus, quicquid amœnum præ cæteris lectuque jucundum ac utile deprehenderat, excerperet, Belgicoque exhiberet idiomate; carmina etiam Græca Latinave, aut eorum fragmenta Batavo poemate exprimeret. Ea vero ex ſacra pariter ac profana antiquitate ſelectarum rerum varietas non permittit, ut ſingulorum capitum argumenta hic recenſeamus. Foret enim id prolixum nimis. Aſt temperare tamen nobis non poſſumus, quin nitidiſſimum ex eo depromamus, hucque tranſcribamus poema, quod a *Nicolao Fouqueto*, celebri illo ex utraque fortuna Regni Francici quondam Adminiſtro, dum in cuſtodia teneretur, compoſitum fuiſſe dicitur, neque, quantum nobis quidem innotuit, alibi publicatum deprehenditur. Non enim ingrata ejus lectio accidere iis poterit, qui Fouqueti fata norunt, &, ſi verus is poematis auctor eſt, vel hinc cognoſcent, quantum ad carminis felicitatem poetæ affectus conferat. Romanæ religioni Auctorem, quisquis eſt, addictum fuiſſe, nemo non videt. Carmen ipſum ita ſe habet:

FVQVETVS IN VINCVLIS
AD DEI MATREM.

Sidereæ Regina plagæ, qua vindice ſurgens
Naufragus ignotis emergit ſalvus ab undis,
Et laceram reficit peregrino in littore puppem;
Numinis intemeratæ parens, a Numine ſummo
Alterna ſpes, hominumque ſalus; quæ vota gementum
Suſpicis, & fructu præſtas ſolatia rebus,
Da mihi Te facilem, paulumque adverte precanti.

Ille ego, qui quondam ſumma ad faſtigia vectus
Francigenum moderabar opes, quem longa clientum
Mane ſalutabat ſpatioſa per atria turba:
Ille ego, tot procerum ſocius, quem tota colebat
Gallia, quem toties populi dixere beatum,
Nunc miſer indigno clauſus ſub carcere vitam

In tenebris luctuque traho: nunc miles inermem
Obsidet armatus, pilisque minacibus instat.
Mens concussa malis, varioque agitata dolore
Hæret, & incerta est, quid primum defleat. Uno
Cuncta mihi sunt rapta die; dulcissima conjux,
Pignora chara thori, libertas, census, honores,
Prædia, rura, domus, & magni gratia Regis;
Nec mihi de tantis superest nisi futilis umbra.
Hæc equidem cruciant animum, tamen anxius illud
Pungit, & ardenti transfigit viscera telo;
Quod regni pro laude labor susceptus, & ingens
Curarum series patriæ consumpta tuendæ,
Vana cadit, tristesque refert pro munere pœnas.
Quin etiam illa fides, omni quæ charior auro,
Quæque prior mihi luce fuit, vexata maligna
Vocibus invidiæ, media mordetur in aula.
Sic decus interiit nostrum, sic fama tot annis
Parta mihi, subita cecidit labefacta ruina.
Hinc novus exsurgit mœror, graviusque recursat;
Quæstura vix gesta meæ mandata libellis,
Scriniaque & pluteos, digestaque computa fisci,
Unde laboranti possem succurrere causæ,
Accipio periisse mihi, casuve, dolove:
Nosse tuum est, Virgo, puris quæ cuncta pererras
Luminibus, cæcique vides penetralia cordis.
His tamen insistit rigidus quæsitor, & ansam
Hinc rapit, unde reus capitali crimine dicar.
Has inter latebras tanta in caligine rerum,
Qui me consiliis prudentique adjuvet arte,
Nullus amicus adest. Horum (nisi rumor inanis
Nuncia falsa tulit) pars nostro territa casu,
Majorique inhians fortunæ, turpia vertit
Terga mihi; pars impositum mihi crimen acerbat,
Insultatque malis; quæ pars mihi fida remansit,
Arma per & latis circumdata mœnia fossis,

Huc

Huc penetrare nequit; crebris ſtationibus omnes
Quippe aditus tenet infauſtæ cuſtodia turris.
Sic premor aſſidue. Regis modo territat ira,
Adverſæque aures; modo qui mihi fronte procaci
Improperat, qui noſtra tulit ſtipendia, teſtis,
Qui conviva meæ conſumſit fercula menſæ.
Nunc mala me febris, nunc longi tædia torquent
Carceris. Ipſe novos etiam mihi ſuſcito luctus,
Ingenio fingente; ſubit namque obvia mater
Sæpe mihi largis profundens fletibus ora;
Extorresque domo fratres, prolesque parente
Orba ſuo, & ſponſæ non digna ferentis imago.
Triſtior ire dies, nox longior eſſe videtur,
Apparentque animo majora pericula veris.

Hæc eſt iſta mei ſpecies, hæc ampla faventis
Præmia fortunæ: ſic me extulit illa per altum,
Mox ut præcipitem raeret; ſic dulcia fallax
Pocula porrexit, quo me ſatiaret amaris.

Aſt Tu, Diva potens, quaſſatæ firma carinæ
Anchora, Chriſtiadum columen, tutela reorum,
Ipſa vides quanto aſſultu, quantisque petitus
Criminibus, dubia cogar contendere ſorte.
Suffice pugnanti vires, tantumque laborem
Vincere da, Virgo, & crudelibus eripe fatis.
Tu molem undarum, montano e vertice lapſam,
Sternentem ſegetes, armentaque tota ruentem,
Si prius emittat paſtor tibi vota, repente
Siſtis, & adverſo rapis in contraria curſu;
Mortua quin etiam revocas ad lumina vitæ
Corpora; Tu laxis effuſa incendia frænis
Abſumptura domos, totasque a ſedibus urbes,
Imperio reprimis, rapidumque intercipis ignem:
Tu ventos, atque alta jubes compeſcere motus
Æquor: Tu retines accenſas Numinis iras
Armatamque manum: cœlum Tibi denique ſervit.

Cur ego, qui primis Tibi ſum devotus ab annis,
Talia non ſperem? Tua magna potentia, Virgo,
Nota mihi. Tua, nec fallor, mihi certa voluntas.
Sed neque Te quemquam ſcimus fruſtraſſe vocantem,
Rebus in anguſtis: ſunt dona ingentia teſtes
Delubris appenſa Tuis: ſunt ſtructa per orbem
Templa tibi, ſemperque ardentes ignibus aræ.
Hinc tua ſervatæ narrant miracula gentes,
Et pater & natus, tenera cum virgine mater,
Annoſusque ſenex; omnis Te concinit ætas.
Non ego conſtituam ſolido Tibi marmore fanum,
Immanesque arcus, & ahenis fultæ columnis
Atria, vel fulvo laquearia picta metallo.
Nunc tibi non auſim tenuem ſpondere lucernam;
Usque adeo noſtras inimicis excita ventis
Tempeſtas exhauſit opes; ſed nudus egensque
Aras ante Tuas ſupplex Tibi, Diva, litabo,
Solaque perſolvam gratæ donaria mentis.
Siqua tamen quondam mutatæ ſorte poteſtas
Obtigerit, ſeu Rege meos miſerante dolores,
Sive meam agnoſcente fidem; cum damna labantis
Tu dederis ſarcire domus, ſparſasque meorum
Reliquias legere, & fatis melioribus uti:
Quicquid erit, quodcunque dabis, Tibi, Virgo, ſacratum
Æternumque ferum. Tuus imo in pectore ſemper
Vivet amor, legesque tuas, & jura verebor.
Te moliri aliquid non auſpice, Diva, putabo
Grande nefas, ſequar ad nutum quocunque movebis.
Tu mihi dux vitæ, Tu morum norma, meumque
Dulce decus, Tu lumen eris. Si frigida noctis
Suaſerit umbra mihi ſomnos, non ante quieti
Lumina permittam, curvus quam poplite feſtum
Exſequar ipſe Tibi carmen; ſi nocte fugata
Luxerit, hoc primos renovabo Solis ad ortus,
Horaque nulla mihi Dominæ ſine laude peribit.
Hoc quoque ſollicitus nitar, modo cœpta ſecundes,

Latina

Latius ut totum tua creſcat fuſa per orbem
Gloria, & ignota celebrent Tua Numina terra.
Nec mihi ſi quisquam violet Tua ſacra profanus
Impune occurret; meme ille dolore frementem
Sentiet, & quantum vires animaque valebunt,
Ulciſcar facinus, temeratæque jura piabo.
Ergo age, rumpe moras, Virgo, mea vincula rumpe,
Et promptam fer mitis opem. Si noſtra retardant
Auxilium delicta Tuum; ſi ſegnis honores
Diva, Tuos colui; ſi debita penſa remiſi;
Si Tua ſæpe meis non fovi altaria flammis,
Ignoſce, o Virgo, nec jam quid noſtra morentur
Crimina, ſed lacrymas generoſæ reſpice matris;
Reſpice, ut illa meo penitus confoſſa dolore
Ante tuos effuſa pedes, noctesque, diesque
Indefeſſa gemit; quantum diſcrimine noſtro
Anxia, Te precibus, Divosque hominesque fatigat,
Reſpice, ut illa ſuas renovat pro paupere curas,
Ut levat in morbis, ut dura compede vinctum
Aſſerit, ut miſeris incumbit tota juvandis,
Nullaque non tentat, nato paritura ſalutem.
Nec Te, Diva, latet, thalami ut fidiſſima conſors
Ipſa quoque aſſiduo pulſat ſacraria planctu;
Meque ſibi reddi querulis Te vocibus orat.
Si neque Te matris, neque Te ſuſpiria tangunt
Conjugis; at moveant, Tibi quos infantia fundit
Inſontes gemitus: teneri mihi namque ſuperſunt
Quinque domi fœtus, uxor quos ſedula nutrit,
Et monet eſſe pios; horum vox una per ades:
Quo pater hinc abiit? quis patrem ſuſtulit error?
Redde patrem Virgo, triſtes ſine patre perimus,
Vivimus, o Virgo, ſi des patris ora videre.
Sic fore confido. Votis oblata redibit
Libertas, dulces iterum complectar amicos:
Ipſaque mœſta diu noſtro recreata reſurget
Aſpectu dilecta parens, charamque videbo

Connubii ſociam, tecti ſub poſtibus ipſis
Brachia pandentem reduci; mox agmine facto
Ad mea certatim properantes oſcula natos.
Sic erit hæc noſtros componens gratia luctus;
Si modo, Diva, jubes noſtram miteſcere ſortem,
Supremumque mihi placas cum Principe Numen.

CODEX JURIS GENTIVM DIPLOMATICVS, IN quo Tabulæ authenticæ Actorum publicorum, pleraque inedita vel ſelecta continentur; quem ex Manuſcriptis, præſertim Bibliothecæ Auguſtæ Guelferbytanæ Codicibus, & Monumentis Regiorum aliorumque Archivorum, ac propriis denique Collectaneis edidit GODEFREDVS GVILIELMVS LEIBNITIVS.

Hannoveræ, impenſis Samuelis Ammonii, A. 1693. in fol. Alph. 5. pl. 17.

INſtitutum utiliſſimi hujus præclarique operis, ex Epiſtola his Actis menſe hujus anni Martio pag. 141. inſerta intelligi potuit. Quantum nunc ejus prodiit, complectitur tabulas authenticas rerum inſignium complurium, a fine ſeculi undecimi ad initium usque ſuperioris geſtarum. Accepimus magnis Viris, & primariis etiam Principum Adminiſtris mirifice probari hoc inſtitutum, & quanto quisque in Republica eſt verſatior, aut hiſtoriæ pragmaticæ peritior, eo magis his monumentis legendis delectari, & probare conſilium Illuſtris Autoris; quin & paſſim ſuppeditandæ novæ materiæ ſpem ei factam ex Archivis publicis, aut Virorum in Reipublicæ negotiis verſatorum ſcriniis.

Præfatio ipſa uſum Operis exponit, ſpeciminibusque illuſtrat; quin & veros *Juris naturæ & gentium fontes* obiter aperit; brevi verborum complexu, ſed altiſſimis ſenſibus ac late patentibus. Nam cum ad rei explicationem nihil ſit efficacius definitione rotunda & lucida, non aliis facile ceſſerint, quæ hic in eo genere afferuntur; unde ob novitatis gratiam & dignitatem argumenti non poſſumus, quin aliqua huc transferamus. Cum ſcilicet licitum & debitum differant ut poſſibile & neceſſarium, ideo *Jus*, inquit Autor celeberrimus, eſt potentia

potentia moralis, *Obligatio* eſt neceſſitas moralis. *Moralis*, id eſt, quæ apud virum bonum æquipollet naturali; nam quæ contra bonos mores ſunt, ea nec facere nos poſſe cenſendum eſt. *Vir bonus* eſt, qui amat omnes, quantum ratio permittit. *Juſtitia* igitur, quæ eſt virtus hujus affectus rectrix, quem Græci φιλανθρωπίαν vocant, commodiſſime definietur caritas ſapientis, hoc eſt, ſequens ſapientiæ dictata. Itaque qui juſtitiam cum Carneade putant eſſe ſtultitiam, ejus definitionem ignorant. *Caritas* eſt benevolentia univerſalis. Et *benevolentia* eſt amandi ſive diligendi habitus. *Amare* autem ſive *diligere* eſt eo eſſe animo, ut felicitate alterius delecteris, vel quod eodem redit, felicitatem alienam aſciſſere in ſuam. Unde difficilis nodus ſolvitur, magni etiam in Theologia momenti, quomodo amor non mercenarius detur, qui ſit a ſpe, metuque & omni utilitatis reſpectu ſeparatus. Hinc etiam illuſtratur natura *divini amoris*, qui inter primaria Theologiæ capita cenſetur. Poſtremo quia Juſtitia dicta eſt caritas ſapientis, hinc *ſapientia* definitur ſcientia felicitatis; ita ut rurſus in notionem felicitatis revolvamur. Inde tres juris gradus exponuntur: *Jus* merum ſeu *ſtrictum*, quod ſola vi negotii inſpecta de cætero homines non diſtinguit; *Æquitas* ſeu arctiore vocis ſenſu Caritas, ubi proſopolepſiæ & meritis locus eſt; denique *Pietas* ſeu honeſtas, ubi etiam, quæ nemini proſunt vel obſunt, niſi facienti, tamen ad juſtitiæ rationem revocantur, quatenus ad perfectionem naturæ rationalis, atque adeo ad optimi maximi rerum Gubernatoris voluntatem referuntur, quem ſuper omnia amare officium eſt ſapientis. His gradibus docet Autor reſpondere tria pervulgata Juris præcepta recte intellecta: ſcilicet *neminem ladendum*, quod eſſet contra jus ſtrictum, vel ut Grotius loquitur, *facultatem*, unde actio naſcitur; deinde *ſuum cuique tribuendum* (pro ratione ac meritis perſonarum) quod eſt æquitatis, etiam cum ei, cui obligamur, jus tantum imperfectum competit (velut ad eleemoſynam,) unde actio ei non datur, quod Grotius *aptitudinem* vocat; denique *honeſte*, id eſt pie, *vivendum eſſe*, quod pertinet ad ſummum juris gradum, omnes in ſe virtutes complectentem, atque ad illas etiam creaturas ſe porrigentem, quibus ne imperfectum quidem jus competit, quales ſunt ratione carentes. Itaque his gradibus ſive præceptis etiam tres juſtitiæ ſive ſpecies ſive partes, *com-*

mutativa infimo, *distributiva* medio, *universalis* summo respondent. Atque in his illud pulchre evenit, ut jus quidem strictum sit proprie ipsum jus conservationis, adeoque belli & pacis, quando in iis, qui una civitate non connectuntur, pro actione rei conservatoria est bellum; jus autem medium non tantum pacem seu conservationem respiciat, sed & felicitatem temporalem, sive εὐπραξίαν. Et hoc maxime Legislatoris est curare; itaque in bene constituta Republica leges non tantum ex jure stricto, sed & ex æquitate dant actionem, efficiuntq; ut aptitudo transeat in facultatem; quanquam & virtutes, qua pote, introducere quærat sapiens Legislator, & divinam rempublicam imitari, quia nihil illis est ad societatem & vitam felicem efficacius; tametsi nihil ipse, præter præsentis vitæ præmia pœnasque præstare, neque omnia consequi possit. At jus supremum respicit felicitatem perpetuam, fundaturque in immortalitate animæ, atque existentia rectoris omnium Dei. Nam perfectissima est Respublica, quæ complectitur Universitatem mentium, sed tamen etiam irrationalibus creaturis, corporibusque propriis vel alienis male uti mentes vetat, cum omnia sint in dominio Dei. Universalis igitur mentium Reipublicæ scopus est felicitas summa, eaque æterna. Monarcha autem Deus est, cujus sapientia pariter potentiaque, &, ut verbo dicam, virtute immensa efficitur, ut non tantum omnis aptitudo transeat in facultatem, sed etiam, quod palmarium est, ut omne jus transeat in factum; id est, ut nullum peccatum pœnam effugiat, nullum laudabiliter gestum præmio destituatur; quoniam ut divine a Christo traditum est, omnes capilli nostri numerati sunt, ac ne aquæ quidem haustus frustra datus erit sitienti; adeo nihil negligitur in Republica universi. Hæc pluribus ab Illustri Autore explicantur, quæ ipse admodum juvenis jam attigerat nonnihil in *Methodo Juris* anno 1666. conscripta & paulo post edita, ac *JOHANNI PHILIPPO* Electori Moguntino, immortalis famæ Principi inscripta, a quo mox Autor inter Consiliarios supremi Judicii Revisorii Assessores ex merito fuit allectus. Cæterum libellus ille magno tunc applausu exceptus est; & hortatu Christiani Woldenbergii in Rostochiensi Academia Antecessoris celeberrimi, Cl. Zinzerlingius JCtus ibidem doctissimus novam ejus editionem moliebatur, confecto diligenter indice, additionibusi etiam affectis, quæ immatura ejus morte fuere interceptæ. Hoc ideo memora-

moravimus, ut libelli a multis laudati, dudumque distracti, atque in paucorum manibus nunc versantis, memoriam renovaremus, quæ forte ad recensionem ejus atque amplificationem, e republica futuram, excitare eruditum aliquem JCtum posset; quando Autori tot aliis distracto non vacat: etsi ut ad rem eam perficiendam otium ei aliquando obtingat, una nobiscum exoptaturi haud dubie sunt omnes, quibus Viri dexteritas & exasciatum judicium sunt perspecta. Sed nunc ad relationem de præsenti Opere redeamus, cujus Autor post explicatum jus naturæ, notat *jus gentium*, quatenus ab illo distinguitur, in complurium populorum consuetudine consistere, temporibus locisque variante; quemadmodum ex hoc ipso codice exemplis notatu dignis docet.

Usus Operis multiplex est, sed in summa tamen duplex, primarius scilicet & secundarius. Ac *primarius* quidem tum ad eos pertinet, qui in Republica versantur, tum etiam ad illos, qui spectatores tantum agunt, sed tamen accurate de publicis negotiis judicare volunt. Tractatus enim pacis, Fœdera, Instrumenta dotalia, Testamenta Principum, Donationes, Cessiones, Renunciationes, Investituræ aliæque collationes, Homagia & omnigenæ obligationes, & in universum Tabulæ Actorum publicorum vim juris habentium efficiunt, tum ut noscatur, quæ sint summarum potestatum jura inter se, tum etiam ut exempla præbeantur rempublicam gerentibus, cum similia agenda inciderunt, quæ vel ipsi sequantur, vel apud alios allegent; plerumque enim in Ministrorum congressibus disputantes sese exemplis tuentur. Itaque talia constat magnis rerum Administris in deliciis fuisse, & pro thesauris solita custodiri, & rarius prodire in publicum, sed fere in Archivorum tenebris latere. Nec ad jus tantum, sed etiam ad utilitatem ista pertinent; nam cautelas præbent, & artes detegunt, quibus usi sunt Imperantes in suis tuendis vel dilatandis, præsertim si Historici insignes his monumentis adjungantur. Et cum fructus belli diuturni in tractatibus pacis appareat, hinc illis velut paxillis statuminatur atque interstinguitur historiæ corpus. Plerumque etiam ex ipsarum Tabularum inspectione genuina rerum facies apparet, a Scriptoribus involuta, vel etiam corrupta; quemadmodum illi experiuntur quotidie, qui jura Principum tractantes, tradita Historicorum ad fidem diplomatum exigunt.

Secundarius uſus eſt in augenda eruditione lectoris; multa enim hinc eruuntur, quæ ignorantur vulgo, pertinentia ad rerum origines, ad controverſias illuſtres, ad Chronologiam item & gentium epochas, ad Geographiam & locorum appellationes, ad rem Genealogicam atque Heraldicam, quæ ex ſubſcriptionibus & ſigillis Tabularum illuſtratur. Atque is videtur ſcopus fuiſſe illuſtri Autori, non ut omnia congereret diplomata ad rem publicam pertinentia, etiam hactenus inedita (quorum multa adhuc ſervat) ſed ut guſtum daret eruditis editione illorum maxime, quæ publica curioſitate digniora viderentur.

Itaque paſſim obſerves, quæ non vulgaria docent. Veluti de foſſa limitanea inter Longobardos & Venetos, Caroli M. tempore ducta; de Abbuiſſac Principe Saracenorum Africæ, qui cum Friderico II. Imp. fœdus pepigit; de Rege Bellimarini Mauro Hiſpanos bellis exercente, ſcriptoribus fere incognito; de novi regni Adriæ inſtitutione; de nova militia contra Turcas, cujus ſedes eſſe debebat in inſula Lemno. Tabulæ aliquot Ludovici Gallorum Regis, qui inter ſanctos recenſetur, atque inter alia contractus ejus cum Venetis de transportando Regis exercitu in Palæſtinam, qui rem illorum temporum nauticam illuſtrat. Complura pertinentia ad jura Imperii & res Galliæ, ubi fœdera, tractatus, actaque inter Philippum Suevum Imperatorem, & Philippum cognomento Auguſtum Galliæ Regem; inter Fridericum II. & Ludovicum Sanctum; inter Rudolphum Imp. & Carolum Regem Siciliæ, Ludovici S. fratrem; diffidatio Adolphi Naſſovii, miſſa Philippo Pulchro, Galliæ Regi, & reſponſio Regis. Fœdera inter Albertum I. Auſtriacum & mox Henricum VII. Lucemburgenſem, & eundem Philippum; atque inter alios Imperatores ac Galliarum Reges. Tabulæ oſtendentes jura Imperii, & modos, quibus Gallia ſibi attribuit pertinentia ad Regnum Arelatenſe, ſcilicet (præter Comitatum Toloſæ & terram Albigeſii) reſpectu Comitatus Burgundiæ, Marchionatus Provinciæ, Comitatus Lugdunenſis, aliorumque locorum, ſed maxime Delphinatus. Exhibentur enim ipſæ Tabulæ Regum & Archiepiſcopi Lugdunenſis, Prælatorum Albigeſii, & Delphini Viennenſis; quorum hic ditionem ſuam in principem ſanguinis Regii transfert, ea lege, ne ſit primogenitus ſeu coronæ proximus ſucceſſor (quod vulgo creditur) neve unquam Delphinatus coronæ uniatur, ſed ut Imperii jura ſint

ſalva

Digitized by Google

ſalva. Imprimis autem memorabile eſt protocollum informationis de limitibus inter Imperium & Regnum ad Moſam fluvium, in quo continentur depoſitiones teſtium per Commiſſarios a Cancellario regni Galliæ miſſos examinatorum, referentiumque Imperatorem Albertum I. & Philippum Pulchrum Galliæ Regem in valle quadam non procul Verduno conveniſſe, ibique limites deſignaſſe a fonte Moſæ usque ad Verdunum, æneis etiam notis in terra defixis. Notatu etiam digna ſunt Sanctio pragmatica Caroli V. Galliæ Regis, de Regibus quarto poſt decimum ætatis anno majoribus; judicia ſolennia in Pares Regni aut a Paribus exercita; erectio Ducis Burgundiæ in primum regni Parem, aliaque id genus.

Multa etiam occurrunt pertinentia ad res Hiſpaniæ & Angliæ: Tabulæ Johannis Regis Angliæ A.1200, Henrici A.1259. Homagium a Rege Angliæ præſtitum ratione Ducatus Aquitaniæ A.1329. Diffidatio Eduardi III. Philippo Valeſio miſſa, hujusque reſponſio. Pax Bretigniaca, qua Angli Johannem Galliæ Regem bello captum dimiſere. Translatio prætenſa Regni Galliæ in Angliæ Regem facta a Carolo VI. in tractatu Troienſi, accedentibus Baronum Regni ſacramentis; ut alia recentiora prætereamus. Sic occurrunt Epiſtola Alphonſi Regis Caſtellæ, quiſe Imperatorem vocabat, ex qua Hiſpani contendunt, Portugalliam fuiſſe feudum Caſtellæ: Acta quædam alterius Alphonſi, electi Regis Romanorum: Tabulæ Jacobi Regis Majoricenſis, Vaſallum honorarium Arragoniæ Regis ſe profitentis: Compromiſſum inter Reges Caſtellæ & Arragoniæ A. 1386: Fœdus Johannis II. Regis Caſtellæ cum Rege Galliæ percuſſum A.1434. in oppido Majorito (Madrit:) Bullæ Papales de jure Luſitanorum in Guineam recens apertam, & Hiſpanorum in novum orbem, & de ductu Meridiani utriusque Regis jura dividentis: Acta quædam Regum Siciliæ utriusque ſeu Neapoleos, veluti Caroli I. & II. Reginæ Johannæ, cum facta ab hac translatione Avenionis in Romanæ Sedis jura, de quo Tabulæ exhibentur: Complura etiam pertinentia ad Ludovicum XI. Regem Galliæ ejusque filium Carolum VIII, Ferdinandum & Iſabellam Caſtellæ & Arragoniæ Reges, atque inter hos acta. Proceſſus inter Reges Septentrionis coram Legato a latere; item de compromiſſo Regum Daniæ & Scotiæ. Fœdera Helvetiorum inter ſe, inde ab antiquiſſimo inter tres pagos anni 1315. quibus alii pagi vel urbes paulatim acceſſere, pactis

pactis initis, quorum pleraque exhibentur ; ex quibus inprimis memorabile eſt fœdus poſt prælium Sempacenſe A. 1393 ; item fœdus inter ſeptem Pagos Helvetiæ & Ligæ Griſeæ corpus initum A. 1497 ; primum etiam fœdus inter Galliam & Helvetios: ut cætera nunc non memoremus. Quemadmodum nec ad Flandriam , Burgundiam , Britanniam minorem , Sabaudos horumque jus allegatum in regnum Cypri, Florentinos , Venetos, aut etiam ad Auſtriacos (atque in his Fridericum III. & Maximilianum I.) Bavaros, Saxones , Brandenburgicos, Palatinos, aliosve Imperii Principes pertinentia ; qualia hic complura occurrunt. Tantum notare placet, produci hic fœdus inter Carolum VII. Galliæ Regem , & Fridericum, Romani Imperii Archimareſchallum & Electorem , nec non Wilhelmum ejus germanum , Duces Saxoniæ factum Nanceji A. 1444.

Non pauca etiam habentur, quæ ad res eccleſiaſticas faciunt , quatenus politicis immiſcentur, & ad poſtulata Romanæ curiæ , quæque illis diluendis Imperatores , Reges, Principes oppoſuere. De monarchia eccleſiaſtica Regis Siciliæ, qua Papam contendit repræſentare in Regno ſuo ; de veteri prætenſione Romanorum Pontificum exercendi vicariatum Imperii vacantis , imo ſuperioritatem in ipſum Imperatorem ; quibus Imperator & Imperii Principes maſcule contradixere. De prætenſione Cleri, qua omnis generis cauſas etiam pecuniarias ad ſuum forum trahebat, prætextu juramenti vel peccati mortalis, & acta in eam rem inter proceres Clericos & Laicos. Faſciculus diplomatum, pertinentium ad Concordata Nationis Germanicæ cum Sede Romana , etiam anteriora ac pleniora his, quæ vulgo habentur , iisque illuſtrandis apprime utilia , adeoque male vulgo neglecta ; item pertinentia ad obedientias Antipaparum ; electio Felicis ejusque rurſus abdicatio. Bulla Pii II. qua agnoſcitur , Imperatori ex debito officii Imperialis competere , ut ſit Capitaneus generalis ſeu Dux natus Chriſtianorum contra infideles. Huc referri poteſt protectio Concilii generalis ; titulus ſacræ Majeſtatis ſoli Imperatori a Regibus Galliæ & Angliæ , licet inter ſe tractantibus datus , aliaque ; unde confirmatur de his ſententia autoris libri de Supremata, & res Imperii & Eccleſiæ illuſtrantur ; quæ ex ipſo opere cognoſci operæ pretium erit. Accedunt erectiones Ducatuum , creationes officiorum Imperii , veluti Vexilliferi , Seneſchalli , Stratoris,

Digitized by Google

ris, Inciſoris, Protoveſtiarii, aliaque ejusmodi, quibus immorari non licet. Tantum adhuc referre placet diſtinctius, quæ affert Autor celeberrimus ex antiquiſſimis Electionum Imperialium actis (apud Goldaſtum non extantibus) unde vexatiſſima quæſtio *de Origine Principum Electorum Imperii* novis velut luminibus colluſtratur; præſertim cum materia ſit his temporibus accommodata.

Noſter igitur Autor Amando & Welberto aliisque teſtimoniis ab uno Gevvoldo prolatis, ſed apud eruditos dudum ſuſpecti poſtulatis, nullam fidem tribuit. Attamen ex Speculo Saxonico, Gervaſio Tilberienſi, Alberto Stadenſi, Actis electionum Conradi filii Friderici II. & Alphonſi ac Richardi (quæ Codici noſtro diplomatico ſunt inſerta) non dubitat profiteri, ante longum interregnum jam *veſtigia juris Electoralis* extitiſſe. Initio igitur Imperatori filius ſucceſſor haud dubius deſtinabatur, *ordinatione* quadam plerumque vivente adhuc patre facta. Si nullus eſſet, quem ſanguinis prærogativa commendaret, tunc procerum ſtudiis, & populi acclamatione Rex fiebat, fere ad hodiernam Poloniæ formam; quemadmodum diſcimus ex Wippone Conradi Salici inaugurationem deſcribente. Apparetque Archiepiſcoporum, inprimis vero Moguntini (cujus primam vocem prædicat Fridericus I.) magnam fuiſſe autoritatem; ſed & primarios Imperii Duces autoritate ſua traxiſſe proceres ſui Ducatus. Nam *Magni Ducatus* Bavariæ, Lotharingiæ, Alamanniæ, Franciæ Orientalis, & Saxoniæ, etiam regna aliquando vocabantur, vel in locum regnorum ſucceſſerant; & his præfecti Duces res ſub Imperatoribus maxima poteſtate adminiſtrabant. Iidem *magna Officia Palatina*, quæ quatuor ab antiquo habebantur, obibant in ſolennibus curiis, ut ex Widikindo & Ditmaro conſtat; non quidem fixo jure, ſed ut quisque præſens erat, & ætate, autoritate, vel ſplendore eminebat. Cum ergo in ordinationibus atque inaugurationibus Archiepiſcopi ſacras, Officiati autem primarii, id eſt magni Duces, civiles ſolennitates obirent, & iidem in deſignando Rege plurimum poſſent, paulatim autoritatem in ſe traxere; tum quod tumultuoſior videretur illa ratio popularis, tum quod ipſi Cæſares filiorum ordinationem procurantes, mallent viam, qua facilius inſtitutum conſequerentur. Et quidem ſub Friderico I. & Henrico VI. videntur rei fundamenta jacta firmiora, ſuſpicaturque Autor noſter, exquiſitiorem quandam

eligendi formulam ab Eccleſia ad Imperium tranſiiſſe, ut alioqui ſcimus, judiciorum proceſſum, aliaque multa a Canoniſtis ad Legiſtas veniſſe : præſertim cum initio omnis eruditio & cum ea rerum moderamen penes Clericos eſſet, ſcripturæque omnes per ipſos expedirentur, & negotia formam complementumque eorum opera acciperent. Jam vero dudum receptum fuit *in Eccleſiaſticorum Electionibus*, ut collectis jam ſuffragiis, cognitoque, in quem ſtudia prævaleant, unus vel pauci eligere ſe dicant totius Capituli vice, & appellentur electores, etſi tantum Capituli electionem declarent. Quia etiam apud Canoniſtas credi paſſim cœpit, ne validam quidem electionem eſſe, etſi faverent ſuffragia, niſi ad publicatæ ſententiæ inſtar juridica promulgatio, & ut ita dicam, formalis electio, ab uno vel paucis pro omnibus celebrata, velut colophonem imponeret. Idem igitur vel ſimile quiddam cum translatum eſſet ad electionem Regis Romanorum, factum eſt, ut Archiepiſcopi quidam & Officiati ſolennibus obeundis deſtinati (qui & primarii Principes erant) eum, in quem potiora ſtudia procerum inclinare comperiſſent, velut *ſcrutinio* facto, vel ut, Albertus Stadenſis loquitur, ex *prætæxatione* Principum & *conſenſu nominarent*. Unde porro contigit proceſſu temporis, ut *electio formalis* valeret pro materiali, & Electores ſolennes ſeu *Nominatores* ſoli tandem fierent Electores. Sane conſenſum Principum etiam Speculum Saxonicum exigit, & in epiſtola Principum Germaniæ ad Innocentium III. pro Ottone IV, itemque Alexandri IV. Papæ ad Archiepiſcopos Electores contra Conradinum, videas electionem, nominationem, conſenſum, diſtingui. Et Richardus dicitur conſenſu Principum a ſuis Electoribus electus. Sed poſtea turbatiſſimis illis Imperii temporibus, cum plerique ſponte abſtinerent Republica, adeo ut ad exteros etiam ſceptrum deferretur, res ad ſolos illos Archiepiſcopos & Officiatos rediit, qui ſcilicet honeſte abeſſe non poterant, ſolique privativo jure Electores evaſere, qui nullo alterius conſenſu amplius indigerent. Itaque *privativum* illud *jus* longo interregno antiquius non videtur. Et hactenus aſſentitur Autor viris doctis, qui hinc initia Electorum repetivere. Sed definitus Electorum numerus, & officiorum fixa in Principatibus certis ſedes, videntur paulo antiquiora, tametſi nondum ſub Friderico I. ac credo nec ſub Henrico V!. conſtituta ſatis videri poſſint. Itaque ſupereſt

pereſt, ut ad Ottonis IV. vel Friderici II. tempora referantur. Nam paulo ante, in tot epiſtolis ab Innocentio III. aut ad ipſum de controverſia inter Philippum & Ottonem ſcriptis, nihil tale allegatur, quod tamen fieri maxime expectares, ſi tale jus in liquido fuiſſet. Hoc unum videas ab Innocentio urgeri: Ottonem (non Philippum) coronatum a quo debebat, & ubi debebat; Aquisgrani ſcilicet, & a Colonienſi. Et conſtat Moguntinum atque Henricum Ducem Saxoniæ, eundemque Palatinum Comitem Rheni, in regionibus transmarinis fuiſſe, cum duo Reges contrarii eligerentur. At non multo poſt, extincto Friderico II. Ottonis IV. ſucceſſore, jam indubitatus habebatur numerus Electorum ſeptenarius, certique Principes Officiales, iidem qui deinde duravere, quemadmodum ex Urbani IV. epiſtola ad Richardum Regem manifeſte conſtat. Medio igitur tempore Electorale munus certam formam ſedemque accepiſſe neceſſe eſt, quæ deinde in Rudolpho I. complementum recepit. Sane Conradum, Friderici II. filium, a certis Electoribus Cæſarem ſub patre Auguſto appellatum, innuunt Acta Electionis hic inſerta. Et dehortatoria Alexandri IV. de non eligendo Conradino ſeu juniore Conrado, ad tres Electores Archiepiſcopos directa, etiam hic extat. Atque in Moguntino quidem primæ ſedis honor valuit, adeo ut aliquibus a Papa proximus dicatur. Aquisgranenſis coronatio, collocatioque in ſede magnifici Caroli, ab antiquo viſa erat ad officium Colonienſis ſpectaſſe. Trevirenſis in ſua diœceſi habebat palatium vetus Francorum Regum in urbe Trevirorum, cui & Rheni Palatinus præerat, quod ſpecialiter aſſignabatur tradendum Imperatori electo novo, tanquam ad capiendam rerum Imperii poſſeſſionem, ut ex epiſtola Urbani IV. hic inſerta, Autor obſervat. In ſumma, Rex Romanorum electus a Germanis cenſebatur Rex Francorum, ſcilicet Orientalium, ut ex Ottonum Henricorumque diplomatis liquet. Hinc electio facienda dicebatur in urbe Francofurto, vel ſaltem in vicina Franckes-erd, id eſt terra Francica. Sedes quoque Caroli M. apud Aquisgranenſes, & palatium Trevirenſe Pipini (ut creditur) tradendum novo Regi, in ſolennibus iſtis ad Francica fuiſſe reſpectum oſtendunt, unde tres Archiepiſcopos Francicos cæteris, Saxonicis vel Baioariis, in electione prælatos, mirum non eſt. Eaque potius ratio Autori noſtro probatur, quam trium Archicancellariatuum, quorum unus tunc non-

dum, ubi nunc, erat. In Electoribus ſecularibus deligendis blandiri poterat quadruplex dignitas, ſcilicet Regis, Ducis, Marchionis, Comitis, pro quatuor Officiis Imperii. Sed potius eſt, ut Ottonem IV. vel Fridericum II. ad amicitiam vel vires reſpexiſſe, aut etiam præſentem poſſeſſionem ſecutos credamus, ut qui tunc forte noviſſime Officiis functi erant, eadem porro retinerent, opinione conſtantis juris mox invaleſcente, pro genio ſeculi tenebris pleni, eoque magis proclivis ad credulitatem : præſertim quod anteriora exempla in prædeceſſoribus cujusque non deeſſent. Unde facilior perſuaſio vetuſti juris, quæ in Saxone certa, in Palatino non aſpernanda videbatur, quod jam inde a Conrado Palatino, Friderici I. fratre, in jura Ducatus Orientalis Franciæ ſucceſſiſſe cenſeretur. In Bohemo quoque & Brandenburgico non defuiſſe credibile eſt, unde jus antiquius aſtrueretur; quorum notitiam nobis vetuſtas eripuit.

Hæc ſunt, quæ de origine Electorum illuſtris Autor magna veritatis ſpecie tradidit, tametſi nobis de re tanta & tam perplexa judicium non ſumamus. Prolixiores autem in recenſione hujus Libri fuimus, quod graviſſima monumenta hactenus partim inedita, partim paucis cognita, & obſervationes ab Editore illis ſuperſtructæ, pretium operæ pollicerentur. Cæterum licet præſens Opus, quale nunc editum eſt, per ſe completum haberi poſſit, pro eo, quod complectitur, intervallo temporum; pro certo tamen didicimus, ingentem Nobiliſſimo Autori apparatum ſupereſſe, tum pro duobus noviſſimis ſeculis, tum & pro anteriorum ſupplementis. Quæ cum jam prælo parentur, publico nomine rogare audemus Viros, ob doctrinam & rerum uſum ad interiora iſta admiſſos, ut ſubmittere velint, quæ ad ornatum & perfectionem majorem inſignis hujus Operis facere poſſe videbuntur; certi Editorem grato animo beneficium publice prædicaturum.

DE JURIS-CONSULTO PERFECTO, SIVE Interpretatione legum in genere, Liber ſingularis. Itemque Muſæ Juridicæ, ſive Opuſcula Juridica novem edita partim nunc & olim, vel edenda per Vincentium Placcium Hamburgenſem.

Holmiæ & Hamburgi apud G. Liebzeit, 1693. in 8. plag. 79.

Miran-

MIrantur non immerito plures, cum omnes disciplinæ & scientiæ indies fastigio suo propius admoveantur, quid Jurisprudentiam Civilem hucusque depressam teneat, ut ab iis, quos superiori seculo assecuta jam erat, gradibus nonnihil iterum descendere videatur. Cujus duæ præ aliis, (longe enim plures supersunt) causæ eminent, neglectus tum antiquitatis Romanæ & Germanicæ, tum artis interpretandi. Posteriori defectui laudatissimo proposito obviam ire instituit consultissimus Placcius in *JCto* suo, quem ante triginta, & quod excurrit, annos, tecto sub *Nomici Pacemuti Analyticophili* anagrammate, nomine suo publicatum, nunc pluribus exinde ejectis emendatiorem, plurimis adjectis auctiorem recudi curavit, *ut per notitiam ejus*, (verba sunt posterioris præfationis) *JCti a Legum peritis aut Legulejis, per usum optimum a cavillatoribus, calumniatoribus rabulisque secernantur, & conscientiæ Advocatorum & Judicum firmentur ac tranquillentur.* Opus in duodecim capita divisum, quorum primum prolixum est in sistenda definitione tum JCti, quem vocat eum, qui ex habitu leges qua leges interpretatur; tum perfectionis JCtorum, quam facit habitum, non saltem secundum leges vivendi, judicandi, postulandi, easve memoria tenendi, sed optime interpretandi. Cap. 2. accuratum præmittit catalogum eorum, qui de Interpretatione hactenus aliquid ediderunt, ubi p. 22. quatuor ponit requisita interpretis, ut (1.) naturali sua industria, per experientiam & exercitationem exculta, initium faciat eminentis in hoc genere prudentiæ; (2.) sensim recurrentibus sæpiuscule similibus interpretandi exemplis, universales magis regulas constituat; (3.) easdem rationibus atque causis probare annitatur, & ita demum (4.) ad disponendam ex bene subordinatis invicem universam scientiam progrediatur. Singulos gradus in cujusque ævi Theologis, Philosophis & JCtis determinat, atque inter hos, qui artem interpretandi hoc & superiori seculo professi fuerint, in quatuor classes distributos, ordine literarum elementario p. 29.-44. exhibet. In classe nimirum prima, qui ex professo de Juris Interpretatione omni; in secunda, qui de certis ejus speciebus; in tertia, qui de interpretatione specialium materiarum scripserunt; in quarta, qui incidenter & in diversi generis scriptis fundamenta interpretationis exposuerunt. Hinc p. 53. Interpretem legum definit: qui tollit vitia Juris sive legum, quatenus

tenus ſigna ſunt voluntatem latoris ſui indicantia, idque manentibus legibus. Unde plura excerpit poriſmata, potiſſimum : JCtum curare debere, ut leges eſſentiam & perfectionem ſuam retineant; unde in earum ſenſu vel probabili legislatoris intentione nihil immutandum; nullam ipſis imperfectionem affingendam eſſe, eamque indubio interpretationem præferendam, per quam lex maneat perfectiſſima, vel ſaltem maneat minus imperfecta; neque tentandam eſſe correctionem vitiorum, quæ ſine mutatione ipſius legis nequeunt emendari; alias vero tam diu continuandam interpretationem, donec omnis imperfectio, qua poteſt, tollatur. Hiſce fundamentis ſuperſtructa ſunt capita reliqua, in quorum tertio perfectiones juris & legum exponit, ibique n. 5. retractat aſſertionem, in qua Ariſtotelem hactenus & Feldenum ſecutus erat : Leges nunquam neceſſaria demonſtratione, ſed contingenti ſolum probabilitate niti. Cap. 4. ſeqq. tranſit ad ſpecies interpretationis, mentalem nempe a cauſis legum deſumtam, ejusque ſubſpecies, reſtrictivam & extenſivam; item methodicam, analyticam & caſualem. Cap. 7. oſtendit Jus non ſcriptum non admittere plures interpretationis ſpecies, quam extenſivam & reſtrictivam, quas eidem ſimul ſufficienter applicat. Cap. 8. enumerat Juris ſcripti perfectiones & imperfectiones, earumque partes, tam ex orationis quam ſcripturæ natura petitas. Cap. 9. ſeq. interpretationem Juris ſcripti criticam & mentalem, item antinomias earumque conciliationem, & ſyneſin tandem, tanquam habitum animi JCti proprium evolvit, & p. 392. Juris-Conſultum perfectum ex hactenus traditis deſcribit. Reliquos denique habitus JCto perfecto neceſſarios, eum tamen non conſtituentes, in cap. ult. exponit.

Hiſce adjecit opuſcula Juridica, Muſarum numero reſpondentia : I. Syntagma regularum interpretationis falſarum, potiſſimum JCtis antiquis uſitatarum, ſed ex traditis in JCto perfecto principiis refutatarum. II. Diſputationem ſuam inauguralem, lineas primas JCti perfecti continentem. III. Typum artis interpretandi Jura, tabulis perpetuis incluſum. IV. & V. Ideæ JCti Romano-Germanici & Hamburgenſis perfecti delineationes, in cujus poſterioris cap. 1. Jura Hamburgenſia ſingula, & cap. 3. eorum interpretes recenſet. VI. De favorabilibus & odioſis in Jure, contra Dn. Chriſtianum Thomaſium, quem ſpeciali diſſertatione objectionibus hiſce ſatisfacturum cogno-

Digitized by Google

cognovimus. VII. Conſilium de ſtudio Juris Civilis optime inſtituendo & ad praxin convertendo. IIX. Manuductionem ad ſtudium Juris Romano-Germanici privati. IX. Indicem libri brevi edendi in præfatione ejus recenſiti. In calce univerſi operis tandem libros a ſe editos & edendos enumerat.

ECLIPSIS SOLIS,

Anno 1693, d. 23 Jun. ſt. vet. Lipſiæ obſervata.

QUam pene imperceptibilem nobis pollicebantur calculi Aſtronomici Eclipſin Solis, cœlo favente, die dicto ſic ſatis notabilem deprehendimus. Solis altitudo (horologiis, urbico & oſcillatorio, indicibus) ante meridiem H. 10. 21. obſervata fuit 54°. 38'; a meridie H. 3. 20. vero 43°. 10'. Plures captare nubium frequentia inhibuit: e notatis autem phaſium tempora corrigi poſſunt.

Initium Eclipſis circa 25° a ſummitate marginis occidui Solaris H. 1. 15' notavimus. H. 1. 24' Eclipſis unum digitum (diametro Solis æqualiter diviſa) ſuperabat. H. 1. 30' deficiebat ſesquidigitus; 49° a limbo Solari reſectis. H. 2. 13' in eodem limbo 54° obſcurabantur; in diſco autem duo digiti & forte amplius. Ab hoc decrevit Eclipſis, ejusque finis contigit H. 2. 43', poſtquam H. 1. 32' duraviſſet. Veram ejus quantitatem, digitis æqualibus ad inæquales ope micrometri debite reductis, D. 1. 48' deduximus.

AMiſimus non ita pridem e Collectoribus horum Actorum & merito lugemus Virum diligentiſſimum M. *Chriſtianum Wagnerum*, ad D. Johannis hic loci, dum viveret, Paſtorem, Polyhiſtorem inſignem, & orientalium æque ac occidentalium linguarum haud vulgariter peritum, qui V. Cal. Aug. in flore ætatis, cujus annum trigeſimum primum agebat, extinctus eſt, cum paucis antea diebus *Lucernæ Lapidariæ*, a Joſepho Malateſta Garuffio editæ recenſum, huic ipſi menſi pag. 346 inſertum, nobis exhibuiſſet. Occupatus ab aliquo tempore fuerat, tum in concinnanda Arſacidarum ſeu Par-

Parthorum Regum Hiſtoria, quam ex antiquitate eruere & numiſmatibus illuſtrare conſtituerat, tum in adornanda editione Scriptoris cujusdam Græci Rerum Byzantinarum, nunquam hactenus in lucem publicam producti, quem in Bibliotheca noſtra Paulina ſervamus. Quæ opera affecta num aliquando proditura ſint, futurusque alius, qui ſchedis beati viri inſtructus perficiendis iis manum admoveat, dies docebit. Adhuc enim certi nihil polliceri de iis Erudito Orbi poſſumus, qui, ſi vitam doctiſſimo viro Numen Divinum propagaſſet, præclara quæque polliceri de eo ſibi potuiſſet.

LIBRI NOVI.

Veterum Mathematicorum, Athenæi, Bitonis, Appollodori, Heronis, Philonis, & aliorum Opera, Græce & Latine plerumque nunc primum edita. Pariſiis e typographia regia, 1693. in fol.

Deſcription des Plantes de l' Amerique, avec leurs figures au naturel. Par le P. Charles Plumier Religieux Minime. A Paris, de l' Imprimerie Royale, 1693. fol.

Recueil d' Obſervations faites en pluſieurs voyages par ordre de Sa Majeſté, pour perfectionner l' Aſtronomie & la Geographie. Par Meſſ. de l' Academie Royale des ſciences. A Paris, de l' imprimerie Royale, 1693. fol.

Divers Ouvrages de Mathematique & de Phyſique. Par Meſſieurs de l' Academie Royale des ſciences. A Paris, de l' imprimerie Royale, 1693. fol.

Homericus Achilles, Caroli Drelincurtii penicillo delineatus, per convicia & laudes. Lugd. Bat. 1693. in 4.

La Science des Medailles, pour l' inſtruction de ceux, qui s' appliquent à la connoiſſance des Medailles antiques & modernes. A Paris, 1693. in 12.

Hiſtoire de l' Edit de Nantes, contenant les choſes les plus remarquables, qui ſe ſont paſſées en France avant & apres ſa publication, a l' occaſion de la diverſité des Religions. A Delft, 1693. in 4.

Parallele des Anciens & des Modernes, en ce qui regarde les Arts & les Sciences. Nouvelle edition, augmentée de quelques Dialogues. Par Mr. Perrault de l' Academie Françoiſe. A Paris 1693, in 12.

Hiſtoire d' Henri II. & François II. par Mr. Varillas. A la Haye, 1693. in 12.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Septembris, Anno M DC XCIII.

G. G. L. SUPPLEMENTUM GEOMETRIÆ Dimenſoriæ, ſeu generaliſſima omnium Tetragoniſmorum effectio per motum: Similiterque multiplex conſtructio lineæ ex data tangentium conditione.

DImenſiones linearum, ſuperficierum & ſolidorum plerumque, ut & inventiones centrorum gravitatis, reducuntur ad tetragoniſmos figurarum planarum; & hinc naſcitur *Geometria Dimenſoria*, toto ut ſic dicam genere diverſa a *Determinatrice*, quam rectarum tantum magnitudines ingrediuntur, atque hinc quæſita puncta ex punctis datis determinantur. Et Geometria quidem determinatrix reduci poteſt regulariter ad æquationes Algebraicas, in quibus ſcilicet incognita ad certum aſſurgit gradum. Sed dimenſoria ſua natura ab Algebra, non pendet; etſi aliquando eveniat (in caſu ſcilicet quadraturarum ordinariarum) ut ad Algebraicas quantitates revocetur; uti Geometria determinatrix ab Arithmetica non pendet; etſi aliquando eveniat (in caſu ſcilicet commenſurabilitatis) ut ad numeros ſeu rationales quantitates revocetur. Unde *triplices* habemus *quantitates: rationales, Algebraicas, & tranſcendentes.* Eſt autem *fons irrationalium* Algebraicarum, *ambiguitas* problematis ſeu *multiplicitas*; neque enim poſſibile foret, plures valores eidem problemati ſatisfacientes eodem calculo exprimere, niſi per quantitates radicales; eæ vero non niſi in caſibus ſpecialibus ad rationalitates revocari poſſunt. Sed *fons tranſcendentium* quantitatum eſt *infinitudo.* Ita ut *Geometria tranſcendentium* (cujus pars dimenſoria eſt) reſpondens *Analyſis*, ſit ipſiſſima *ſcientia infiniti.* Porro quemadmodum ad conſtruendas quantitates Algebraicas, certi adhibentur

motus, in quibus aut non interſunt curvæ materiales, ſed tantum regulæ rectilineæ, aut ſi curvæ rigidæ interveniunt, non tamen niſi ratione occurſuum ſeu interſectionum uſurpari debent: Ita ad conſtruendas quantitates Tranſcendentes hactenus adhibita eſt applicatio, ſeu admenſuratio curvarum ad rectas, uti fit in deſcriptione cycloeidis, aut evolutione fili vel folii lineæ vel ſuperficiei circumligati. Quin &, ſi quis ſpiralem *Archimedis*, aut Quadratricem *veterum* Geometrice (hoc eſt motu continuo exacto) deſcribere velit, hoc facile præſtabit quadam rectæ ad curvam admenſuratione, ut motus rectus circulari attemperetur. Minime igitur hæc excludo ex Geometria, etſi id fecerit *Carteſius*: cum lineæ ſic deſcriptæ & exactæ ſint, & utiliſſimas habeant proprietates, & tranſcendentibus quantitatibus ſint accommodatæ. Sunt tamen & aliæ conſtruendi rationes, quæ aliquid Phyſici videntur habere admiſtum: ut ſi quis problemata Geometriæ determinatricis conſtrueret per radios lucis (quod ſæpe cum fructu fieri poſſet) aut quemadmodum nos aream Hyperbolæ quadravimus, vel logarithmos conſtruximus, motu compoſito ex æquabili & per frictionem uniformem retardato; vel ope chordæ ſive catenæ ponderе præditæ, lineam catenariam vel funicularem (la chainette) conſtituentis. Et quidem ſi exacta ſit conſtruendi ratio, recipitur in Geometriæ theoriam; ſi facilis ſit utilisque, poteſt recipi in praxin. Nam & motus ſecundum certas hypotheſes factus Geometricæ eſt tractationis, exemplo Centri gravitatis. Eſt autem novum quoddam motus genus, quem nos opinor primi ad conſtructiones Geometricas adhibuimus, occaſione mox dicenda; Cum præ cæteris videatur referri poſſe ad puram Geometriam, affinisque ſit deſcriptioni linearum per fila ex umbilicis ſive focis; quandoquidem in eo nihil aliud requiritur, quam ut punctum, lineam in plano deſcribens, ad unam extremitatem fili, in eodem plano (vel æquivalente) poſiti, alligatum, moveatur altera extremitate fili mota, ſed nonniſi per tractionem, non vero per impulſum in transverſum, qui nec a filo ob flexibilitatem debet expectari: trahatur autem in ipſius fili tenſi ſeu trahentis directione; quod per ſe evenit, ſi nullum in itinere occurrat impedimentum. Quoniam tamen filum materiale, cum nunquam habeat ſummam flexibilitatem quam Geometria ſupponit, facile ſtylum ſeu punctum deſcribens, (quippe in plano libere poſitum,) nonnihil in transverſum

agere

Digitized by Google

TAB. V.
Fig. 1.

Digitized by Google



Fig: 1

agere poſſet, ita ut motus ſtyli non eſſet nuda tractio; ideo impedimento materiali commode occurritur remedio materiali, ut ſcilicet cauſa ſit, quæ punctum deſcribens nonnihil faciat vel apprimi vel adhærere loco plani cui ineſt; qualis cauſa eſſe poteſt pondus puncto deſcribenti incumbens, ſeu conjunctum, quo ipſum hoc punctum apprimetur plano horizontali, in quo moveri lineamque deſcribere debet. Ita ſi reſiſtentia incumbentis, qua fit ut non facillime loco moveatur, prævaleat omnino exiguæ illi reſiduæ in filo rigiditati, potius cedet filum atque intendetur; atque ita aget tractione, non impulſu, quod unum hoc loco requiritur reſpectu puncti deſcribentis. Hinc autem fit, ut talis motus mire ſit accommodatus ad Geometriam tranſcendentem, quia immediate refertur ad lineæ tangentes vel directiones, adeoque ad quantitates elementares, numero quidem infinitas, magnitudine autem inaſſignabiles ſeu infinite parvas.

Hujus autem Conſtructionis excogitandæ, talis mihi olim occaſio Lutetiæ præbita eſt. *Claudius Perraltus* Medicus Pariſinus inſignis, tum & Mechanicis atque Architectonicis ſtudiis egregius, & *Vitruvii* editione notus, idemque in Regia ſcientiarum Societate Gallica, dum viveret, non poſtremus, mihi & aliis ante me multis propoſuit hoc problema, cujus nondum ſibi occurriſſe ſolutionem ingenue fatebatur: invenire lineam B B (*fig. 1*) quam pondus, fili vel catenulæ A B extremitati B annexum, puncto B vel æquivalente deſcribat in plano horizontali; dum alteram fili A B extremitatem A, ducendo per rectam immotam A A, eo ipſo pondus B trahimus per dictum planum horizontale; in quod, vel æquivalens, etiam recta A A, & durante motu filum, A B, cadunt. Utebatur autem (intelligentiæ cauſa) horologio portatili ſuæ thecæ argenteæ incluſo B, quod catenulæ A B ad thecam alligatæ principio A, ſecundum regulam A A ducto, per tabulam trahebat. Ita imum thecæ punctum (quod in fundi medio eſt) in tabula deſcribebat lineam B B. Hanc lineam ego attentius conſiderans (cum tunc maxime in tangentium contemplatione verſarer) ſtatim animadverti, quod res eſt, filum perpetuo lineam tangere, ſeu rectam ut 3 A 3 B eſſe tangentem lineæ B B in puncto 3 B. Quod & ſic demonſtratur: Centro 3 B & filo 3 A 3 B tanquam radio, deſcribatur arcus Circuli utcunque parvus 3 A. F, inde filum 3 B. F, apprehenſum in F, directe ſeu per ſua propria veſtigia trahatur usque ad A; ita ut ex 3 B. F. transferatur in 4 B 4 A; itaque ſi po-

TAB. V. Fig. 1.

ſi ponatur ſimiliter fuiſſe proceſſum ad puncta 1 B, 2 B, ut ad punctum 3 A, utique punctum B deſcripſiſſet polygonum 1 B 2 B 3 B &c. cujus latera ſemper incident in filum, unde imminuto indefinite arcu, qualis erat 3 A F, ac tandem evaneſcente, quod fit in motu tractionis continuæ, qualis eſt noſtræ deſcriptionis, ubi continua, ſed ſemper *inaſſignabilis* fit circumactio fili, manifeſtum eſt polygonum abire in curvam cujus tangens eſt filum. Itaque videbam rem redire ad hoc problema converſæ tangentium: invenire lineam B B ejus naturæ, ut A B portio tangentis inter axem A A & curvam B B intercepta ſit conſtanti datæ æqualis. Nec difficile mihi fuit deprehendere, hujus lineæ deſcriptionem ad quadraturam Hyperbolæ revocari poſſe. Nimirum Centro C, vel A (ubi filum 1 A 1 B ſimul eſt ordinata & tangens curvæ) radio vero A B, deſcribatur Circulus 1 B. F G, axi A E occurrens in G, & huic axi parallela ſit 1 B. K; cui ex C ducta C F occurrat in K, erit 1 B. K tangens arcus circularis 1 B. F. Jam per F ducatur F L B, parallela axi A E, occurrens ipſi 1 A 1 B in L, & curvæ B B in B, in qua producta ſumatur L H æqualis ipſi 1 B. K, idemque ubique faciendo, prodibit linea tangentium 1 B. H H, & rectangulum 1 B. 1 A. E reperietur æquari figuræ tangentium ſeu areæ trilineæ 1 B. L H. 1 B; verbi gratia 1 B 1 A in 1 A 3 E producet æquale trilineo 1 B. 3 L. 3 H. 1 B. Cum igitur figuræ tangentium area exhiberi poſſit per quadraturam Hyperbolæ vel Logarithmos, ut notum eſt, patet ejus ope etiam haberi 1 A 3 E, ſeu 3 L 3 B, adeoque punctum curvæ ut 3 B. Viciſſim hinc data deſcriptione lineæ B B quadratura hyperbolæ vel Logarithmi conſtruentur. Quibus ulterius explicandis non immoror, cum præſertim arbitrer idem optime præſtitiſſe *Chriſtianum Hugenium*, Virum celeberrimum, qui mihi non ita pridem per literas ſignificaverat incidiſſe ſibi ſingularem Hyperbolæ quadrandæ rationem; quam etiam in Hiſtoria operum eruditorum publicatam nuperrime, & hanc ipſam eſſe colligo ex iis quæ nuper a præſtantiſſimis fratribus *Bernoulliis* data habentur in *Actis Eruditorum*, ubi *Hugenianorum* iſtorum occaſione, motum ſimilem apparet pulchre transferri ad deſcribendam lineam, ubi portio tangentis intercepta inter curvam & axem, eſt ad portionem axis inter punctum fixum, & occurſum tangentis, ſeu A B, ad C A (*in fig. 1*) ut recta conſtans ad aliam rectam conſtantem. Quæ me quoque veterum in hoc genere meorum tandem edendorum admonuere.

Pro-

Digitized by Google

Pronum ſcilicet ſtatim fuerat intelligere,percepta ſemel relatione motus ad tangentes,innumeras alias lineas,non ita facile ad Quadraturam revocabiles hac eadem arte conſtrui poſſe. Nam etſi AA non recta eſſet ſed curva,non ideo minus filum ipſam BB tangeret. Quin amplius, etſi filum AB inter trahendum ereſceret aut decreſceret,non ideo minus tangens maneret. Itaque ſi data utcunque eſſet relatio inter C A & A B (verbi gratia ut A B exiſtentibus ſinubus,eſſent CA tangentes ejusdem anguli) variis machinationibus moderari motum fili liceret, ut data lege inter contrahendum promoveretur. Infinitæ etiam lineæ eidem problemati ſatisfacientes,hac conſtruendi ratione duci poſſunt,quælibet per punctum ſi lubet datum. Quodſi punctum deſcribens a pluribus filis ſimul trahatur, compoſita directio poterit adhiberi. Sed etſi unum tantum ſit filum,poterit ejus longitudo variari, ipſi ponderi B annexa exiſtente rota vel figura, per modum deſcribendæ cycloeidis in plano voluta. Recta etiam rigida ad filum ſemper normalis,vel datum aut certa lege variabilem angulum habens,cum B ferri poteſt,in quo etiam intelligi poteſt moveri punctum deſcribens aliud. Poſſunt etiam duo pondera plano innitentia ſimul trahi,ſive eandem ſemper diſtantiam ſervantia, ſive etiam durante motu eam variantia.Poſſunt etiam duo plana intelligi, unum in quo movebitur punctum CB,eique firmiter innitetur, alterum in quo ſtylus ex B egrediens leviſſimo attactu (nihil adeo motum ipſius B turbaturo) deſcribat lineam novam, & hoc planum ſuum habeat motum proprium,eritque lineæ novæ tangens ipſa recta, deſignans directionem motus compoſiti ex motu ſtyli in plano immoto, & motu plani alterius. Unde rurſus tangentium lineæ novæ ſic deſcriptæ determinabuntur proprietates.Itaque cum hoc motuum genus latisſime diffundatur, & innumeras applicationes recipiat,multa olim chartæ folia meditando in eam rem implevi,ac de cautionibus etiam practicis cogitavi,præſertim quia uſum tam inſignem ad Tangentium Converſam,& imprimis ad Tetragoniſmos videbam. Cum ergo *conſtructionem* repererim, generaliter ſeſe extendentem ad omnes quadraturas,qua neſcio an alia amplior inde a nata Geometria excogitata ſit,eam publicare tandem conſtitui. Tametſi enim iſta hactenus in juſti operis integræque velut ſcientiæ materiam ſervaverim,tam multa tamen alia, alteriusve generis ſubnaſcuntur,ut veteribus quacunque

Digitized by Google

occaſione defungi tandem præſtet, ne intercidant, & ſatis diu iſta, ultra Horatiani limitis duplum preſſa, Lucinam expectarunt.

Oſtendam autem *problema generale Quadraturarum reduci ad inventionem lineæ datam habentis legem declivitatum*, ſive in qua latera Trianguli characteriſtici aſſignabilis datam inter ſe habeant relationem, deinde oſtendam hanc lineam per motum a nobis excogitatum deſcribi poſſe. Nimirum in omni curva C (C) (*figur. 2*) intelligo *triangulum characteriſticum* duplex: aſſignabile TBC, & inaſſignabile GLC, ſimilia inter ſe. Et quidem *inaſſignabile* comprehenditur ipſis GL, LC, elementis coordinatarum CB, CF, tanquam cruribus, & GC, elemento arcus, tanquam baſi ſeu hypotenuſa. Sed *aſſignabile* TBC comprehenditur inter axem, ordinatam, & tangentem, exprimitque adeo angulum, quem directio curvæ (ſeu ejus tangens) ad axem vel baſin facit, hoc eſt curvæ declivitatem in propoſito puncto C. Sit jam zona quadranda F (H) comprehenſa inter curvam H (H), duas rectas parallelas FH & (F) (H) & axem F (F) in hoc Axe ſumto puncto fixo A, per A ducatur ad AF normalis AB tanquam axis conjugatus, & in quavis HF (producta prout opus) ſumatur punctum C: ſeu fiat linea nova C (C) cujus hæc ſit natura, ut ex puncto C ducta ad axem conjugatum AB (ſi opus productum) tam ordinata conjugata CB, (æquali AF) quam tangente CT, ſit portio hujus axis inter eas comprehenſa TB, ad BC, ut HF ad conſtantem *a*, ſeu *a* in BT æquetur rectangulo AFH (circumſcripto circa trilineum AFHA). His poſitis ajo rectangulum ſub *a* & ſub E (C) [diſcrimine inter FC & (F) (C) ordinatas curvæ] æquari zonæ F (H); adeoque ſi linea H (H) producta incidat in A, trilineum AFHA figuræ quadrandæ, æquari rectangulo ſub *a* conſtante, & FC ordinata figuræ quadratricis. Rem noſter calculus ſtatim oſtendit, ſit enim AF y; & FH, z; & BT, t; & FC, x; erit $t \sqsupseteq z\,y : a$, ex hypotheſi: rurſus $t \sqsupseteq y\,dx : dy$ ex natura tangentium noſtro calculo expreſſa. Ergo $a\,dx \sqsupseteq z\,dy$, adeoque $ax \sqsupseteq \int z\,dy \sqsupseteq$ AFHA. Linea igitur C (C) eſt *quadratrix* reſpectu lineæ H (H), cum ipſius C (C) ordinata FC, ducta in *a* conſtantem, faciat rectangulum æquale areæ ſeu ſummæ ordinatarum ipſius H (H) ad abſciſſas debitas AF applicatarum. Hinc cum BT ſit ad AF ut FH ad *a* (ex hypotheſi) deturque relatio ipſius FH ad AF (naturam exhibens figuræ quadrandæ) dabitur ergo & relatio BT

TAB. V. Fig. 2.

ad

ad FH, ſeu ad BC, adeoque & relatio BT ad TC, id eſt relatio inter latera trianguli TBC. Itaque ad omnes quadraturas, adeoque & ad dimenſiones efficiendas tantum opus data relatione laterum trianguli characteriſtici aſſignabilis TBC, ſeu data lege declivitatum curvæ, poſſe deſcribere curvam C(C) quam oſtenſum eſt eſſe quadratricem.

Hæc deſcriptio ita fiet: In *figur. 3*, ſit angulus rectus TAH immotus & in plano horizontali poſitus; in cujus crure AT procedat cylinder cavus verticalis TF, infra dictum planum horizontale prominens, in quo ſit ſurſum deorſumque mobilis cylinder ſolidus FE, in ſummitate F alligatum habens filum FTC, ita ut pars FT ſit intra cylindrum cavum, pars TC in dicto plano horizontali. Porro ad fili TC extremitatem C ſit punctum pondere ſibi incumbente eidem plano innitens, atque in eo deſcribens lineam C(C) initium autem motus erit in cylindro cavo TG, qui dum ducitur per AT recedens ab A, attrahet C. Punctum vero deſcribens ſeu ſtylus C ante ſe protrudat HR, regulam, in eodem plano horizontaliter ad AH (alterum crus anguli recti immobilis TAH) incedentem, verſus A; quæ protruſio non impedit quo minus protrudens punctum C ſola tractione fili moveatur, adeoque ejus directionem in motu ſervet. Sit vero & tabula quædam RLM, eodem ſui puncto R normaliter incedens ad regulam HR, cæterum propulſa continue a cylindro cavo, ita ut ATHR ſit rectanguum. Denique in hac tabula fit deſcripta, (per laminam extantem, ſi placet,) linea rigida EE, quam cylinder ſolidus FE, inciſura, quam in extremitate E habere intelligitur, ſemper mordeat; ita prout R accedet ad T, cylinder FE deſcendet. Cum igitur quantitas ET + TC ſit data (nempe compoſita ex cylindro ſolido EF, & toto filo FTC) ſitque data relatio inter TC & TR vel BC (ex lege declivitatum curvæ data) habebitur & relatio inter ET & TR, ordinatam & abſciſſam curvæ EE, cujus proinde natura & deſcriptio haberi poteſt in Tabula LRM per geometriam ordinariam: habetur ergo etiam deſcriptio lineæ C(C) per machinationem præſentem. Eſt autem TC ſemper tangens curvæ C(C) ex natura noſtri motus, itaque deſcripta eſt linea C(C) ubi lex declivitatum, ſeu relatio laterum trianguli Characteriſtici aſſignabilis, TRC, vel TBC, eſt data. Quæ linea cum ſit quadratrix figuræ datæ quadrandæ, ut paulo ante oſtenſum eſt, habebitur quadratura vel dimenſio quæſita. Q. E. F. TAB. V. Fig. 3.

Simi-

Digitized by Google

Similia variis modis ad converſæ tangentium methodi problemata accommodari poſſunt, veluti ſi punctum T fuiſſet motum in curva TT (loco rectæ AT) etiam HC coordinata (ſeu abſciſſa AB) calculum fuiſſet ingreſſa. Et ſane omne problema converſæ tangentium reduci poteſt ad relationem inter tres rectas, nempe duas coordinatas CB, CH, & tangentem CT; aut alias functiones harum loco. Sed ſæpe res multo ſimpliciore motu confici poteſt. Veluti ſi data fuiſſet relatio inter AT & TC (quod eſt circulis lineam ad angulos rectos ſecantibus, ordinatim poſitione datis, invenire lineam C(C) ſuffeciſſet minor apparatus. Ceſſantibus enim iis quæ incedunt in H & R, ſatis erit EE lineam rigidam directricem deſcribere in plano verticali immobili tranſeunte per AT. Ita promoto in recta immota AT, puncto TC, ſeu cylindro cavo TG, deſcendenteque cylindro ſolido TE, prout jubet linea data directrix EE, quam cylinder mordet; utique ob ſummam ET + TF conſtantem (ut ante) & relationem inter AT, & TC datam, facile invenietur relatio debita inter AT & TC, ſeu natura lineæ EE, cujus ope deſcripta linea C(C) erit quæſita.

A CONFUTATION OF ATHEISM &c.

i. e.

Refutatio Atheiſmi, aliquot orationibus ſacris,

ex inſtituto Nobiliſſimi Dn. Roberti Boyle, publice propoſita a Richardo Bentley.

Londini apud Th. Parckhurſt & H. Mortlock.

A. 1692. in 4.

QUi totos ſe ad inveſtigationem naturæ conferunt, ita paulatim animos a divinarum rerum contemplatione abducere vulgo putantur, ut parum religioſe de Deo ſentiant. Quæ opinio quanto cum errore ſit conjuncta, vel unus docet Illuſtris *Boyleus*, ſpeculator venatorque naturæ aſſiduus, cujus non ſolum pietas in Deum, dum vixit, tanta fuit, ut aliis eſſet documentum, ſed maxime quoque eluxit, cum ille morti proximus teſtamentum conſignaret. Decrevit enim anniverſarium ſalarium docto cuidam pioque viro a teſtamenti ſui curatoribus ſolvendum, qui quotannis orationes octo ſacras ad populum recitaret, in quibus, omiſſis illis omnibus, de quibus inter ſe diſce-

diſceptant Chriſtiani, contra Infideles, Atheos puta, Deiſtas, Paganos, Judæos & Muhamedanos, religionem Chriſtianam defenderet, qui ſocietates, quibus fidem Chriſtianam propagandi datur occaſio, ad illud ſtudium incenderet, quique paratus eſſet ſcrupulos eximere, ſi qui forte in hominum animis reſideant, & diluere, quæ vel de novo objiciuntur, vel non ſatis diſſoluta jactantur. Ea vero provincia cum clariſſimo viro *Richardo Bentlejo* demandata fuiſſet, laudabili ille propoſito Atheos primum ac Deiſtas confutare conſtituit, qui ex animis hominum radicitus evellere conantur religionem. Hos enim ab illis non ſejungit, quippe cum, non ſecus atque olim Epicurus, invidiæ publicæ evitandæ gratia, verbis quidem relinquant Deum, re autem ipſa tollant, dum Dei nomine non Mentem infinita ſapientia & bonitate præditam, ſed brutam inanimatamque materiam, naturam univerſalem, & animam mundi ſenſus cogitationisque expertem intelligunt. Fecit autem id & ſubtiliter & enucleate aliquot in concionibus, quarum quinque priores ad nos ſunt delatæ, in quibus, occaſione ſumta ex Pſalm. XVIII. v. 1. & Act. XVII. v. 27. (quæ commata luculenta explicatione illuſtrantur,) Athei proprio jugulantur gladio, argumentisque ex ratione petitis ſententia illorum proſternitur & obteritur.

In *prima* ergo *Oratione* ſtultitiæ arguit Atheos cum Rege Pſalte ex eo vel maxime, quod, cum a teneris ea fuerint imbuti religione, quæ a Deo optimo maximo nos conditos, animoque immortali & ſpirituali donatos docet, nosque in ſpem vitæ æternis affluentis gaudiis erigit, illi nulla ducti vel utilitate, vel neceſſitate moti, ſententiæ paſſim receptæ mittant repudium, ſibique alia omnia perſuadeant: Nullum ſcil. fuiſſe architectum hujus mundi, nec a rectore & moderatore ſapientiſſime illum gubernari; nihil eſſe hoc univerſum niſi materiam ſenſu carentem, & fato fortunaque varie impulſam; primos homines fungorum inſtar e terra natos, totumque illud, quod mentem dicimus humanam, nihil eſſe niſi agitationem & afflictum ſubtilis cujusdam materiæ, nihilque adeo manes eſſe, ſed letum finire omnia.

Quum enim Religio, quæ Dei cultu pio continetur, nulla nobis præſcribat dogmata rationi noſtræ repugnantia, & incommoda quoque hujus vitæ multorum commodorum compenſatione leniat, ſummæ utique eſt amentiæ deſerere illam, & ea cum gaudio complecti

Digitized by Google

opinionum monſtra, quæ dum in brutorum animantium ſortem nos detrudunt, omnemque futuræ vitæ ſpem eripiunt, non poſſunt non terrore implere ſanæ mentis homines; dumque jusjurandum, ſanctiſſimum illud ſocietatis omnis vinculum, ſolvunt, diſſipant cives reipublicæ communione junctos, omnemque vitæ tranquillitatem ipſis eripiunt.

Porro cum gentium Apoſtolus in concione, quam Athenis in Areopago habuit, docuerit Deum & quæri & inveniri poſſe, ſi in nos ipſos quaſi deſcendamus, & naturam, vitam, motumque noſtrum conſideremus, latius explicat hoc argumentum Cl. Auctor ab animæ ſpiritualitate, nec non fabrica & origine corporis humani, depromtum. Quod ſi enim in nobis animus eſt rationis compos idemque materiæ expers & immortalis, ab Ente ſpirituali, æterno ſapientiſſimoque procreatus ut ſit neceſſe eſt: ſique ex corpuſculorum concurſione fortuita, corpora primorum hominum coaleſcere non potuerunt, nec ab æterno extiterunt, nihil certe tam apertum eſſe poteſt tamque perſpicuum, quam Mentis infinitæ vi ac ratione fabricatam corporis humani machinam, in qua omnia non modo ad uſum apta ſunt, verum etiam ad venuſtatem.

Eſſe autem in nobis ſubſtantiam a corpore noſtro diſtinctam, & ſegregatam ab omni concretione materiali, quam ſpiritum & mentem vocare ſolemus, ex eo Auctor probat *in Ontione II*, quod cum in nobis ſit aliquid, quo percipimus, cogitamus & volumus, hæc ſentiendi & cogitandi vis materiæ tribui nullo modo poſſit. Quoniam enim materiæ natura in extenſione diviſibili paſſiva & impenetrabili conſiſtit, hoc principium tanquam exploratum, & ab ipſis Atheis conceſſum, aſſumit ad confirmandum (1) in materia non reſidere ſentiendi & percipiendi facultatem, (2) neque particulas materiæ varie affectas, veluti cerebrum & ſpiritus animales, illa vi pollere, (3) nec motum in genere ſuperadditum materiæ, aut (4) certo determinatum modo, qualis eſt ſpirituum animalium per nervos & muſculos, (5) multo minus occurſum & colliſionem ſpirituum animalium, gignere poſſe ſenſum & perceptionem. Tandem oſtendit, nequaquam labefactari poſſe hanc ſententiam objectione, quæ bruta animantia ſenſu pollere, nec tamen præter materiam quidquam eſſe aſſerit; quippe cum evictum nondum ſit, brutorum motus externos cum interna perceptione eſſe con-

conjunctos, ac, si id quoque demus, non absurde dici possit, sensationem illam fieri ab immateriali substantia, de cujus duratione aut reliquo statu, cum a liberrima Dei voluntate dependeat, nihil certi affirmare liceat.

Jam quod ad fabricam corporis nostri attinet, omnia membra ejus tam mirifice ad usus necessarios & facta & collocata sunt, ut, licet ex parentibus suis jam procreentur homines, necesse sit primos a Mente sapientissima conditos fuisse, quæ corpus hominis ad vitam, sensum motumque aptissimum formarit. Nam quæ ab Atheis contra hoc argumentum afferuntur, tota esse commentitia plenaque stultissimæ futilitatis, erudite ostendit Cl. Auctor in *Oratione III, IV & V*. Frustra scilicet objiciunt, machinam corporis nostri undique absolutam & perfectam tantoq; artifice dignam non esse, cum sensus nostri exiguo definiantur numero, nec satis acres sint, sitque infinita pene morborum vis, qui fabricam ejus labefactent & destruant. Nam nec pluribus egemus sensibus rerum externarum interpretibus ac nunciis, & si illos acerrimos nobis seminator & sator rerum omniū dedisset, nequaquam statui & conditioni nostræ forent apti (ut egregie confirmatur in *Oratione tertia*,) morbi autem vitio parentum primorum in nos fuerunt derivati. Quodsi autem negare pergunt Athei, Mentem æternam nostra finxisse corpora, aliam originem eorum haud absurdam cur nobis non produnt? Quod enim nonnulli dicunt, ab æterno generationes hominum sibi invicem successisse, id nugatoriū est, cum, demonstrante id Bentlejo, contradictionem involvat, in duratione successiva infinitas jam successiones præteriisse, contrariumque possit probari tum ex eo, quod genus humanum gradatim augetur & cumulatur, tum ex origine rerumpublicarum, artiumque & scientiarum inventione sensim & pedetentim quasi progrediente, quæ omnia cum infinito illo tempore jam exacto conciliari nullo modo possunt. Sunt ergo ex Atheis, qui ad sidera confugiunt, & ex illorum congressu homines ortos perhibent; quo quid dici potest obtusius? Nam quæ siderum vires regulis Chaldæorum comprehensas explicat disciplina, ex nugis consuta tota est; ac si vel maxime concedamus, quod illi suo quasi jure arripiunt, & cujus a multorum experientia seculorum certiores se factos gloriantur, insignes posse astra certa ratione disposita in tellure nostra effectus edere, quem sibi hoc daturum putant, homines virtute

ſiderum ex limo fuiſſe procreatos? cum ad experientiam provocare nullam poſſint,nec principio generis humani exſtiterit, qui thema cœli ad illud temporis momentum conſignaret.

Quoniam vero ex Atheorum grege nonnulli productionem naturæ,vel potius materiæ ſecundum mechanicas motuum leges agitatæ, tribuere malunt, hanc quoque ſententiam excutit Cl. Auctor in *Oratione IV*,& præclare docet, quam multa peccet. Primum enim ſciſcitatur ex illis, cur homines non gignat hodie natura niſi ex parentum ſemine,cum ſenio fracta & effœta nequaquam ſit,ut illi oſcitantes hallucinantur,ſed eædem adhuc vigeant leges motus? Deinde ſubtiliter probat,cum ipſis hydroſtatices legibus, quæ exigunt,ut leviora ſumma,graviora ima petant,corporis humani,in quo caro ſpecie graviora oſſa complectitur,formationem in fluido factam conciliari non poſſe. Pergit idem & anguſtius illos urget,ut explicent,ſi tam præclarum opus nulla moderata fuit ratio,& unum membrum poſt aliud elaboratum fuit,unde tanta illorum, tamq; conſentiens,conſpirans & continuata cognatio? cur animalium diverſæ ſpeciei embryones,cum in principio æque ſint exiles, in diverſam magnitudinem aſſurgant,& unus in elephantis excreſcat molem,alter formicæ non poſſit excedere parvitatem? Quodſi enim gemina illis afferre velint,quæ in tractatu de formatione fœtus Carteſius tradidit,infinitis ſe difficultatibus implicare, & in nodos inexplicabiles incidere illos demonſtratur, ſimulque ex Redi, Malpighii, Levvenhoekiique doctiſſimis ſcriptis docetur, non dari ſpontaneum inſectorum ortum, in quo Athei ſuæ impietati quærunt præſidium.

In *quinta* denique *Oratione* propugnaculum illud dejicitur,quo ſe ultimo recipere ſolent Athei,dum ex fortuito congreſſu atomorum homines ortos temere effutiunt. Ac primum quidem Bentlejus admiratur illorum ſtupiditatem,qui non intelligunt caſum fortunamque inania eſſe nomina,ac proinde, ſi veras cauſas afferre velint,omnia tandem in mechaniſmum materiæ ab ipſis eſſe conferenda. Quod cum diffiteri non poſſint,cauſantur tamen cum Lucretio, qui vaferrimus habetur Epicuri ſomniorum interpres, cum hominibus & animantibus perfectis, infinita quoque alia diverſiſſimæ figuræ ex occurſu atomorum fuiſſe orta,ſed monſtroſa & ad gignendum procreandumque inepta; quo factum ut brevi exſtincta,ſola vero illa diuturna fuerint,

Digitized by Google

fuerint, quibus contigerant membra ad ſenſum, motum, ſobolisque procreationem apta: nec proinde ex eo, quod animalia gaudent membris ad illos uſus accommodatis, originem illorum ſapientiſſimo artifici eſſe tribuendam, quia non acceperint membra illa ut viverent ac perennarent, ſed ideo vitalia fuerint ſuique ſimile procrearint, quoniam forte fortuna talis ipſis fabrica obtigerat. Verum vana hæc eſſe, & a vera ratione remotiſſima, multis evincit argumentis Cl. Bentlejus. Quicquid enim tricentur, dum animalium perfectorum creationi monſtrorum ortum adjungunt, elabi tamen non poſſunt, ſed iisdem expoſiti manent telis, quibus productio animalium mechanica impugnatur. Præterea ſi infinitam olim varietatem animalium creavit natura, & per innumeros quaſi errores tentando effinxit hominem, ea præditum forma, quæ nobis eſt propria, cur nullibi comparent illa naturæ rudimenta? Fac enim periiſſe, quæ caruerunt partibus ad ſui conſervationem neceſſariis, illa tamen duraſſe oportet, quæ a nobis diverſa ſolum fuere in membris, quæ ad bene eſſe videntur conceſſa. Quidni ergo nobis occurrunt homines uno ſolum inſtructi oculo, aut unguibus carentes, vel Satyri & Sciapodes, & quicquid præterea monſtrorum in fabulis celebratur? Jam ſi liberaliter cum Atheis agere velimus & dare, poſſibile eſſe, ut homines ex particulis temere & caſu concurrentibus enati fuerint, num quoque ſumere illos decet, id revera factum fuiſſe? cum tot tamque manifeſta in corpore humano reperiantur documenta, quæ Mentis ſapientiſſimæ vi ac ratione deſignatam fuiſſe ejus deſcriptionem & modum arguat? Quotus enim eſt quiſque, qui ſi ex terra erui videat nummum Imperatoris ſignatum imagine, in tam ineptam incidat ſententiam, ut non artem adhibitam illi credat, ſed caſu ipſum illo in loco fuiſſe ortum, cum id non plane ſit impoſſibile? Porro, quia imitari quidquam non poteſt, niſi qui cum ratione agit, diſpoſitioque tot partium, quot humanum corpus conſtituunt, infinitas variationes admittit, ſimilitudo profecto quæ in utroque ſexu cum varietate membrorum, quæ procreationis cauſa data ſunt, conjuncta reperitur, caſui nullo modo eſt tribuenda, qui tantum valere nunquam poteſt, ut, ſi innumerabiles unius & viginti formæ literarum vel aureæ vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, ex his in terram excuſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, efficiantur. Sed hæc omnia fuſius perſequitur Cl. Auctor, oſtendens quam putidum

ſit illud Lucretii de uteris, in quibus geniti homines, ex terra natis commentum, cum, ſi vel maxime homines ita procreatos admittamus, illos ſtatim periiſſe neceſſe ſit, quoniam caruerunt nutrimento, & tenera corpora nec a frigore, nec a beluarum immanitate, defendere potuerunt.

PROBLEMATIS, A JOH. BERNOULLIO in hiſce Actis menſe Majo pag. 235 propoſiti, Solutio, a Dn. Marchione HOSPITALIO in literis ad Dn. Bernoullium d. 27. Junii exhibita.

Conferantur Acta Erud. menſis Jun. pag. 255.

Problema.

TAB. V. Fig. 4. CUrva CMM hanc habet proprietatem, ut quælibet tangentium MT ſit ſemper ad partem axis CT, interceptam inter verticem C & punctum occurſus T, in ratione data p ad q. Quæritur natura hujus curvæ CMM modusque eam deſcribendi.

Solutio.

Ductis normalibus indefinitis AB, DE, ſeſe ſecantibus in C, deſcribantur duæ hyperbolæ NFH & KOQ ad aſymtotos CB, CE & CD, CA, hanc habentes relationem, ut ductis quibusvis applicatis EF, AK, rectangulum CEF ſit ad rectangulum CAK, ut differentia linearum p & q ad ipſam q; abſcindatur $CB = p + q$, & ducta ad lubitum applicata GH, connexisque BE, BG, fiat ut quadratum BG ad quadratum BE, ita CA ad CL, & agatur LO parallela CD; denique ſumatur ſpatium hyperbolicum LPOQ, (eadem ex parte ſpatii ALOK reſpectu rectæ CD, ſi p major q; & ex parte oppoſita, ſi p minor q) æquale ſpatio hyperbolico EGFH, productaque QP fiat $PM = \frac{zzy + qqy - ppy}{zpz}$ (poſitis $CP = y$, $CG = z$) erit punctum M ad curvam quæſitam CMM.

Aliter. Conſtructis quæ prius, hoc cum diſcrimine, ut rectangulum CEF ſit ad rectangulum CAK in ſumma linearum p & q ad ipſam q, & CB ſit $= p - q$; ſumatur ſpatium hyperbolicum LPQO, æquale ſpatio EGFH, ex parte oppoſita ſpatii ALOK, reſpectu rectæ

ctæ CD; & producatur, ſi opus, QP in M, ita ut PM ſit $= \frac{z}{2pz}\sqrt{zy + qqy - ppy}$: erit punctum M itidem in curva quæſita CMM.

Ex duabus hiſce conſtructionibus ſequitur, curvam CMM fieri geometricam, exiſtente ratione p ad q ut numerus ad numerum; & æquationem generalem, quæ exprimit relationem inter CP & CG, eſſe $y = \frac{a^{\frac{2q+p}{q}} z^{\frac{p-q}{q}}}{\sqrt[q]{zz+p+qaa}^{2}}$ — aut $y = \frac{a^{\frac{2q-p}{q}} z^{\frac{p+q}{q}}}{\sqrt[q]{zz+p-qaa}^{2}}$ — (conſtans a denotat rectam pro lubitu aſſumtam) verum ope alterius æquationis, RM aut $x = \frac{zzy + qq - pp\sqrt{aay}}{2paz}$ litera incognita z tolli poteſt; & proinde nova habebitur æquatio quæ explicabit relationem inter x & y, id eſt, naturam curvæ quæſitæ CMM. Sit exemp. gr. p dupla ipſius q, invenietur $y = \frac{a^4}{\sqrt{z^3 + 9aaz}}$ — aut $y = \frac{z^3}{\sqrt{zz+aa}}$ — & $x = -\frac{4az}{\sqrt{zzy - 3aay}}$, ex quibus hæ duæ æquationes eliciuntur, $432y^4 + 432zxyy + 72axyy - 4ayy + 64ax^3 = 0$. & $16y^4 + 16xxyy - 72axyy - 27aayy - 64ax^3 = 0$, quarum utraque exprimit naturam cujusdam curvæ, cujus tangentes MT ſunt duplæ partium axis CT, inter verticem C occurſumque T interceptarum.

DANIELIS GEORGII MORHOFII Commentatio de Diſciplina Argutiarum.

Anno 1693. Conſtat plag. 9. in 12.

DIſciplinam de *dictione argutâ* tradiderunt varii. Neque nunc de iis dicemus, qui inter antiquos hoc ſunt emenſi ſpatium, quorum pauci ſunt admodum, & parcius ſolum hanc attingentes, ut *Hermogenes*, *Demetrius*, *Longinus*, & aliqua tantummodo ex parte *Ariſtoteles* noſtro

noſtro hoc imprimis ſeculo viri extiterunt doctiſſimi, qui totum hoc argumentum commentariis integris accurate perſecuti ſunt, quos inter principatum quendam tenere merito viſus eſt hucusque *Emanuel Theſaurus*, qui ex Italis ad hoc ſcribendi genus, veluti ſentiunt nonnulli, tantum non ad exceſſum propendentibus, & præceptis & exemplis delicatiſſimam artem hanc eximie illuſtravit; quem ſecuti inter noſtros quoque ſunt *Jacobus Maſenius* e Societate Jeſu, vir de ſingulis ſtudiorum humaniorum partibus haud tralatitie meritus, & clariſſimus *Chriſtianus Weiſius*, conſcripto eleganti volumine de *Argutis Inſcriptionibus*, ſeu quem titulum præferre voluit librum, *de Poeſi hodiernorum Politicorum*. Sed minime omnium tacendus eſt *Petrus Labbeus*, cujus admirandi acuminis *Elogia* de variis argumentis Gratianopoli edita, paucos ante annos hic Lipſiæ recuſa ſunt. Sunt præterea & multi alii, quorum *Weiſius* in libro a nobis allegato fuſius mentionem facit. Iſtam vero *Diſciplinam*, ſeculo noſtro tantopere allubeſcentem, celeberrimus *Morhofius* Auditoribus ſuis olim communicaverat, quam nunc prelo committere placuit, quisquis fuit, editori, ut pluribus prodeſſet, quod paucorum olim uſui deſtinatum fuit. Totum iſtud opuſculum, præmiſſa *præfatione*, in qua de exiſtentia hujus artis agitur, in *tres ſectiones* diſtributum eſt. Et *prima* quidem ſectio *de principiis argutæ dictionis* agit, ita quidem, ut tractetur primo de argutiarum nominibus, earumque fundamento, metaphora; deinde de propoſitionibus argutis; & denique de enthymematibus argutis. Sectio *ſecunda* agit *de ſubſidiis argutæ dictionis*, ita quidem ut diſtinctis capitibus tractetur de verſione arguta; de variatione arguta; de imitatione arguta; de impetu naturæ ac ingenii facilitate in inventione argutiarum; de locis dialecticis, eorumque in indagandis argutiis uſu; & denique de indice categorico. Sectio *tertia* in deducendis *variis argutiarum objectis* occupatur. Agit enim de epiſtola arguta; de dialogo arguto; de apophthegmatibus; de inſcriptionibus; de epigrammatibus & anagrammatibus; ac denique de emblematibus & ænigmatibus.

Cap. I.
II.
III.
Cap. I.
II. III.
IV.
V.
VI.
Cap. I.
II. III.
IV. V.
VI.

Totum hoc opuſculum, ut ſolent, quæ Morhofium agnoſcunt parentem, eruditione plane ſingulari egregiisque animadverſionibus, maxime oratoriis, eſt refertum; unde nos pauca, ut Lectori ſaltem præguſtus aliquis deſit, delibabimus.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 62. eleganter admodum loca Ariſtotelis *Lib. I. Rhet. cap. 11. §. 53.* item *III. Rhet. 18*, imprimis *in Poeticis cap. V, de ridiculis* explicat. Ridicula enim ſtatuit pro materia generaliſſima habere id, quod turpe eſt, idque tum phyſice, tum; quod addit Morhofius, in moribus. Phyſicam turpitudinem percurrere omnes categorias; moralem vero deformitatem ſub ſe habere pro materia ridicula cujuscunque generis vitium, majusque & vilius vitium magis ſemper pro materia ridiculi inſervire. Et iſtam quidem deformitatem eſſe ſimplicem, ſed aliam dari comparatam, quæ conſiſtat in diſproportione duorum objectorum, e.g. ſi nomen non quadret perſonæ, ut ſi nanum voces Atlantem; & quas plures ibidem hujus rei adducit ſpecies. Unde deformitatem moralem in vitiis conſiſtere ait, quæ pudorem incutiunt, non vero in illis rebus, quæ iram & vindictam merentur: ex primo nimirum oriri ridiculum; ex altero maledicentiam. Thema ridiculum ſæpe fieri poſſe ſatyricum; e contrario materiam ſatyricam & mordacem ridiculam eſſe, ſi non rideat, aut ſub forma alicujus joci proponatur. Concludit denique, formam ridiculi urbani in eo conſiſtere, ut quod ſatyricum eſt, non videatur tale; quod obſcænum, videatur modeſtius.

Pag. 106 memorabilis eſt *Index*, quem vocat, *Categoricus*, inveniendis argutiis egregium ſubſidium; cujus concinnandi conſilium primus dederit Emanuel Theſaurus. Cum enim acumina nihil ſint aliud, quam conceptus analogici, præclare nos dicit hac in parte juvari, ſi ob oculos ponatur rerum ſeries, e quarum vaſto numero, quæ nobis ſunt utilia, poſſimus eligere. Unde & Lullium communes quosdam prædicandi modos olim excogitaſſe, ſecundum quos conceptus noſtri dirigendi ſint, enatamque hinc eſſe *artem Lullianam & combinatoriam Kircheri.* Quæ omnia non exemplo tantum thematis a Martiale ſuppeditati de *ape in electro mortua* egregie illuſtrat; ſed & duo inſuper alia ſubminiſtrat exempla propria, unum thematis ſimplicis de gigante; alterum thematis compoſiti, in anum juveni nubentem: quæ ſingula acutiſſimo ſcribendi genere deducit.

Cæterum non poſſumus non monere hac occaſione, in eo nunc eſſe heredes Morhofianos, ut omnia beatiſſimi Viri opera, eo usque elaborata, ut luci publicæ ſiſti poſſint, imprimis vero *Polyhiſtorem*, cura Viri alicujus eruditi, munus hoc in ſe ſuſcepturi, quam primum fieri poterit, orbi erudito typis accurate exſcripta repræſentent.

JACOBI LE MORTII MED. DOCT. &c.

Idea Actionis Corporum, Motum inteſtinum, præſertim Fermentationem delineans.

Lugduni Batavorum, apud Fredericum Haaring. A. 1693. in 12.

Conſtat plagulis 8.

CUm ad operationes corporum explanandas exactiori eorum motusque theoria opus ſit, *Clariſſ. Autor* experientia & ratione prælucentibus ideam actionis corporum, ſpeciatim Fermentationis, eo evidentiorem hic atque diſtinctiorem videtur evolvere, quo magis ante omnia de corporibus in genere, de motu, de figura & mole corporum mixtorum, de diverſo demum corporum ſtatu eſt ſolicitus. Cap. I. Corporis nomine ſicuti quodvis extenſum, indefinita figura præditum, diviſibile in plures moles, motui & quieti obnoxium, indigitat; ita tria corpora in ſe immutabilia, quæ reliquis corporibus omnibus eorumq; figuris & actionibus ortum præbeant, omnibusq; aut plerisq; phænomenis enodandis ſufficiant, ſtatuminat, ſal puta, e punctis minimis rigidis, acutis & in aqua ſolubilibus coagmentatū; aquam oblongis, mollibus, obtuſis & flexibilibꝰ particulis inſtructam; atq; terram corpuſculis duris, ſolidis, in omnem dimenſionem valde extenſis & ad motum Cap. II. per ſe inertibus conſtantem. Artificioſam horū trium inter ſe concatenationem, texturam corporum efformantem, a motu, per quem effectum motus intelligit conſiſtens in viciniæ corporeæ continua mutatione, ita deducit, ut ſali in movendo primas deferendas, ipſumque ætherem pro ſpirituoſiſſimo hujus mundi ſale reputandum, ab aqua autem & terra modificationem velociſſimi motus ſalini expectandam Cap. III. eſſe intelligatur. In corporum vero mixtorum figuram, ſive ſuperficiei diverſimode combinatæ ſuisque terminis circumſcriptæ extenſionem inquirens, eam non minus atque molem terræ fert acceptam, quod hæc ſola cum particulas ſalinas, per ſe cohærere haud aptas, tum aqueas ab æthere ſalino jugiter agitatas, unire inque ordinem certum redigere valeat, neque chymicorum ſalium fixitatem & volatilitatem aliamve differentiam ac operationem diverſam aliunde quam e diverſo differentis terræ nexu reſultare adducta experimenta oſtendant. Cap. IV. Circa corporum denique ſtatum ſolidum & fluidum occupatus, ſoliditatem

tatem abſolute itidem a craſſioris terræ, pluribus & infinitis ſuperficieculis in longum deductis junctæ ac ætherem minus admittentis, certa diſpoſitione mechanica derivat; corpora quippe, etiam mechanica, tanto ſolidiora deprehendi, quanto majori & ſtrictiori ſuperficierum coalitione & acervo, externam ætheris injuriam æque arcente atque internum ſalium & aquarum motum coercente, gaudeant. Hinc vegetabilia quoque & animalia ope ſpirituum ardentium rectificatorum atque vernicum conſervari diutiſſime, in quantum pori eorum, humidioribus particulis aquoſis abſumptis, a durioribus corpuſculis terreis, oleoſis nempe aut reſinoſis, repleti fuerint ac conſtipati. Duplicis enim effectus hujus intuitu ſpiritum imprimis & vernicem balſamicos commendat: quorum illum ex olei terebinthinæ ℥ij, camphoræ, myrrhæ, ana ʒiij, ſpiritus ſalis cum oleo vitrioli deſtillati ʒiſſ, ſpiritus vini, mellis aut ſacchari ardentis ℔vij. ad medias, vel quamdiu non lacteſcat liquor, deſtillat; hanc autem ſive vernicem balſamicam ex ſpiritus terebinthinæ, vel, quod melius, olei tenuioris ex oleo petræ deſtillati ʒxx, maſtichis, ſaudarach ſeu gummi juniperi ana ʒß. camphoræ ʒij. invicem mixtis ac in Balneo Mariæ ad reſinarum diſſolutionem coctis, nec non ſpiritus vini ter ſuper ſalem communem rectificati ʒij. priori per ſubſidentiam clarificato liquori ſuperadditis, præparat. Ad fluiditatem vero vix a ſoliditate diſcrepantem, niſi partium intertextarum brevi nexu junctarum diſpoſitione mechanica, partium exilitatem, rotunditatem, poroſitatem mutuamque ſuperficierum a ſe independentiam requirit, quo ita conſtituta corpora ætherem non ſolum admittant, ſed & motui ejusdem, particulas illas rotundas ad circumrotationem circa proprios axes prementi & propellenti, auſcultent facillime. Quibus prælibatis, ad actionis corporum ſive mobilis eorundem exercitii, in occurſu mutuo ſe invicem circa ſuperficies & cavitates afficientium, tam differentiam, quam principium, enodanda facit progreſſum. Ratione differentiæ, corporum actiones maxime obſervabiles, vel ad incrementum molis corporeæ, uti generationem, coagulationem & fixationem, vel ad decrementum & imminutionem molis, v. g. alterationem, item fermentationem, digeſtionem, macerationem &c. vel ad totalem nexus & ſitus deſtructionem ſive corruptionem, reducit, ſingulasque aut lento, aut citato curſu abſolvi annotat. Ratione autem principii, actiones figuræ, in mix-

Cap. V.

tis e certo plurium corpuſculorum figura inter ſe diſcrepantium contextu & unione oriundæ, adſignans, quomodo figuræ illæ in corporibus motu vel externo, ubi latera tantum & extremitates illorum ſuperficierum alliſionem & preſſionem externam patiuntur, vel interno, ubi ipſæ interiores cavitates, inter ſingulos nexus & minimas ſuperficies exiſtentes, majori undique violentia impugnantur, agitatis cooperentur, exemplo potiſſimum materiæ ſubtiliſſimæ ſive ætheris, ſalium, aeris, aquæ, oleorum & ſpirituum chymicorum demonſtrare annititur. Materiam ſcilicet ſubtiliſſimam abſtracte ut unam, conſiſtentem in minimo puncto acuto, primam motus ideam recipiente eamque majoris molis corporibus communicāte, conſiderat, quæ in ſe noxia ſit minime, ſed certis corporibus, ob mixturam tantum corpuſculorum terreſtrium illis magis minusve convenientem, vel amica evadat, vel peregrina, omni actionis differentia ab admixtis molis majoris particulis propullulante. A ſalibus namque pariter, prout corpuſculis illis ſolidis vel armata, vel liberata fuerint, diverſas plane actiones edi, aliquot dilucidat exemplis, v. g. ſpiritum ſalis per ſe, ſaltem aqua dilutum, haud nocere, ſolutione tamen mercurii vivi & antimonii crudi venenoſum emergere ac plane corroſivum; ſalium alcalium volatilium & fixorum differentiam omnem terris oleoſis diverſimode deberi, actionesque eorum in corpora diverſa diſcrepantes cerni, dum e. g. venerem ab aqua forti ſolutam ſal tartari turbet & præcipitet, turbatæ vero eidem mixturæ ſpiritus ſalis armoniaci diaphaneitatem reſtituat, &c. Item aeris, magni illius expanſi humidi, moleculis infinitis refertiſſimi, operationes inſenſiles vel ſenſibiles, benignas vel malignas, diverſiſſimis terræ noſtræ durioribus potius halitibus adſcribit, quam ſalibus, quia hæc unius figuræ ſint & adeo exilia, ut tranſitum ubique reperiant liberrimum. Neque aquam absque terris, per ſalia imminutis, ſolidorum corporum divortium poſſe moliri obſervat, cum aqua flexilis & oblonga terram involvendo & ad rotunditatem diſponendo, fluiditatem quidem oleis & ſpiritibus, non vero efficaciam majorem conciliet. Oleum ſiquidem, in aquam, terram poroſiſſimam & ſal reſolvendum, tanto potentius aqua eſſe, quanto ipſam in admixtione ſalis & terræ præcellat; ſalia enim illic contenta & ab æthere agitata clauſtra terreſtria violento modo perrumpere, ſuperficiesque ſuperficiebus validius allidendo & motu progreſſivo fricando

& cir-

Digitized by Google

& circumrotando,lumen ac calorem progignere. Ejusdem indolis ſpiritus quoque ardentes videri,veluti tenuiſſimos & exiliſſimos tales contextus ramoſos, conflatos e tenuiori ſale, aqua & terra,in ſuam mechanicam figuram per motum inteſtinum coadaptatis, repræſentantes, majori tantum mobilitate oleis ob craſſioris terræ defectum rarioremque texturam gaudentes. Nec ſpiritus ſalinos aliud eſſe, quam ſpicula diſtinctos in ordines mediante terra redacta,pro diverſa terræ illius ad poros corporum ſolvendorum habitudine effectus diverſos producentia. Uno verbo, ſpecificas corporum actiones miſcelis vendicat ſalino terreſtribus,motumque a ſale incipientem in ſalem etiam,ubi fluida corporis remanſerit conſiſtentia,terminari advertit; ſub hac tamen differentia,ut puncta in majori nexu unita ſuggerant acida dicta ſalia, diviſa vero ſpicula,tenuiſſimis terris ſociata,alcalia volatilia & fixa conſtituant. Aſt ex inteſtinis motibus,a mero progreſſivo per corporis tantum alius heterogenei,transverſim ipſas texturas ſolidas permeantis varieque alterantis,ingreſſum differentibus, ſpecialius Fermentationem enodaturus, fermentationis & fermenti non minus naturam,quam requiſita neceſſaria, fines & juvantia atque nocentia perquirit. Etenim fermentationem, ne ad multorum exemplum cum quibusvis inteſtinis motibus, contraria ſæpe effecta exhibentibus,confundat,talem liquidorum corporum,ad extricationem & exaltationem ſalis acidi ramoſi,levioris aut gravioris,progredientium inteſtinum motum innuit,cujus phænomena habeantur neceſſaria: fervor partium ſonorus & ſpumoſus; rarefactio & dilatatio tumultuantis liquoris; tenuiſſimus effluviorum ſine fœtore ingrato halitus; receſſus in partes plane differentes; liquoris ſub finem reſidui diaphaneitas & tenuitas; productio demum vini ſubacidi aut aceti. Fermentum vero,ſæpiſſime fermentationi ſuccurrens,omne illud nominat,quod exiguis ſuis ſalino-terreſtribus moleculis ſubintrare poteſt alius corporis poros,eorumque ſuperficies & latera ita concutere, dilatare & tandem diſponere,ut liquor inde ſpirituoſus ardens ſubacidus ſive vinoſus,vel plane acidus emergat. Quale triplicis notat generis: aliud volatile ſeu tenue raræ admotum texturæ,v. g. in recentibus cereviſiæ fæcibus ſive efflorescentiis, ratione figuræ molecularum potius operantibus, quam meri ſalis intuitu,quoniam nullam cum alcalibus & acidis luctam ineuntes nec acidis,nec alcalinis ſalibus

Cap. VI.

Cap. VII.

accenſeri queant, item in nucleis perſicorum, ceraſorum, prunorum, fructibus immaturis, ut meſpilis, pomis, pyris, uvis, ceraſis, aliisque ſubamaricante, dulci, aut ſubacido levi ramoſo ſucco inſtructis; acidum fixius & denſioris texturæ aliud; aliud denique improprie dictum, ex particulis fixis alcalinis conflatum, ubi denſior & intricatior
Cap. IIX. ramoſorum corporum eſt nexus, adhibendum. Hinc neceſſaria fermentationis requiſita quatuor exponit: aptitudinem nempe corporis in contextu viſcoſo-ramoſo, ad inſipidum aut dulcem ſaporem inclinante ſæpiusque variis artificiis attenuando, fundatum; ſufficientem quantitatem aquæ, corpuſcula dividentis illa oblonga, quæ catenularum inſtar ſphærulas in commemorata corporis apti textura colligant; aeris, reſpectu ætheris aliorumque corpuſculorum ſalino-terreſtrium aquam non ſolum penetrantis, ſed & ſingulas ſuperficies flexiles volutantis varieque ad ſe invicem collidentis, ingreſſum; & calorem temperatum, partium poros dilatando viam ætheri
Cap. IX. ſternentem. Noxa autem caloris immoderati oſtenſa, fermentationis porro ſcopum pro intentione artificis, & additorum fermentorum aliorumve corporum, mediante illo motu uniendorum, diſcrepantia, exprimit varium; liquorem quippe fermenteſcentem nunc in ſpirituoſum a fermentis tenuioribus, nunc in fixius acidum ab acribus, acidis fixioribus mixtis, dirigi, modo primi generis fermenta in minori copia adjiciantur, ne concitato nimis motu diſcontinuationes ramoſorum corporum validius accelerentur, ſpiculorum eminentiæ nimiæ promoveantur, & fluor acidus in apricum prodeat. Pro quo avertendo, frequentiſſime convenientem aliorum quoque corporum, v. g. ramoſorum ſive pinguium, alcalinorum aut amaricantium & adſtringentium aſſociationem indigitat neceſſariam, pro cereviſiis potiſſimum ab aceſcentia pariter præſervandis, quam grato ſapore imbuendis, pulverem groſſum adſtrictorium ex terræ catechu ʒiv. meſpillorum immaturorum ℔j. tritici immaturi ℔iij. nucleorum ceraſorum, vel prunorum aut amygdalorum amarorum ℔ij. foliorum lauri ceraſæ ℔ß. invicem mixtis præparatum ac debita doſi in prima fermentatione liquoribus admiſcendum extollens. Alia vero addenda & unienda vel bonitatem & ſpiritualitatem liquoris, uti ſaccharum, mel &c. vel odorem & ſaporem, e. g. ſemina dauci, petroſelini, fœniculi, carvi, cardamomum, coriandrum, radices iridis, baſilici,

contra-

Digitized by Google

contrayervæ, cortices aurantiorum, citri, vvinteranum, lignum sassafras &c. vel vires alterandas, quemadmodum purgantia, respicere. Tandem juvantia & nocentia fermentationis memorans, a salibus muriaticis, v. g. sale communi, nitro, sale armoniaco, item tartaro crudo, spiritui salis artificiose permixto, fermentationes multum exaltari, omphacium præcipue ex succi uvarum immaturi ℔x. uvarum immaturarum ℔ß. mixtis ac in locum calentem ad fermentandum repositis, si spiritus salis communis cum oleo vitrioli parati unciæ duæ, altero a fermentatione die initium faciendo, successive ad drachmas duas singulis diebus instillentur, limpidissimum & præstantissimum produci, e contrario ab alcalibus & terreis, item a sulphuris accensi fumo, transfusione liquorum fermentatorum in alia vasa depurata fumoque sulphuris obducta, nec non doliorum repletione omnimoda, fermentationis motus diversas ob causas inhiberi, edocet. Cap. X.

OBSERVATIO ACCURATÆ CONJUNctionis cujusdam Satellitum planetæ Saturni cum stella quadam fixa, per Dn. Cassinum.

Translata ex Memorabilibus Mathematico-Physicis Academiæ Scientiarum Regiæ Paris. Mens. April. 1692.

CONjunctiones accuratæ planetarum cum stellis fixis sunt oppido raræ, unicis illis exceptis, quæ Lunæ, nostri respectu plus in cœlo spacii, quam reliqui planetæ omnes simul, occupanti obveniunt. Ægre talium conjunctionum quatuor aut quinque, ex omni numero observationum quæ ab ipsa inventione astronomiæ ad initium usque præsentis seculi conservatæ sunt, animadversæ reperiuntur. Imo dubitandi adhuc locus relictus, num istæ quatuor aut quinque observationes apparentes, nudis tantum oculis observatæ, fuerint omnino accuratæ & absque omni intervallo. Nunc quippe dierum novimus, quod propter radios, magnitudines apparentes astrorum non parum augentes, plures sint conjunctiones apparenter accuratæ, licet reipsa nihil minus sint: cum usus telescopiorum nobis manifestaverit non contemnenda intervalla inter stellas, quæ nihilominus nudis oculis tam accurate junctæ apparent, quasi unica sola stella essent.

Verum si inventio telescopiorum ex hac causa diminuere numerum

rum talium obſervationum debuerat, alia tamen ratione illum oportebat magis augere. Nam ſimplici viſu diſtincte videmus in Zodiaco circiter 500 tantum ſtellas fixas & quinque erraticas, præter Solem & Lunam, & per conſequens hi ſeptem planetæ rariſſime conjungentur cum paucis iſtis ſtellis fixis per totam Zodiaci extenſionem diſperſis: teleſcopia vero nobis detexerunt infinitas alias ſtellas fixas & inſuper novem alias erraticas, quarum quinque gyrantur circa Saturnum, reliquæ quatuor circa Jovem: unde per magnum iſtum numerum ſtellarum fixarum debent earum conjunctiones cum planetis, quorum etiam numerus altero tanto auctior, multo frequentiores fieri.

Itaque videtur, quod obſervationes conjunctionis ſtellarum fixarum cum planetis non deberent admodum eſſe raræ. Nihilominus plures una aut duabus, ex quo teleſcopia inventa, non reperiuntur. Attamen paucæ iſtæ obſervationes in Aſtronomia maximo uſui extitere: nam D. Caſſinus iis uſus eſt, ut determinaret num planetæ haberent parallaxin ſenſibilem, numque poſſibile eſſet aliquo modo eorum diſtantiam a Terra metiri: quod per quamvis aliam obſervationem tam accurate talique cum certitudine fieri nequaquam poſſet.

D. Caſſinus quidem optaſſet videre conjunctionem centralem ipſius planetæ Saturni cum quadam ſtella fixa: obſervatio etenim tranſitus ſtellæ fixæ inter globum Saturni & ejus annulum poſſet aliquo modo nobis lumen præbere ad cognitionem iſtius annuli: verum hactenus fruſtranea exſpectatio, nec ſe occaſio talem obſervationem faciendi ulla obtulit: nec ad usque proxime elapſam æſtatem potuit videre conjunctionem accuratam cujusdam Satellitum Jovis, nec Saturni cum quadam fixarum: quod æque deſiderabat, ut noſſet per experientiam, num tempus talium conjunctionum eadem accuratione determinari poſſet, qua conjunctiones ſatellitum inter ſe. Tandem vero proximo menſe Junio nactus eſt occaſionem curioſitatem ſuam ſatiandi: noctu enim inter 19 & 20 diem illius menſis facta erat conjunctio accurata ſtellæ fixæ cum quodam ſatellitum Saturni: forte fortuna eadem nox tam ſerena tamque tranquilla erat, ut commode potuerit obſervari cœlum a prima apparitione ſtellarum ad ortum usque Solis.

Juxta calculum D. Caſſini, illo die non niſi quatuor ſatellites Saturni

Saturni videri debuerant: nam quintus, qui eſt remotiſſimus ab hoc aſtro, erat adhuc in parte orientali, ubi non apparet communiter, propter rationem peculiarem a D. Caſſino explicatam in enarratione obſervationum de Saturno, antehac in publicum edita.

Hora decima veſperi videbantur per teleſcopium 34 pedum octo parvæ ſtellæ circa Saturnum, diſpoſitæ ut in præſenti figura apparet.



Erant duæ verſus meridiem in linea recta fere parallela ad axem annuli Saturnini: iſte annulus apparebat figura ovali cujus minima diameter erat paulo major diametro globi Saturnini: ut D. Caſſinus ſemper obſervabat, quando Saturnus eſt inter 20 grad. Scorpionis & 20 Capricorni, & etiam quando eſt in duobus ſignis oppoſitis.

Obſervabatur etiam aliqualis umbra, quam globus Saturni in partem poſteriorem annuli, quæ ſeptentrionalior erat, mittebat: & quandoquidem Saturnus tunc erat verſus Solis orientem, iſta umbra etiam vergebat ad orientem: D. Caſſinus judicabat, quod orientalior harum duarum ſtellarum meridionalium reſpectu Saturni fuerit

quartus Satelles,qui veniens a ſua conjunctione in ſuo ſemicirculo inferiore procederet verſus digreſſionem occidentalem : altera vero ſtella occidentalior eſſet fixa,verſus quam Saturnus & iſte Satelles procederent juxta motus ſuos peculiares,aſt inæquali celeritate,quoniam iſte Satelles etiam recedebat a Saturno motu proprio.

Secundum iſtam hypotheſin neceſſario iſtæ duæ ſtellæ ſenſim invicem appropinquare debebant: & reipſa D. Caſſinus cum attentius obſervaret earum motus,evidenter animadvertit eas ſibi appropinquare : cum etenim eas compararet cum linea anſarum,videbat Satellitem fere directe verſus fixam ſtellam procedentem : unde concludebat, eadem ipſa nocte conjunctionem accuratam hujus ſatellitis cum ſtella fixa futuram.

Normalis a ſatellite iſto ducta ad axem annuli Saturnini, terminabatur tum in medio ejus nigroris exiſtentis inter annulum & globum Saturni: & ſtella fixa paulo plus a Satellite diſtabat quam a majore diametro annuli.

In linea anſarum Saturni in occidentali latere erat parva ſtella, diſtans ab anſa occidentali paulo magis quam ab axe Saturni : & iſta ſtella juxta calculum D. Caſſini debebat eſſe tertius ſatelles. Tum ſtella fixa, de qua ſermo, propior erat huic tertio ſatelliti quam anſæ Saturni : verum decimo ſupra decimam horam minuto erat eadem æqualiter utrinque remota, faciens triangulum iſoſceles cujus ipſa erat vertex, cujusque baſis comprehenſa inter tertium ſatellitem & iſtam anſam,paulo minor erat quam latera.

Exſpectans hoc modo D. Caſſinus horam conjunctionis ejus ſatellitis cum ſtella fixa,novum phænomenon in ſeptentrionali plaga animadvertebat,quod eum aliquantiſper ab obſervatione ſua avertebat. Id autem erat quaſi Cometæ longa quædam cauda ſeptem aut octo graduum,occupans magnam partem conſtellationis Caſſiopeæ,& per ipſum locum tranſiens,quo anno 1572 nova ſtella apparebat : verum quoniam iſta cauda verſus Solem,ut communiter caudæ Cometarum,non dirigebatur ; illaque extendebatur ſecundum lineam transeuntem per ſtellam in ventre Caſſiopeæ,& per eam quæ eſt in media ſella ejus ; D. Caſſinus judicabat illud non fuiſſe Cometam,ſed ſolum nubem quandam in longum ita porrectam, licet reliquum cœli omne fuiſſet valde ſerenum. Iſtud phænomenon cum paulatim aſcendiſſet, tranſibat per ambos humeros Cephei, ubi tandem diſſipabatur.

D. Caſſi-

Digitized by Google

D. Caſſinus poſt levem iſtam diſtractionem reverſus ad obſervationem ſuam de Saturno, reperiebat quartum Satellitem & ſtellam fixam, de qua ſuperius ſermo, usque magis & magis invicem appropinquare. Minuto 47 ſupra undecimam horam, perpendicularis ducta ab iſto ſatellite ad axem ellipſis annuli terminabatur in extremitate anſæ. Tum hic ſatelles & ſtella fixa a ſe invicem amplius longitudine anſæ non diſtabant, & perſiſtebant diu in tali diſtantia ſine ulla ſenſibili differentia.

Quamvis medium fere noctis jam proceſſerat, adhuc tamen videbatur claritas crepuſculi, quod progrediebatur a Zephyro-Borea verſus Boream, & medio noctis extendebatur ab utraque parte meridiani ſpacio 48 graduum. Medio hujus ſpatii pars maxime clara crepuſculi ad ſeptem gradus adſcendebat, pars vero minime clara ſurgebat ad 12 grad. & omnis pars cœli ſeptentrionalis usque ad æquinoctialem magis clarebat quam meridionalis. Ita dici poteſt, illo die, qui erat ſolſtitio admodum propinquus, noctem nullam fuiſſe, cum crepuſculum veſpertinum duraverit ad initium crepuſculi matutini. D. Caſſinus cum delectatione conſiderabat concurſum horum duorum crepuſculorum: in memoriam revocans, quod Strabo in principio ſecundi ſui libri commemorat, quod nimirum Hipparchus notaverit, ut rem conſideratione dignam, lumen Solis in Gallia Celtica tempore æſtatis per totam noctem videri, quo pacto procedat ab occidente ad orientem: quod Hipparchus dubio procul ſumſerat ex ſcriptis docti illius Pytheæ Maſſilienſis, ut ſimiles plures alias obſervationes, quas Strabo dicit Hipparchum ab illo deſcripſiſſe.

Interea quartus Saturni ſatelles ſenſim magis ſtellæ fixæ propior fiebat, ita ut tertio quadrante poſt mediam noctem inciperet eam tangere, centro ſatellitis adhuc paulo orientaliore exiſtente. Aſt minuto 57 a medio noctis iſte ſatelles & ſtella fixa erant tam probe juncti invicem, ac ſi unica fuiſſent ſtella, quæ punctata videretur in parte meridionali; quoniam centrum ſatellitis erat paulo meridionalius quam v. fixæ.

Satellitis ita continue ſuum progreſſum continuantis, ora extima omnino liberabatur ab ora occidentali ſtellæ fixæ, minuto ſupra primam horam decimo.

Hoc modo iſta conjunctio determinata eſt ad exactitudinem

minuti, fere duobus modis: nempe per obſervationem immediatam medii, & per comparationem initii cum fine. Atqui iſta exactitudo ſufficit ad determinationem longitudinum. Unde concludere licet, conjunctiones ſtellarum fixarum cum ſatellitibus, imo maxima parte planetarum principalium, quorum parallaxis non habetur, poſſe quandoque conferre ad inventionem longitudinum: cum uſus teleſcopii ſufficienter augeat ſpatia, ut motus planetarum ſatis celeres apparere poſſint, modo adſit punctum viſibile, ut ſunt ſtellæ fixæ, ad quod illi immediate comparentur. Verum prius cognoſci oporteret tempus harum conjunctionum, quo otium ſuppeteret ſufficienti præparationi ad tales obſervationes conjunctis operis faciendas: & hoc poſtulat exactam deſcriptionem omnium minorum ſtellarum viſibilium, in quo quidem D. Caſſinus operam ſuam jam incepit ponere.

Conjunctio majoris partis planetarum cum ſtellis fixis de terra conſiderata ſæpius videtur contingere majori cum celeritate, quam conjunctio quarti hujus ſatellitis Saturnini cum iſta ſtella fixa, imo quam conjunctio planetæ Jovis cum ſuis ſatellitibus. Nam primus ſatelles Jovis non percurrit diametrum Jovis niſi ſpatio duarum horarum & quadrantis: itaque cum ſemidiameter Jovis appareat 45 ſecundorum (quod contingit in ejus diſtantiis mediis) iſte ſatelles amplius 20 ſecundis a Jove non diſcedit unica hora & octo minutis unico die: quod ipſi Saturno, qui Planetarum tardiſſimus, e terra conſiderato, quandoque, quamvis raro, reſpectu ſtellarum evenit.

Inſuper haberi poteſt ab obſervatione harum conjunctionum uſus inſignis ad metiendas diametros apparentes planetarum. Tempore præſentis obſervationis motus Saturni reſpectu ſtellarum fixarum erat trium minutorum per diem, & per conſequens ſeptem ſecundorum & ſemiſſis per horam, & viginti duorum & dimidii per tres horas. Atqui ſpatio trium horarum, quo iſta obſervatio durabat, nimirum ab hora decima veſpertina usque ad horam primam & ultra poſt medium noctis, Saturnus appropinquabat lineæ ductæ a ſtella fixa perpendiculariter ad lineam ſui motus (quantum viſu æſtimari poterat) ſemidiametro ſui annuli. Quare ſemidiameter iſta apparebat 22 ſecundorum & dimidii, & diameter 45 ſecundorum. Et hic modus maxime eſt certus metiendi diametros planetarum, & tanto

pluris

Digitized by Google

pluris æſtimandus, quanto occaſio metiendi iſtas diametros aliis methodis rarius ſeſe offert.

PETRI VAN HOEKE V. D. M. Commentarius Analyticus in Epiſtolam ad Hebræos.

Lugduni Batavorum ex officina Joh. du Vivié, 1693. in 4.

Conſtat Alph. 1. & plag. 15.

CUras Scripturæ analyticas Theologiæ ſive doctoribus ſive ſtudioſis perquam utiles eſſe, nemo hujus rei peritior diffitebitur. Aperiunt quippe verbi cœleſtis divinitatem, pandunt Spiritus ibi loquentis ſapientiam, ſatisfaciunt conſcientiæ, efficiunt potentes in Scripturis, ſolida praxeos generoſæ ac pietatis maſculæ fundamenta jaciunt, immunes denique a periculo divulſionis & ſeparationis eorum, quæ Deus per *συνάφειαν* textus conjunxit, præſtant. Hoc animo ſecum perpendens Vir admodum reverendus PETRUS van HOEKE, verbi divini miniſter apud Batavos dexterrimus, compoſuit iſtum, quem nunc recenſione noſtrâ dignum judicamus, *in Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos Commentarium analyticum*, ratus, ſe non poſſe de Eccleſia mereri melius, quam ſi lectionem libri Biblici difficilioris redderet omnibus expeditam, facilem, ſuavem & amabilem. Et primo quidem tabulam præmiſit totius Epiſtolæ analyticam. Hanc deinde ſuccincta explanavit exegeſi, non ſcribens quæ ſcribi poterant, ſed quæ ſcribenda putabat, ſecutus quo duceret materiæ ſublimitas, non quo invitaret. Hic ante omnia elicuit theſin, ſive quod probare voluit Apoſtolus: mox illuſtrationis & confirmationis theſeos enumeravit argumenta: & (quæ ſunt primæ in commentando partes) argumentorum vim ad probandam theſin ob oculos poſuit. Hoc ut obtineret felicius, omiſſa *ψευδεξηγήσεως* confutatione, placido & defæcato animo in veritatem unice inquiſivit: conſuluit fontes: parallela inſpexit: ſcopum conſideravit: attendit connexionem: obſervavit circumſtantias: vim verborum & phraſeos annotavit: inveſtigavit temporum hiſtorias: adduxit hinc inde antiquitates, typos, lectiones varias, verſiones, interpretes, philologos, criticos: omnia denique revocare ſtuduit ad analogiam fidei. Per has interpretandi vias, per hæc media

conatus eſt Autor doctiſſimus Apoſtoli mentem in aperto ponere. Nos, ne per tranſennam ſaltim, utiliſſimum hunc Commentarium inſpexiſſe videamur, per ſingula capita eundo, rariores quasdam explicationes dictorum Paulinorum, in quibus non raro *Jo. Coccejum* ſequitur, excerpemus.

f. 3. Cap. I, 1. illud ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων interpretatur *ſub* vel *circa ultima horum dierum*, phraſin accipiens non pro ultimo mundi tempore, ſed pro tempore ultimo Veteris Teſtamenti, circa quod Deus Pater per Filium carne indutum Hebræis locutus fuerit. *Verum quidem eſſe*, ſcribit, *quod cum Johanne Baptiſta inceperit aurora N. T. ac de jure V. T. ſublatum ſit in morte Chriſti, ipſo actu tamen manſiſſe, ad deletum usque templum & ſublata ſacrificia.*

f. 8. Ibid. v. 3. τὰ πάντα reſtringit ad ea, quorum Filius Dei factus eſt heres v. 2. i. e. ad Eccleſiam. *Ferebat*, inquit, *omnia*, i. e. *omnes ſalvandos ex teſtamento Dei, antequam purgationem peccatorum efficeret, potenti verbo teſtamenti ſponſionis & interceſſionis & mediationis.*

f. 12. Ib. v. 5. Non abſurdum eſſe ſcribit, ſi τὸ σήμερον *hodie* referatur ad *aliquod tempus*, & intelligatur *hodierna & temporaria demonſtratio generationis æternæ*, v. g. in Baptiſmo Matth. III, 17. Glorificatione in monte Tabor c. XVII, 5. Reſurrectione Rom. I, 4. Nec aliter verba Pſalmi: *ego hodie genui te*, Apoſtolum intellexiſſe contendit Act. XIII, 35. 36.

f. 14. Ib. v. 6. אלהים Paulus ex LXX. interpretatur ἄγγελοι. Hoc recte fieri, ſic demonſtratur. In Pſalmo intelligi ait omnes, qui in Scriptura dicuntur אלהים, h. e. tum *Sacerdotes* & *Legiſperitos*, qui ſedebant in cathedra Moſis, & ſic agebant nomine Dei, Pſ. LXXXII, 6. Joh. X, 34. tum *Angelos*, qui teſtes legis datæ fuerant, Act. VII, 53. Illis, ut curatoribus & pædogogis; his ut executoribus pœnarum legis, Iſraelitas ſubjectos fuiſſe; ſed, poſtquam Jeſus conſedit ad dextram Dei, iſtos omnes ab ἐξουσία depoſitos, & ſub Chriſti poteſtatem redactos fuiſſe. Paulum ergo Chriſtum angelis præferre cupientem, *Elohim* per vocem ἄγγελοι recte tranſtuliſſe.

f. 20. Ib. v. 12. voculam ἕως *donec* terminum hic, diverſo modo, excludere & denotare obſervat. Prius, ut indicetur Chriſti regnum eſſe æternum Luc. I, 33. poſterius, ut ſignificetur finis regni mediatorii, prout geritur in his terris, ubi ſunt hoſtes, adminiſtratio verbi tum viſibilis, tum audibilis, afflictiones piorum, quæ omnia ceſſabunt, 1. Cor. XV, 24. Cap.

Digitized by Google

Cap. II, 1. in verbo παραῤῥυῶμεν translatio placet a navibus f. 24.
desumta, quæ per fluxum & refluxum maris, per ventum, non attingunt portum, sed præterlabuntur. Atque ita sensus erit: nos attendere debere, ne prætervehamur portum salutis per fluxum & refluxum rerum terrestrium, persecutionum, per ventos falsarum doctrinarum, & sic excidamus scopo, qui est gloria Dei & salus nostra.

Ib. v. 2. in phrasi: ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγ⊙, voculam ib.
διὰ notandam esse monet, quæ non tantum velit, Angelos fuisse præsentes, augendo legis majestatem, & ut testes & approbatores sermonis; sed & eos fuisse vindices & executores pœnarum legis datæ, nomine & jussu istius Archangeli Legislatoris, qui fuit Filius Dei Act. VII, 38. adeo ut populus illis ceu Diis Ps. IIX, 6. propterea subjiceretur, Heb. II, 5.

Ib. v. 5. Οἰκουμένη μέλλουσα ipsi est Ecclesia N. T. cujus quidem f. 29.
aurora illucescebat cum nato Christo & prædicatione Baptistæ, magis autem illuxit in resurrectione Christi ex morte, ut tamen demum plene refulgeret, destructo templo, abolita in totum servitute legis ceremonialis. In hac Ecclesia non amplius audiri dicit illum sermonem legis per Angelos dictum, sed enunciari salutem tantum a solo Jesu Christo, Domino nostro. Propter hanc salutem non esse sub lege Ecclesiam N. T. sed sub gratia, quæ excludat servitutem legis, quæ tollat subjectionem Ecclesiæ sub Angelis (ὁ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε) adeo ut fideles N. T. non sint amplius eorum servi, sed conservi, Apoc. XIX, 10. XXII, 9. per admirabilem illam & sapientissimam ἀνακεφαλάιωσιν Eph. I, 10. 22.

Ib. v. 10. Participium ἀγαγόντα, servans vim aoristi secundi, f. 35.
cum Latino, Syro, & Arabe, refert ad Deum Patrem, & ne quis putet ἀγαγόντι tum legendum esse, conferre jubet Luc. I, 73. 74. 1. Pet. IV, 3. hicque nasci docet sensum optimum, & in promtu rationem esse, quare decuerit Deum, salutis principem Christum passionibus consummare, ut fieret servator perfectus, a quo nec justitia Dei nec lex requirere quicquam amplius posset: quia scilicet multos filios, ex sponsione istius Principis æterna, per actualem obedientiam in tempore præstanda, in cœlum sub V. T. introduxerat, cum alias gratia introductionis Deo indecens fuisset.

Ib. v. 5. Ἔνοχοι δουλείας φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν f. 40. 41.
Autori,

Digitized by Google

Autori, perinde ut Coccejo, ſunt fideles ſub promiſſione ac V.T. qui licet liberati fuerint, per mortem Chriſti in tempore obeundam, a mortis imperio, adeo ut diabolus eos nec ſub ſervitute peccati, nec ſub maledictione habere poſſet; ipſis tamen, quia actu imperium iſtud non erat abolitum, imponi poterat jugum grave, & ſervitus legis ceremonialis, qua fieret commemoratio peccati, nondum actu expiati. Cui ſervituti annexus erat metus mortis, *Spiritus ſervitutis ad metum* dictus, Rom. IIX, 15.

f. 42. Ib. v. 17. Cum de aſſumtione humanæ naturæ jam dictum ſit v. 14. & particula γὰρ probetur, unde ſit, quod Filius Dei particeps naturæ humanæ eſſe inceperit, ut conſtet argumentum Apoſtoli, verbum ἐπιλαμβάνεται idem valere dicit, quod Hebræum נאח *aſſeruit, vindicavit*, pro hac ſignificatione allegans Budæum, qui ex Platonis Lib. XII. Legg. ἐπιλαμβάνομαι explicat *vindico*, & ἐπίληψιν *vindicationem*. Conferre inſuper jubet iſta loca, ubi Meſſias dicitur *Angelus aſſertor*, Gen. XLIIX, 16. Job. XIX, 25. Eſ. XLI, 14.

f. 56 Cap. III. 14. Ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως vertit *initium fiduciæ*, & exponit *primarium fiduciæ*, ſive *fiduciam, quæ primarium quid eſt*. Derivat ſcilicet vocem ὑπόστασις, quæ infra Cap. XI, 1. recurrit, ab ὑφίστασθαι, in quantum denotat *promittere ac ſpondere ſibi vel alii rem futuram: eam certo & firmiter exſpectare & ſperare, atque ita menti quaſi præſentem ſiſtere*. Unde ὑπόστασις ipſi eſt *fides*, ſeu *fiducia talis*, qua id quod Deus promiſit ὑφιστάμεθα, nobis pollicentes ea quæ ſperantur, libentiſſime ſubeuntes fruſtrationis periculum: imo quarem promiſſam, i. e. ſalutem pleniſſimam in Chriſto, in mente facimus extare ut præſentem, minime dubitantes, nec cedentes inſultibus ullis.

f. 62. Cap. IV. 4. *Sabbathum periodicum*, ſingulis diebus ſeptimis recurrentibus, a Deo benedicente diei ſeptimæ, eamque ſanctificante, Gen. II, 2. inſtitutum eſſe negat, cum tale ſabbathum ſtatui hominis recto non conveniat, & textus pro fundamento *benedictionis* & *ſanctificationis* ponat *Dei quietem*. Jam Deum, ait, non tantum requieviſſe die ſeptimo, ſed & ſequentibus diebus: ergo & illis benedixiſſe & eos ſanctificaſſe, adeoque iſtud Sabbathum, ſi homo in rectitudine perſtitiſſet, fuiſſe perpetuum, quo homo quieſceret in Deo ſuo & in eo lætaretur, in æternum glorificaturus Deum; ſed illud Sabbathum per peccatum irritum eſſe factum. Ibid.

Ibid. v. 10. *Requiem N.T.* eſſe docet non tantum eam, qua requieſcit fidelis a dominio & ſervitute peccati (ita enim ex ſponſione Chriſti & Veteres requieviſſe) ſed eam, qua & requieſcit a ſiti & exſpectatione futurorum bonorum, a chirographo, a conſcientia & commemoratione peccati, necdum actu expiati, a metu afflictionis & mortis, a dominatione Sacerdotum, a traditionibus Scribarum, ab omni inimicitia, quæ olim Iſraelem inter & gentes erat: quaque habetur reconciliatio in ſanguine Chriſti effuſo, ſpiritus ſine menſura, conſolatio abundantior, & ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ in cœlis ſunt & in terra: quamque fideles pleniſſime conſequuntur poſt hanc vitam. f. 64.

Cap. V. 12. Τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῦ θεῦ ſunt ei *primæ promiſſiones*, & verba illa Dei audita poſt lapſum in paradiſo, inculcata patribus, prædicata cumprimis Abrahamo & reliquis. Voce γάλακτος, *umbras & legis figuras*, quæ promiſſiones primas faciebant ſuaves, & alebant fidem patrum, ac ſuſtentabant ſpem ipſorum, nec tamen cum tempore N. T. conſiſtere poterant: per στερεὰν τροφὴν, *verbum evangelii*, verbum conſummationis, Chriſtum (qui venit cum aqua & ſanguine) annuncians, intelligit. f. 78 79.

Ib. v. 14. Voce *pueri* non tam ſpectari dicit ruditatem, quam animum inconſideratum & imprudentem, imperfecta cognitione myſteriorum Dei imbutum, umbris & legis ceremonialis figuris detentum: adeoque innui petulantiam, cordis duriciem, qua quis neceſſe habet coerceri, & quamvis ſit ex teſtamento patris heres omnium, tamen ineptus eſt ad ſua ſervanda, curanda, adeoque opus habet tutoribus & curatoribus. Huic opponi *perfectos*, h. e. tales, qui non ſunt ſub elementis mundi, qui emiſſi ſunt e poteſtate tutorum & curatorum, qui audiunt verbum juſtitiæ, qui *in Chriſto perfecti ſunt*, Spiritum adoptionis habentes, & cum Chriſto in cœlo poſiti. f. 80.

Cap. VI. 2. Per *Baptiſmos doctrinæ* ſimpliciſſime intelligi putat Baptiſmos Johannis & Chriſti: doctrinam baptiſmorum eſſe illud, quod hi Baptiſmi docuerunt. Baptiſmum *Johannis* erudiviſſe reſipiſcentes & credentes de promiſſione, de Chriſto veniente, de remiſſione peccatorum in nomine ejus: Baptiſmum *Chriſti* ab eo poſt reſurrectionem inſtitutum pertinere non tantum ad Judæos, ut Baptiſmum Joannis, ſed & Gentes; docuiſſe Chriſtum, qui venerat, qui paſſus erat, reſurrexerat, & aſcenderat in cœlos. f. 84.

Digitized by Google

f. 68. ad 90. Ibid. v. 4. ad 6. Num hi deficientes peccatum, quod *Blaſphemia in Spiritum S.* dicitur, Matth. XII, 31. 32. committant? dubitat. Nec locum iſtum de vere credentibus aut vere illuminatis atque renovatis, ſed παρασκαίρεις inter Hebræos Chriſtianis exponit, qui a cognitione & profeſſione fundamenti poſiti non procedunt ad fidei perfectionem, ſed inſuper lac umbrarum cum fundamento jungunt. Hos in totum deficere poſſe aſſerit.

f. 87. Ib. v. 5. *Seculum futurum*, cujus virtutes hi παραπεσόντες guſtaſſe dicuntur, dicit eſſe tempus N. T. ita Apoſtolo dictum, quia ejus tempore nondum plene erat, cum fluerent dies poſtremi præſentis ſeculi, i. e. Veteris Teſtamenti.

f. 101. 102. Cap. VII. v. 1. Melchiſedecum, non Filium Dei, ſed merum hominem, τῶν Χαναναίων δυναστὴν, ut vocat Joſephus de Bell. Jud. LVII. c. 18. h. e. *regem & ſacerdotem Cananæum* fuiſſe, ſex rationibus probat. Quod autem v. 3. ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων dicatur, id omne, cum Theodoreto, κατὰ τὴν θείας γραφῆς οἰκονομίαν explicat, quodque talis propoſitus ſit in Geneſeos hiſtoria, ut fieret typus Chriſti, cui omnia, quæ de ipſo dicuntur & tacentur, natura & veritate conveniant.

f. 113. Ib. v. 20. Spem N. T. *meliorem* eſſe dicit, quia nititur non verbo promiſſionis ſed evangelii: videt Chriſtum conſummatum, & eſt a Spiritu non ſervitutis ad metum, ſed adoptionis: ſine omni ambage fundata eſt in ſanctuario, non terreſtri, ſed cœleſti: per eam appropinquamus Deo, ut Patri actu reconciliato, in ſanguine Chriſti fuſo.

f. 122. 123. Cap. IIX. v. 2. τὰ ἅγια, quorum miniſter eſt Chriſtus, a *tabernaculo vero, quod fixit Dominus & non homo*, ita diſtinguit, ut illa dicat eſſe *cœlum*, quod interceſſione ſua continua ſanctificet Chriſtus ſacerdos ſummus; *hoc* autem *Eccleſiam Dei* & quidem N. T. in qua omnes fideles cum ſacrificiis ſpiritualibus prope accedunt ad Deum.

f. 126. 127. Ibid. v. 6. ſeqq. Obſervat, præter *æternum Teſtamentum*, quod interveniente morte Filii diſponit bona ſalutaria æternum manſura, & ad fideles omnium temporum ex æquo pertinentia, eſſe adhuc duo Teſtamenta alia, quorum unum dicatur *Vetus* diſponens hereditatem terræ Canaanis, ut typum cœli: alterum *Novum*, dans hereditatem

Digitized by Google

tatem mundi cum bonis ſalutaribus eminentiori gradu. *Æternum* Teſtamentum tranſire, ſcribit, in formam fœderis, quando bona ſalutis proponuntur ſub conditione fidei in Meſſiam. *Vetus*, quando hereditas Canaanis, ut typus cœli promittitur ſub conditione obedientiæ in præcepta Dei omnia, præcipue ceremonialia & forenſia, quæ relativa erant ad illam terram. *Novum*, quando hereditas mundi & meliora illa bona addicuntur ſub conditione fidei ſinceræ in Chriſtum mortuum, excitatum, exaltatum, cum abnegatione non tantum concupiſcentiarum carnis, ſed & relictione legis præcepti carnalis, i. e. ceremonialis.

Ib. v. 11. Prophetiam de *non docendo amplius proximo* exponit tum de *ceſſatione cathedræ Moſaicæ*, quæ per מחוקקים 1. legum explicatores & executores dicat cogat & inculcet *cognoſce Dominum*, cum ex lege in medio poſita, & inſcripta per Spiritum in corde, omnes ſub N. T. cognituri ſint Deum, qualis ſit in Filio; tum de *obſignatione viſionis ac prophetiæ*, cum poſt Chriſtum & Apoſtolos nihil relinquatur λαλησόμενον· habeatque N. T. Eccleſia prophetiam per illos obſignatam & perfectam: nec expectetur, nec propter perfectionem Canonis expectari debeat alius, qui revelet nondum dicta, queis magis cognoſcatur Deus. f. 134.

Ib. v. 12. Judæos fideles olim habuiſſe docet peccatorum remiſſionem & ἄφεσιν ſuo modo (cum vox illa poſſit ſenſu vel exiliori vel eminentiore ſumi) & non habuiſſe. *Habuiſſe*, quatenus propter ſacrificium Chriſti offerendum liberati ſunt a pœna peccatorum & eorum dominio, introducti poſt mortem in gloriam; *non habuiſſe*, quatenus cauſa remiſſionis Chriſtus nondum guſtaverat mortem, ipſique nondum gaudebant remiſſione peccatorum, ſine ipſorum recordatione per legem & continuo ingeminatam maledictionem, nondum actu ſublatam. Talem ἄφεσιν in ſanguine Chriſti fuſo, peccati recordationem & chirographum excludentem, propriam eſſe ait Novo Teſtamento, nec illa gaudere potuiſſe fideles V. T. horumque remiſſionem magis fuiſſe πάρεσιν, Rom. III, 25. f. 136.

Cap. IX. 4. Quæritur, quomodo *altare ſuffitus* referri poſſit ad Sanctiſſimum, cum ſteterit in Sancto? Reſpondet Autor, alterum tabernaculum illud altare habuiſſe non ſitus, ſed relationis & officii ratione: Sacerdotem maximum inde thus ac odores deſumſiſſe, cum quibus f. 139. 140.

bus in ſanctiſſimum reducto velo intrarit, Lev. XVI, 12. atque ita jure illud habuiſſe.

f. 144. Ibid. v. 9. Apoſtolos notat ſuum tempus referre ad tempus V. T. idque *tempus præſens* vocare reſpectu N. T. quod plene cœperit, deſtructo templo, & ſublatis ſacrificiis.

f. 155. Ib. v. 26. Per *conſummationem ſeculorum* intelligit ſecula V. T. quæ Chriſti tempore ad finem decurrebant, & cum deſtructione templi in totum conſummabantur.

f. 159. Cap. X. v. 2. In Veteribus, quando ipſo facto mundarentur non tantum a culpa, pœna, & dominio peccati, ſed & a conſcientia peccati, nihilominus manſiſſe, ſcribit, peccati conſcientiam, h. e. notitiam commiſſi peccati nondum actu ſublati, ſed manentis, per Chriſtum in plenitudine temporis expiandi. Ubi conſcientia eſt abſoluta & conſummata, ibi ſacrificia eſſe & repeti non poſſe: repetitionem autem ſacrificiorum eſſe ſignum non conſummatæ conſcientiæ, nam ubi ſunt ſacrificia, ibi eſſe conſcientiam peccati expiandi, quæ maximam lætitiam afferre non potuerit.

f. 162. Ib. v. 7. Quando Chriſtus ait: ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, Autor exponit: *in toto libro & omni volumine a capite ad calcem ſcriptum eſt de me*. Nec abludere ſcribit vocem κεφαλὶς *caput, capitulum*, ſiquidem notet conglomeratum quid & in ſe exactum & complicatum inſtar capitis: cum olim libros ſcriptos in hunc morem fere complicaverint, Luc. IV, 17. 20.

f. 168. Ib. v. 14. Fiduciam, qua fideles N. T. poſt Sacrificium Chriſti perfectum, habent παῤῥησίαν, ſine timore, cum gaudio, introeundi in cœlum, vocari ait ab Apoſtolo ὁδὸν πρόσφατον *viam recentem*, proprie *recens mactatam* (ex πρὸς & φάω occido) tum quia eſt fiducia in Chriſtum non ita diu mactatum, ſed recens interfectum pro peccatis, cujus ſacrificii vigor & vis ſemper quoque recens; tum quia eſt via N. T. oppoſita alteri umbratili, vetuſtæ & obſoletæ V. T. qua fideles olim non recta, ſed per ambages veterum rituum, non fide in Chriſtum conſummatum, ſed ſpe in Meſſiam conſummandum, non liberi ab omni metu mortis, ſed ex ſervitute cum timore cœlum adibant.

f. 174. Ib. v. 25. Chriſtianos, abolito Sabbatho Judaico, negat, ullo vel Chriſti vel Apoſtolorum præcepto obligatos fuiſſe, *hunc diem congregationis* (v. g. Dominicum) præ illo obſervare, quin potius de jure in liber-

Digitized by Google

libertate conveniſſe; ſicut nec Apoſtolus hoc verſu congregationem ad hanc vel illam diem retulerit. Notat deinde ex Actis congregationis tempora, ut conſtet de libertate Eccleſiæ. Cumque ſæpius diebus feſtis & Sabbatho Judaico, diebus incertis in Synagogis, extra Synagogas, diebus haut notatis convenerint, vix ſemel legi, ſcribit, mutuam fuiſſe prima hebdomadis die congregationem, Act. XX, 7. (ſi *μία* ſit *prima*, & non *una*) idque Pauli diſceſſus cauſa. Sed nolle ſe eſſe difficilem quoad hunc locum, ſi modo inde præceptum illo die præ alio conveniendi, non exſculpatur. Probe ſemper mandatum Apoſtolicum a praxi Apoſtolica diſtinguendum: non omnia, quæ Apoſtoli fecerunt, eſſe nobis normam ita faciendi, ſed quæ præceperunt: alias ad Sabbathum Judaicum, & alios feſtos, ex ſimili praxi, Act. II, 1. XIII, 14. 44. XVI, 13. XVII, 1. 2. XIIX, 4. nos eodem modo obligatum iri.

Ib. v. 26. Per *τὴν ἡμέραν ἐγγίζουσαν* intelligit diem excidii reipublicæ Iſraeliticæ, Hierolymæ veteris ac templi (ut anteambulonem initium & partem adventus Chriſti ad judicium ultimum) qua Dominus Jeſus exhibuerit quidem gratiam Eccleſiæ in ea liberanda a jugo & perſecutione populi carnalis, ſed judicium exercuerit in hoſtes præcipue rebelles Judæos, quibus dies illa terribilis eſſet. f. 176.

Ib. v. 27. De *illa voluntaria apoſtaſia* hic agere Apoſtolum contendit, qua quis videns confeſſionem Chriſti (in qua olim exultaverat, dum putabat eſſe convenientem ſuis concupiſcentiis ac deſideriis) adverſari amori mundi, deſideriis, ratiociniis, & conſiliis ſuis, ab ea voluntarie, ex odio in veritatem agnitam, & ex libidine eam deſtruendi & oppugnandi deficit, & abjecta ſpe ac confeſſione fidei ad priſtinam converſationem redit. f. 177.

Ib. v. 37. Quia Hebræos id maxime ſolari poterat, cum dicitur *ἔτι μικρὸν ὅσον ὅσον*, illum adventum primario indigitari Autor exiſtimat, quo Chriſtus abolevit, & exuit principes legales ſeculi prioris, templum & politiam Judaicam deſtruxit, & omnibus manifeſtum fecit, ſibi ſoli regnum in Eccleſiam relictum eſſe, neq; ſe velle Eccleſiam ſuam amplius ſub legislatoribus eſſe. f. 186.

Cap. XI. 4. Adamum & Evam, quos in Catalogo fidelium, ad Abrahamum, Hebræorum Patrem, feſtinans Apoſtolus omiſit, a fide propterea excluſiſſe negat, cum fidem ſuam Adam teſtatus fuerit appellatione, qua vocaverit nomen uxoris ſuæ *Evam*, quia illa *mater* f. 194.

facta est omnis viventis, Gen. III, 24. non tam naturalem generationem omnium ex Eva natorum hac denominationis ratione intendens, cum ex illa magis mortuorum, quam viventium mater facta sit; sed sub כל חי *omni vivente* simul comprehendens *semen mulieris*, Messiam, qui vitæ fons est & vivificat, & omne vivens, propter ipsum semen mulieris, vivificatum. Mulieris autem fidem probat ex eo, quod primogenitum enixa dixerit: *acquisivi virum Jehovah*, natum ex se Cainum, ut argumentum & signum considerans filii hominis & seminis mulieris postea oriundi: quod cum per fidem sibi sisteret, ut præsens interpretata fuerit.

f. 195. Ib. v. 4. Quæritur: *Quomodo Jehovah ad munus Abelis respiciens testatus fuerit, illud præ Caini dono sibi placere?* Respondet Hoëkius: *testimonio externo*, quod uterque observare potuerit, Deum hoc testatum fuisse, illudque testimonium fuisse vel *ignem cœlitus delapsum*, qui sacrificium Abelis consumserit, Caini dona non consumserit; vel *Angelum Jehovæ*, *Filium Dei*, qui ad Abelem locutus in flamma ignis ascenderit. Priorem sententiam ex Lev. IX, 24. 1. Chron. XXI, 26. 1. Reg. XIIX, 24. &c. posteriorem ex Judic. VI, 21. XIII, 20. probabilem facere satagit.

f. 198. Ib. v. 6. *Credere Deum esse*, non notare dicit τὸ γνωστὸν τῦ θεῦ, Rom. I, 19. 20. ad quod non requiratur revelatio verbi, sed credere Deum esse talem, qualem se esse testatur in verbo, nempe ipsum esse sufficientem, ut possit esse Deus peccatoris in Filio, & in hoc demonstrasse justitiam, ut salvis virtutibus omnibus, & sine abnegatione ullius earum, per misericordiam sit Deus justificans ex fide improbum.

f. 210. Ib. v. 21. Apostolum LXX secutum cum Mose ita conciliat, ut dicat, Jacobum senem, sedentem in lecto, & baculum manu tenentem adjurasse Josephum, ut sepeliret se in Canaane, peracto jurejurando, sese convertisse ad preces, capite reclinato super lectum, & innixum baculo.

f. 217. Ib. v. 29. Mosen & fideles in Israele observat *mysterium* in transitu maris rubri vidisse, & habuisse symbolum communionis mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi ad justitiam & transitum per mortem, submersis impiis, ad vitam æternam.

f. 222. Ib. v. 37. Retinere mavult communem lectionem ἐπειράσθησαν, quam Bezæ, substituentis ἐπυρώθησαν, *ustulati sunt*, nec ejus ratione move-

movetur, quod istud de *tentatione*, post acerbissimarum pœnarum capitalium commemorationem, non quadret: cum tentatio per minas, promissa, pœnas, quas ante oculos videmus, ipsa morte quandoque sit gravior, ut ita recte interseratur reliquis malis; deinde tentatio hæc referri possit ad præcedentes vexationes, ut sensus sit: *Omnibus his & aliis modis tentati sunt.*

Ib. v. 40. Patres consummatos esse scribit post mortem, quando sunt liberati a carne, a lege, a peccato, & gloriam cœlestem adepti: ipso actu consummatos fuisse in Christo, salutis capite consummato: majorem gloriæ & gaudii gradum tunc consecutos esse atque ita majorem consummationem. f. 225.

Cap. XII. v. 8. Cum sint vere pii, qui non castigantur, & tamen sunt Filii Dei, Apostolum, ait, non simpliciter in eo ponere signum Filii Dei, quod affligatur, sed in eo, quod si affligatur, disciplinam Dei sustineat, improbi contra parum curent afflictiones. f. 236.

Ib. v. 9. Per τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας non modo cum Coccejo intelligit eos, quibus subeiant Hebræi, *Scribas* & *Pharisæos*, sedentes in cathedra Mosis, & judicia in transgressores legis exercentes, imo leges & præcepta sua superaddentes; sed & *Parentes Hebræorum in genere*, quia non modo dicuntur Patres, sed & *carnis patres*, imo *carnis nostræ patres*, & opponuntur Deo Patri Spirituum. f. 237.

Ib. v. 21. Cum verba Mosis: ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος, in ejus historia non legantur, Apostolum ea habuisse conjectat, vel ex traditione inter Judæos recepta, vel ex speciali revelatione Spiritus S. vel potius ex analogia loci, Exod. XIX, 19. f. 249.

Ib. v. 22. Accessum Hebræorum ad myriades Angelorum de ἀνακεφαλαιώσει eorum cum Angelis Eph. I, 10-22. exponit, qua sub N. T. non amplius illis ut θεοῖς λεγομένοις, 1. Cor. IIX, 5. subjecti erant, sed ut fratribus & conservis meris associati, Apoc. XIX, 10. f. 252.

Ib. v. 24. Veteres accessisse docet ad adspersionem sanguinis pecudum, ad aspersionem sanguinis Christi non venisse: salvatos esse ex sponsione Messiæ: non vidisse sanguinem Christi fusum, h. e. obedientiam præstitam, nec expertos fuisse effecta sanguinis fusi, i. e. remissionem & ἄφεσιν in summo gradu. f. 254.

Ib. v. 26. In Vaticinio Haggæi *terram* de politia populi Judaici in terra Canaan; *Cœlum* de regimine Ecclesiastico per Seniores, qui dicun- f. 258.

dicuntur *Elohim* Pſal. CXXXII, 6. exponit: Hinc *movere terram & cælum* ipſi eſt diſſolvere politiam Judaicam, principes ſeculi prioris abolere, omnia mobilia V.T. Canaan, Hieroſolymam, templum, ſacerdotes tranſponere, ne amplius ſint, Judæos ſeparare ab eccleſia & regno Dei, eos indurare, terram & omnia quæ fuerunt in terra anathemate percutere, per ſceptrum oris ſui, h. e. per verbum evangelii, ut in ea non ſit templum & reſpublica, ut conculcetur a gentibus, & nomen Dei ibidem non audiatur amplius.

f. 264. Cap. XIII. v. 2. Ex Gen. XIIX. cum pia antiquitate colligit, Deum trinunum in imagine trium virorum, ſive Trinitatem adorandam in ſpecie viſibili apparuiſſe Abrahamo. Duos autem ait ex Trinitate ſub tribus viris iſtis latente, bene potuiſſe dici Angelos, Gen. XIX, 1. propter œconomiam miſſionis, *Filium Dei* puta & *Spiritum S.* cum ipſe Meſſias, Eſa. XLIIX, 16. dixerit: *Et nunc Dominus Jehova miſit me, & Spiritum ſuum.*

f. 268. Ib. v. 7. Ἡγούμενοι *Duces* Autori ſunt Prophetæ, Apoſtoli, Evangeliſtæ, qui ſic dicantur a ducendi ſeu adducendi munere, quod multos adduxerint ad Deum exemplis & verbis ſuis. *Recordari eorum* eſt illorum ſermonem recipere, non ut ſermonem hominum, ſed ut ſermonem ipſius Dei: Scripta ipſorum honorare, conſulere, meditari, amare, juxta hæc fidem & charitatem exercere, iis ſolis inhærere, ne latum unguem ab iſtis recedere.

f. 296. Ib. v. 8. In aphoriſmo Apoſtolico: I. X. χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, τὸ *Heri* dicit eſſe tempus promiſſionis; τὸ *Hodie* tempus Teſt. Vet. in cujus fine ſcripſerit Apoſtolus; *Secula* tempus Novi Teſt. In his temporum differentiis eſſe JESUM CHRISTUM eundem: nec enim mutari objectum *prophetiæ*, cum omnes Prophetæ Jeſu teſtimonium dent; nec objectum *fidei*, cum Patriarchæ ſub promiſſione, & Patres ſub Vet. Teſt. in illum crediderint, & omnes fideles in ſecula in ipſum credituri ſint. Et huc non male referri putat locum Apoc. I, 8. ubi Chriſtus dicat de ſe, ὁ ὢν, *qui eſt*, ante jacta mundi fundamenta Sponſor, & talis eſt nominatus ac creditus ſub promiſſione, καὶ ὁ ἦν, *qui erat*, V.T. tempore, ferens illos fideles per interceſſionem, Eſ. LXIII, 9. καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui venit* in carnem, qui venit quotidie ad ſalutem ſuorum & judicium inimicorum, usque dum veniet ad extremum judicium.

Ib. v.

Ib. v. 10. Alluſione ad altare vetus manuduci nos obſervat ad Chriſtum, qui *Sacerdos* ſit juxta utramque, *Victima* & *Sacrificium* ſecundum humanam, *Altare* quoad divinam naturam, quæ valorem & dignitatem conciliet victimæ; ut edere ex altari Chriſto ſit in ipſum credere, unum cum eo fieri, unionem cum illo habere. f. 272.

Ib. v. 13. 14. Hebræos excitari dicit ab Apoſtolo, ne amplius ſerviant tabernaculo, ſed exeant extra caſtra, Hieroſolymam urbem relinquant, & ſola fide absque lege ad Jeſum accedant: cum urbs illa non ſit manens civitas, ad quam in cultu ſit reſpiciendum: adeoque *futuram* inquirant, quæ eſt *Hieroſolyma cœleſtis, Civitas Dei vivi*, Heb. XII, 22. h. e. Eccleſia N. T. quatenus vel eſt in terris, inque unam ſummam redacta cum cœleſtibus, vel jam conſummata in cœlis ex Spiritibus juſtorum conſummatorum conſtans. f. 276.

DE ARCANO KETHIB ET KERI Libri duo, authore Matthæo Hillero, Logic. Metaph. & Lingg. Oriental. in Academia Tubingenſi Profeſſore publico.

Tubingæ apud Georg. Wilhelm. Kühn, 1692. in 8. Alph. 1. pl. 10.

Illud quod Philologos æque ac Theologos hactenus, a tempore Eliæ Levitæ Judæi Germani, & usque maxime exercuit, controverſia fuit de punctorum & accentuum Hebraicorum cum ipſis literis coævitate, & quæ ex hac ſequitur, Sacræ Scripturæ Hebrææ authentia; aliis eam impugnantibus, quos inter primas tenet Ludovicus Cappellus, aliis ex adverſo acerrime defendentibus, e quibus cumprimis laudandi Buxtorfii, & alii. Cumque argumentum primarium & Achilleum ferme, quod pro punctorum novitate in aciem Cappellus cum aſſeclis duxit, a Notis marginalibus Maſorethicis, inordinatas voces ipſi textui Hebræo inſertas reſpicientibus, quas hiſce junctas dicunt קרי & כתיב, petitum ſit; a variis varia ejus tentata fuit ſolutio, pluresque de כתיבן & קרין authorum ſubnatæ ſententiæ. Aſt harum nulla ſe ſatis clariſſimo Hillero commendavit. Quare a primo rem ordiri ovo, novumque ſyſtema diſciplinabile de his Maſoretharum circellis fabricare tentavit, quo eorum redditis rationi-

Digitized by Google

bus omnes hinc ortas difficultates ſuperari, moliminaque adverſus ſanctum textum Hebræum mota feliciter averti poſſe ſperat.

Hoc ipſum opus in duos diſpeſcuit libros, quorum priori artis tradere leges laborat. Siquidem poſt præmiſſam Maſoræ, ejus hypotheſi conformem definitionem, KRI pariter ac KTHIBH deſcribit, monſtrato ſimul univerſali כתיבן omnium fundamento. Nempe accidiſſe, ut Eſdras volumina ſacra bis & amplius exarando, inter deſcribendum vocem aliquam in aliam *ισοδύναμον* permutarit, quod deinde Viri ejus ætatis docti, quibus lingua Hebræa adhuc vernacula erat, obſervantes, nota aliqua ſymbolica, qua utramque ſcriptionem Lector ſcire poſſet, ſignarint. Id ipſum vero eo putat modo factum fuiſſe, ut ſymboli literis ad unius, aſt vocalibus ad alterius exemplaris lectionem reſpexerint: v. g. unum Eſdræ autographum in Jerem. c. XIIX. v. 22. habuit שְׂחָחָה, alterum שְׂחָחָה, ex quibus binis vocabulis unam conflarunt notam ſymbolicam שׂחחה, cujus literæ collimant ad codicem habentem שְׂחָחָה, vocales vero ad lectionem שְׂחָחָה, eodem utrobique manente ſenſu. Hinc KTHIBH ipſi duplex eſt: *effabile*, cujus elementa per ſe conſtituunt vocem regulis linguæ congruentem, ut Thren. IV, 3. תנין כ' *Dracones*, תנים ק', & *ineffabile*, quod conflatur ex duabus lectionibus diverſarum vocalium, quæ a contiguis literis abhorrent, ut פָּקְחוֹת Dan. IX, 18. Pariter KRI facit vel *literale*, cujus literæ intus exſtant in textu, puncta vero foras in margine, vel *vocale*, cujus literæ foras in margine, vocales intus in textu; & oſtenſo vocul marginalis יתיר uſu genuino, quæ lectio præ altera prærogativam habeat, ejus codicem litera A notat, alterius B ſignato. His jam ceu fundamentis jactis, id porro agit, ut regulas tradat, quibus uſi ſint Maſorethæ in concinnandis ſymbolis, inſperſis ubique exemplis æque *effabilis KETHIBH*, ac *ineffabilis*, explicatisque ſymbolis etiam vocum obſcœnarum. Poſtea ad alia ſimilis argumenti ſe accingit, reddendo rationem connexionis vocum disjungendarum, & disjunctionis conjungendarum, translationis item literarum ſerviſium in alterutra lectione, & abſentiæ vocum, literæ, aut punctorum in altero codice; pariter inquirendo in cauſam ob quam una litera reliquis vel major ſit vel minor, vel alias quoad figuram mutata ſit. Ultimo poſt annotata quædam de lectione nominis ירושלם,

Digitized by Google

ירושלם, ſcriptionum item compendiis & pronunciatione vocis יהוה, finem imponit libro priori, computatione facta קרין שׁוֹן & כתיבן.

In Poſteriori ante omnia recenſet ſymbola lectionum INEFABILIA, ſuperiori libro nondum explicata; & quidem vel in *genere* ea, quæ ſcribuntur literis trajectis, ut לְזַוָּעָה, Jerem. XV, 4: vel in *ſpecie*, non minus nominum perfectorum, quæ ejusdem originis diſcrepant punctis, aut vav מלא & חסר, quibus annectit formarum Chaldaicarum varietatem, & fœmininorum a perfectis venientium formas varias; quam imperfectorum ſecundum Anomaliarum numerum. Additis præterea nominibus ex diverſis natis conjugationibus, punctis item diſcrepantibus, pronominum varietatem quoque conſiderat, eamque tum ſeparatorum, tum affixorum & literarum paragogicarum. Poſtea contemplatur lectiones nominum diverſarum quidem originum, quæ tamen in orationis contextu eandem ſententiam exprimunt; & vice verſa, quæ ejusdem originis forma differunt, ſecundum varia accidentia grammatica verborum regularium juxta & anomalorum. Tandem monitis quibusdam de præfixo vav in altero verbo abſciſſo, pariter de affixis, monſtrat, quomodo ad formam Veterum alia nova כתיבן fabricari poſſint, finitque opus facta, poſt oſtenſam ejus utilitatem, & traditam genuinam כתיבן orientalium ſcriptionem, enumeratione vocum in lexicis & concordantiis omiſſarum.

JACOBI THOMASII, PROFESSORIS Lipſienſis, Diſſertationes LXIII varii argumenti, magnam partem ad Hiſtoriam Philoſophicam & Eccleſiaſticam pertinentes, antea a beato auctore in Academia Lipſienſi, intra quadraginta circiter annos, per modum PROGRAMMATUM, *ſeparatis foliis publicatæ, nunc conjunctim editæ.*

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Jo. Friderici Zeitleri,
Anno 1693. in 8. Conſtant plagul. 48.

QUem ingentem eruditionis theſaurum comparaverat ſibi JACOBUS THOMASIUS noſter, Vir celeberrimus, eum

graviſſimis ſcriptis, ſicubi calami ipſius operam officii ratio poſcebat, vel cæteroquin ipſe orbem literarium ſibi cupiebat obſtringere, inferre ſolebat. Non loquuntur id ſolum ipſius *Præfationes* ſub auſpicia Diſputationum ſuarum in Academia hac recitatæ, quas anno 1682 p. 51 recenſuimus, ſed & *Orationes*, de quibus anno 1683 p. 152 verba fecimus: ut de aliis non dicamus, quæ Actorum horum tempora præverterunt. Nunc tamen teſtimonio ulterius eſſe poſſunt ejus *Programmata*, diverſis temporibus ſeparatim, jam vero ab ipſius filio primogenito, Chriſtiano Thomaſio, Viro conſultiſſimo conjunctim edita, quæ multivaria eruditione referta eſſe admodum, ex facili cognoſcet Lector. Sexaginta tria ſunt ejusmodi comparata, ut neminem non in iis inventurum exiſtimemus, quod ſuis ſtudiis conveniat. *Theologiam* enim & *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* excolentibus inſervient, quæ *n. 4 p. 3* de Myſterio SS. Trinitatis & in eo Spiritu S. Gentilibus ignoto; quæ *n. 11 p. 98* de origine cultus Angelorum ſuperſtitioſi; *n. 13 p. 118* de triumpho Chriſti; *n. 20 p. 194* de vetuſto ritu pœnitentiæ ſolennis; *n. 21 p. 210* de Pontificiorum riſu Paſchali; *n. 22 p. 225* de Chiliaſmo & Chiliaſtis; *n. 23 p. 236* de opere ſanctificationis; *n. 30 p. 111* de legenda S. Catharinæ; *n. 37 p. 411* de Jo. Salhuſio, teſte veritatis; *n. 37 p. 423* de quatuor animalibus Ezechielis; *n. 40 p. 451* de Antichriſto mixto; *n. 43 p. 494* de legenda S. Michaelis Archangeli; *n. 44 p. 505* de Seculo Spiritus S.; *n. 45 p. 521* de partu Virginis; *n. 47 p. 549* de fictis reliquiis ſanguinis Chriſti; *n. 56 p. 660* de definitione & officiis S. Angelorum; *n. 60 p. 701* de excidio mundi, Chiliaſtis, & morte hominis commentatur. *Medicos & rem Phyſicam curantes* juvabunt, quæ *n. 14 p. 247* de Medicis, & quæ *n. 8 p. 72* de florum laude ſeria & vituperio jocoſo diſſeruntur. Ad *Philoſophiæ* ſtudioſos ſpectant, quæ *in genere n. 14 p. 124* de Philoſophia, quod ſit meditatio mortis; *n. 34 p. 368* de ſeptem artibus liberalibus; *n. 56 p. 647* de vocabulo Philoſophiæ afferuntur. In ſpecie *Philoſophiam practicam* illuſtrant, quæ *n. 7 p. 60* de primis rerum originibus; *n. 9 p. 82* de comitiis; *n. 12 p. 104* de mediocritate circa ſtudium gloriæ; *n. 17 p. 168* de divitiarum valore circa nobilitatem; *n. 19 p. 184* de ſtatu naturali adverſus Hobbeſium; *n. 61 p. 113* de hominis verſus hominem officio angelico dicuntur. Ad *Oratoriam* facultatem referenda ſunt, quæ *n. 1 p. 1* de utilitate

litate declamationum, & quæ *n. 51 p. 285* de vera linguæ Germanicæ eloquentia disquiruntur. Sicuti ad *Poeticam*, quæ *n. 63 p. 730* de occultis poeticarum fabularum sensibus habentur. Inprimis *Historiæ philosophicæ* studiosi reperient, quæ in rem suam convertant. Talia sunt, quæ *n. 2 p. 11* de intellectus humani comparatione cum tabula rasa; *n. 28 p. 290* de intellectu agente; *n. 32 p. 347* de quæstione, an Gentiles in anima mundi agnoverint Spiritum S. fusius deducuntur. Ad *historiam civilem* & *literariam* pertinent, quæ *n. 5 p. 40* de laudibus Jo. Georgii I. Electoris Saxoniæ; *n. 23 p. 364* de laudibus Jo. Georgii II. Elect. Sax. *n. 52 p. 596* de Diis Germanorum adversus Cluverium; *n. 46 p. 536* de vetusto ritu creandi Baccalaureos; *n. 53 p. 608* de Hieronymo Kromayero Theologo Lipsiensi, consignavit. Horum Programmatum argumenta si quis ex indice isto cognovetit, non poterit non ad illa ipsa perlegenda invitari.

DISCOURSES ON SEVERAL TEXTS of Scripture.

i. e.

Dissertationes in varios S. Scripturæ Textus, authore Henrico Moro S. Th. D.

Londini apud Br. Aylmer, 1692. in 8. plag. 32.

CLarissimum Authoris nomen commovit nos, ut harum mentionem faceremus Dissertationum, quæ partim sermones fuerunt ad populum, partim exercitia in collegio privata. Sunt autem loca Scripturæ S. paucis omissis sequentia.

Ex *1. Petr. II, 11.* Author pro sublimi suo, quo in Theologia mystica polluit, sensu, docet animæ παρεπιδημίαν, & cum voluptate bellum: nam πᾶσα ἡδονὴ καὶ λύπη συγκλοῖ τὴν ψυχὴν τῷ σώματι: prout ex *Platone*, juxta Scripturam, eleganter confirmat. p. 27.

Ex *Matth. VI, 22. 23.* tradit, quæ sit inter oculum corporis & rationem animæ analogia; atque sicuti purus & simplex illuminat corpus, ita requiratur in ratione integritas. Hinc gentilium votum: ὦ Φίλη ψυχὴ πότε μία ἔσῃ καὶ γυμνὴ καὶ ἁπλῆ; & *Antonini* illud: ἁπλωσον σεαυτὸν. 74.

95. Cum *Prov. I, 7.* consentire dicit illud *Trismegisti: εὐσέβῃ δὲ τέκνον, ὁ γὰρ εὐσεβῶν, ἄκρως Φιλοσοφεῖ*: argute deinde mon-
97. strans, quomodo Deus discipulis suis primo timorem inducat, atque probet eos; sicuti fecit Israeli, Deut. VIII. Non enim commorari sapientiam Divinam cum hominibus peccatis immersis; & quanquam sapientes aliquando videantur terrigenæ irregeniti, esse tamen
114. sapientiam eorum instar *Nili*, qui Straboni quidem sit *Διοπετὴς ποταμὸς*, dicatur tamen quasi *νέα ἰλὺς*, a limo, quem semper novum terræ inducit.

141. Ad *Joh. IV, 31-34.* tradit, quam genuine animæ cibus seu pabulum dicatur esse voluntas Dei; & ex cibi effectis, quæ sunt hominis sanitas, incrementum, robur, saporis suavitas &c. probat eadem animæ rationali ex voluntate Divina, si eam perfecerit, accedere.

158. Ex *Jacob. I, 22.* vitam spiritualem ex verbo Dei non solum gigni docet, verum etiam sustentari atque perfici ope regenerationis,
160. & continuæ nutritionis, 1. Pet. II. 2.

192. Verbum עני *Prov. XV, 15.* cum Symmacho statuit pauperem denotare; non tamen quemvis, sed qui Apoc. III, 17. describitur; & huic angores esse comites perpetuos, aut lætitiam brevem & interruptam.

227. Ex *Psalm. XVII. ult.* has format propositiones: 1. Immersionem animæ in vitam corporis, hujusque seculi amorem (in quibus Author putat consistere terrestris Adami imaginem) esse quasi somnum vel mortem animæ: (*adeoque irregenitum noctambuloni facit simillimum.*) 2. Nihil posse in hac terrena vita satisfacere animæ, quoniam sit tantum torpor & mortis umbra. 3. Ex his expergisci & veram agere animæ vitam, esse recuperationem imaginis Divinæ, vel resurrectionem in Christo secundum Spiritum. 4. Hanc mysticam in Christo resurrectionem esse unicam solidamque fruitionem, qua animabus fidelium etiam in hac satisfiat vita. 5. Viam, qua huc pervenitur, esse justitiam seu integritatem cordis.

De Eleemosynis ex *Hebr. XIII, 16.* observat, dici Sacrificia Deo accepta: hinc concludens, solius Dei intuitu erogandas esse, veluti sacrificia ei soli offerenda erant: nullo inde sperato lucro vel gloria. Nam, Maimonide asserente: *quisquis utilitatem aliquam ce-*
360. *perit ex re sanctificata, pro prævaricatore habetur.* Et licet pau-

peres

peres participent de eleemosynis, esse tamen earum largitionem officium prima legis tabula injunctum: nam quod pauperes inde participent, esse tantum instar ignis, oblationes consumentis. Præterimus hic elegantem eleemosynarum cum victimis, molis & libaminibus comparationem: cum holocaustis item, hostiis pacificis, & hostiis pro peccatis. 349. 353. 356.

De Regeneratione docet ex *1. Pet. I, 22. 23.* non esse levem animæ tincturam, seu qualitatum quarundam dotem, sed procedere ex substantiali principio, quod potenter agat in hominis animam, quemadmodum in corpus agit anima: imo esse regenerationem ἐντελέχειαν animæ, prout anima est ἐντελέχεια corporis. Neque rationi adversari, ut plures subordinatæ formæ in uno sint corpore, Philosopho id minime diffitente: ternarium enim numerum non fieri, si demas quicquam a binario, verum si addas. Et sicuti aerem permeat lux, ita piorum animas permeare Dei Verbum essentiale. 406.

Spiritualem resurrectionem, seu animæ vivificationem, non solum ex *Coloss. III, 1.* verum etiam ex illis Christi, *Joh. V, 25. XI, 25. 26.* probat. 450.

Amorem quem debemus hominibus singulis, dicit esse 1. *complacentiæ*; unde nulli impii diligendi: 2. *benevolentiæ*; unde hostes diligendi: 3. *beneficentiæ*. Prima requirit, ut pura sit charitas, nec aliorum contaminetur vitiis; posteriores duæ, ut divinam imitemur bonitatem. Omnes autem sunt amandi sicut nos ipsi; proportione Geometrica, non Arithmetica: videlicet, omnes pro ratione boni, quod ipsis a Creatore inest, amari debent, adeo ut neque pagano denegemus charitatem, si virtute sit præditus; & deinde etiam plus quam nosmet ipsos amemus, quos videmus Dei gratia nobis meliores esse. 459. 471. 473.

Hæc ex eruditis istis meditationibus adducere libuit; illis, qui scire volunt, quomodo clarissimus Author Platonicorum placita homiliis immiscuerit suis, ad ipsum libellum remissis. Neque dubitamus, quin ibi reperturi sint Philosophiam suavissime (non vero, ut a quibusdam fieri solet, morose) ancillantem Theologiæ.

NOVA

NOVA LITERARIA EX HOLLANDIA.

TYpis propediem committetur vita Claudii Salmaſii, a cive ejus *Lamario*, Senatore, dum viveret, Divionenſi compoſita. Dordraci præla exercent *Franciſci Junii* de pictura libri, infinitis augmentis & inedito altero tomo de veterum artificum operibus amplificati. *Johannes Georgius Grævius* occupatus eſt in edendis Orationibus Tullianis, quarū primus tomus proxime in lucem proditurus eſt, perinde ac primus tomus Theſauri Antiquitatum Romanarum. In Ejusdem manus felici fato pervenerunt Inſcriptiones antiquæ aliquot millę ineditæ, quas *Marquardus Gudius* multo ſtudio collegerat, & nunc Grævius, quod ſperant & optant merito omnes, luce publica donabit. Græcas nonnullas Inſcriptiones ex Aſia nuperius accepit *Gisbertus Cuperus*, quas commentario illuſtratas publici facturus eſt juris, ſimul ac per occupationes, quas Reipublicæ impendit, ultimā iis poterit imponere manum. Satis grandi etiam Græcorum rariſſimorum nummorum ex iisdem oris copia *Jacobus de Wilde* potitus nuper eſt, qui nec numero, nec præſtantia iis cedunt, quos cum Orbe Erudito ſuperiore anno communicavit. Comparebit brevi Diſſertatio Chronologica, ſed cui multa erudita ſunt aſperſa, *Alberti Rubenii* de Mallio Theodoro, cujus conſulatum celebravit Claudianus, quemque Maniliani Aſtronomici auctorem eſſe cenſuit olim Gevartius. *Jacobus Perizonius* Leidenſis nunc Athenæi Doctoribus eſt adſcriptus, cujus Oratio Inauguralis brevi publicabitur. *Stephani Atorini* Diſſertationes de linguis brevi in publico verſabuntur. Dactyliothecæ *Gorlæi* novam editionem moliuntur Leidenſes, cui aliæ accedent gemmæ tam editæ quam ineditæ. *Janus Bræchuſius* in Propertio perpoliendo, quem a teneris annis amavit, & imitandum ſibi propoſuit, deſudat.

Intra octiduum publicabitur Sectio II. Tomi II. Supplementorum.

ERRATA.

In Actis menſis Junii pag. 248. lin. 17. pro EL lege FL. p. 256. l. 16. pro *ac* lege *at*. Ibid. l. 24. pro *hoc* lege *huc*. Plagulis Kk, Ll, Nn, numeri paginarum perperam ſunt adſcripti, eoque corrigendi.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M DC XCIII.

CORPORIS HUMANI ANATOMIA, in qua omnia tam Veterum, quam Recentiorum Anatomicorum Inventa methodo nova & intellectu facillima describuntur, ac Tabulis æneis repræsentantur. Authore PHILIPPO VERHEYEN, *in Universitate Lovaniensi Professore Regio.*

Lovanii, apud Ægidium Denique, 1693. in 4.

Constat plagulis 41. & Figurarum Tabulis 30.

Quamplurimos nostro cumprimis seculo in Anatome utilissima provehenda eaque scriptis illustranda certatim desudasse, nemo facile eorum, qui Arti laudatæ strenuam navant operam, ignorabit. Neque *Clariss. Autor* noster id ignoravit, integrum tamen Anatomiæ systema hic componere dubitavit nullus, quod necessarium omnino sibi videretur Juventuti eodem stylo ac selecto ordine proponi, quæ a diversis Anatomicis celeberrimis, unam aut paucas tantum corporis nostri partes accuratius evolventibus, detecta fuerunt; tale quid nihilominus vel oscitanter, vel saltem imperfecte, a Modernorum aliis esset præstitum. Anatomes autem definitione, corporisque humani divisione in truncum & artus explanatis, structuræ partium evidentius extricandæ initium capessit a partibus simplicioribus, similaribus vulgo dictis, Fibris videlicet, Ossibus, Cartilaginibus, Membranis, Ligamentis, Arteriis, Venis, Vasis lymphaticis, Nervis, Carne, Glandulis & Musculis; quia hæ partes ad aliarum constructionem fere ubique con-

ad Lectorem.

Procem.

Tractat. I.

p. 16. currant. In glandularum texturam inquirens, eum Argo oculatiorem reputat, qui ex minimis ſolummodo arteriarum, venarum, nervorum & lymphaticorum ramuſculis coagmentatas easdem valeat perſpicere; aliud ſiquidem a glandularum mole atque in pecudibus ſaporum diverſitate ſubinnui, neceſſarioque ſpecialem aliquam ſubſtantiam requiri, dictos quæ ramuſculos quodammodo colliget

Tract. II. & in ſitu convenienti detineat. Hinc ad partes infimi ventris, Cuticulam, Cutem, Pinguedinem, Membranam muſculoſam, abdominis Muſculos, Peritonæum, Omentum, Ventriculum, Inteſtina, Meſenterium, Venas lacteas, Cyſternam, Ductum thoracicum, Pancreas, Lienem, Hepar, Veſiculam fellis, Renes, Capſulas atrabilarias, Veſicam urinariam, Urethram, & generationis Organa, tum Viro-

p. 24. rum, tum Fœminarum, nec non Secundinas, facit acceſſum. Cuticulam non tam ex fibris, quam ex materia viſcoſa a ſubjectis partibus exhalante & per compreſſionem corporum incumbentium coercita reſultare, ob promtiſſimam ejusdem cuticulæ regenerationem autu-

p. 35. mat. Præcipuum omenti uſum aſſerit inteſtinorum motui inſervire, i. e. inteſtinis omnibus, nunc repletis, nunc exinanitis, ſeſe æ-

p. 42. qualiter, vel accedendo, vel recedendo, accommodare. Inteſtini cœci, veluti craſſorum primi, titulo non tam appendicem vermiformem, quam cum Veteribus illam globoſam inteſtini craſſi partem, quæ ab inſertione inteſtini ilei deorſum pendet, ac in dextra ilei regione ſita renique ejusdem lateris annexa habetur, deſignat. In-

p. 71. 72. hepate bovino ductus cyſt-hepaticos, inſertionis ratione potius hepati-cyſticos denominandos, conſignat quatuor, modo tribus, modo

p. 117. quatuor oſculis diſtinctis in fellis veſiculam hiantes. Nervos dari umbilicales, ab Anatomicis hactenus neglectos, duplici argumento perſuadere nititur: partim, quod a lateribus venæ umbilicalis corpora quædam albicantia & duriora, nervis plane affinia, per totum funiculum adinſtar fili excurrant, ac circa ingreſſum in placentam uterinam, æque ac nervi in pluribus partibus, ſenſim occultentur & quaſi evaneſcant; partim, quod placenta de glandularum natura maxime participans, non minus ac aliæ glandulæ ſpirituum affluxu

Tract. III. propter materiam ſequeſtrandam indigeat. Mox Thoracis luſtrat partes, Mammas puta, Diaphragma, Pleuram, Mediaſtinum, Thymum, Pericardium, Cor, Tracheam, Pulmones & Oeſophagum. In

inſpi-

Digitized by Google

inſpiratione poſteriorem diaphragmatis muſculum, intuitu proceſſuum duorum e duplici muſculo conflatum, deorſum; muſculum vero diaphragmatis anteriorem, ob cohæſionem cum coſtis & ſterno, ſurſum moveri annotat. Ex eo, quod *Bartholinus* thymum in recens natis lacte turgidum, ac *De Graaf* limpido humore plenum obſervarint, oppido ſuſpicatur, a thymo diverticulum præberi chylo per ductum thoracicum copioſius advenienti, ne nimis affatim ſanguini admixtus debilem hujus in infantibus lædat fermentationem; inde in adultis, quorum alimenta ſolidiora ſanguisque validius fermenteſcit, thymum plane diminui. Venam pariter, atque arteriam, aſſeverat bronchialem, licet exortum ejus nondum ſatis exploratum habeat; interim quam *Bourdon* immediate a vena cava ſuperiori prodeuntem depinxit, in ove communem cum vena coronaria cordis originem habuiſſe advertit. In œſophago, e duplici quaſi tubulo coagmentato, præter interiorem cruſtam villoſam, quinque numerat tunicas: membranoſam, muſculoſam, vaſculoſam, glanduloſam & nervoſam; fibrasque muſculoſæ in gula humana non ſpirales, uti in bovina, ſed longitudinales atque annulares obſervat. Tum ad partes pergit Capitis, Pilos nempe, Pericranium, Meninges, Cerebrum, Medullam oblongatam, Nervos, Cerebellum, Medullam ſpinalem, frontis & occipitis Muſculos, Naſum, Labia & Buccas, Muſculos maxillæ, Glandulas jugulares, labiorum, buccarum & parotides, Oculos, Aures, Os hyoides, Linguam, Glandulas maxillarum, ſublinguales, Uvulam atque Tonſillas. Humorem aliquem beneficio glandulæ pituitariæ ſeparari in duas partes, earumque alteram in venas jugulares, alteram per parvos tubulos excretorios ad os vel nares tranſmitti, conſonum vero exiſtimat. Circa medullæ oblongatæ eminentias, quæ nates & teſtes dicuntur, ſuſpicionem movet, annon monticulorum natiformium munus circa cibi, teſtiformium circa potus appetentiam verſetur; priores namque in bove, ove & ſimilibus animalibus idcirco cum proportione majores videri, quoniam illa victui quæritando fere ſemper intenta ſint, potu vero ſe facile, nec adeo frequenter, repleant; in homine autem easdem protuberantias minores deprehendi, quia ipſe variis rebus occupatus natura de cibo minus ſit ſolicitus; vice verſa eminentias teſtiformes non adeo parvas homini contingere,

p. 125. p. 128. p. 145. p. 149. Tract. IV. p. 175. p. 176.

quod potui magis, quam præfata bruta, vacare ſoleat; easdem itidem partes cerebrum inter & cerebellum ideo locari, quod circa cibi potusque appetentiam actiones naturales & animales plurimum
p. 181. concurrant. Diſtinctionem naſi in internum & externum parvi facit, cum internus naſus vix quidquam præter nervos olfactorios con-
p. 207. tinere videatur. In ſuperiori linguæ plano multas areolas, a ſulcis ſive foſſulis valde irregularibus circumſcriptas, inque areolis tres potiſſimum colliculorum notat ſpecies: quarum primam glandulæ diverſæ magnitudinis, humore ſalivali pro lingua humectanda refertæ, conſtituant, ſecundam vero copioſa corpora dura unguiformia, & tertiam globuli, tanquam guſtus organum, efforment.
Tract. V. Porro connexione oſſium monſtrata, ipſa oſſa in truncum & artus
Tract. VI. diſpoſita, atque Muſculos Humero, Scapulæ, Capiti, Cervici, Reſpirationi, Lumbis & Dorſo, Femori, Cubito, Manui, Tibiæ atque
Tract. VII. Pedi dicatos, conſiderat. Tandem Aortæ, Venæ Cavæ, Venæ portæ & Nervorum diſtributionem edocens, aortam imprimis ad vivum
p. 274. delineari curavit, quo trunci ejus aſcendentis vanitas, arteriarum e diverſo ſubclaviarum & carotidum exortus verus pateſceret, carotide ſiniſtra a ſubclaviarum neutra, ſed ab ipſius potius aortæ flexura utramque inter ſubclaviam prodeunte. Nec minorem induſtriam circa figuras reliquas videtur adhibuiſſe, dum earum plerasque exſculpi fecit novas, paucioribus e *Williſio*, *Lovvero*, *Graafio*, *Blaſio*, *Bidloo*, *Nuckio*, *Blancardo* & *Bourdon* mutuo petitis. Quas ipſas ad inſpiciendas ut Lectorem eo magis alliciamus, duas tantum figuras, quarum altera cordis interiora, altera œſophagi humani ſtructuram detegit, una cum explicatione, huc tranſcribere libuit, cæteroquin hæſitantibus, an *Clariſſimus Autor*, partium uſus breviter hic indigitatos fuſius poſthæc in peculiari de Functionibus libello diducturus, Recentiorum Anatomicorum', e. grat. *Vieuſſens*, *Briggs*, *Ruyſchii*, *du Verney'*, *Schelhammeri* &c. ſcripta evolverit omnia.

(E Tabul. XIII. Fig. 4.)

Cor per utrumque latus ſecundum longitudinem diviſum, & partes cuſpidis a ſe invicem remotæ.

TAB. VI. Fig. 1. A A. Cavitas cordis dextra. B B. Paries dexter. C C. Cavitas ſiniſtra. D D. Paries ſiniſter. E E. Septum intermedium. F. Orificium

Fig. 5.

A

F.

AB. VI.
ig. 2.

Digitized by Google

p. 181

p. 207

Tract.
Tract.

Tract. V

p. 274

TAB. V
Fig.

i-
fi-
m

Digitized by Google

cium venæ cavæ. G. Orificium arteriæ pulmonalis. H. Orificium venæ pulmonalis. I. Orificium Aortæ. K. Lacertuli in dextro Ventriculo. L. Lacertuli in ſiniſtro Ventriculo. M M. Cuspis cordis. N N. Trabes carneæ per cavum ventriculi excurrentes & abſciſſæ, ne ventriculi expanſionem impediant. a a. Valvulæ tricuſpides ante orificium venæ cavæ. b b. valvulæ tricuſpides ante orificium venæ pulmonalis. c. Truncus Venæ cavæ ſuperioris. d. Truncus Venæ cavæ inferioris. e. Truncus Arteriæ pulmonariæ. f. Truncus Venæ pulmonariæ. g. Aorta deſcendens abſciſſa. h. Pars Aortæ aſcendentis.

(E Tabul. XVI. Fig. 4. & 5.)

A A. Muſculus œſophagæus. B B. Muſculi Stylopharingæi. C C. Muſculi Sphænopharingæi. DD. Muſculi Cephalopharingæi. a. Introitus œſophagi. E. Tunica œſophagi extima. F. G. Ejus tunica muſculoſa. F. Lamella ejusdem tunicæ exterior. Ej. Lamella interior. H. Tunica muſculoſa. I. Tunica glanduloſa. K. Tunica nervoſa. a a a a. Tunicæ ſuperiores depoſitæ. L. Superficies interna & villoſa œſophagi. TAB. VI. Fig. 2.

OBSERVATIONES CIRCA VIVENTIA, quæ in rebus non viventibus reperiuntur, cum Micrographia curioſa, oblata Illuſtriſſimo Dno. D. Leoni Strozzæ, excellentiſſimi Ducis Strozzæ filio a P. Philippo Bonanni Soc. Jeſu Sacerdote.

Romæ, typis D. A. Herculis, 1691. in 4.

Conſtat 2½ Alphab. & magno Figg. numero.

QUum doctiſſimus Vir, *Philippus Bonanni*, S. J. Sacerdos, Recreationem mentis atque oculi, in obſervatione animalium teſtaceorum, (de qua Vid. Act. Erud. A. 86. p. 108.) cum literato orbe communicans, priſcorum, præſertim Ariſtotelis, adſtipulatus fuiſſet ſententiæ, qua teſtacea ſponte in limo, ſeu arenoſo loco, naſci decernuntur; anſam arripuit neſcio quis illum compellandi epiſtola Bononiæ impreſſa, quæ ſententiam illam mendacem, temerariam, & falſitatis ab experientia damnatam eſſe affirmat. Suarum

rum ergo partium esse duxit retundere objecta tela, & non solum in epistola, sub nomine Godefredi Fulberti Romæ typis vulgata, ostendere, immerito Aristotelem ejusq; assecias reprehendi, cum ejus sententia æque saltem probabilis sit, ac altera illa recentiorum, quæ a nullo adhuc satis evidenter probata; sed etiam argumentum illud uberius persequi hoc in volumine, quod in tres partes distribuit. Prima atque secunda Dialogi formam referunt, habiti inter Bemarcum Aristotelis strenuum hyperaspisten, Rufum, qui Aristotelica placita fastidiens, eorum cognitione delectatur, quæ sensibus propriis clarissime percipiuntur, & Fulbertum, qui nullius jurans in verba maximam curam veritatis habet; loca vero auctorum, qui vel notantur, vel citantur tanquam testes, in margine libri allegata habentur. Ultima Micrographiam curiosam comprehendit, cui non exiguum additamentum Auctor promittit.

Prima ergo *in parte*, antequam spontaneam generationem exemplis confirmet Cl. Auctor, disquirit, utrum veterum effata nos doceant omnia ex ovo produci, aut ex Scripturæ Sacræ oraculis omnem generationem univocam esse probari possit: ostenditque spontaneam generationem non ab *Aristotele* solum, sed *Harveo* quoque assertam fuisse, quem secus sentientes frustra in suas partes pertrahere laborent; quippe cum ipse *ovum* vocet, quod Aristotelicis materia ad generationem dispositа dicitur, sive hæc ex aliis ejusdem speciei viventibus processerit, sive aliunde advenerit. Ne igitur ambiguitati verborum ullus relinquatur locus, hunc esse dicit controversiæ statum: *Utrum animalia omnia ex ovo proprie dicto, & ab animante ejusdem speciei posito, procreentur, nec ne?* Illud vero cum citra hæsitationem nonnulli affirment, monet, caute pronunciandas esse propositiones universales, cum difficillime probari possint; experimentis, ad quæ ipsi provocant, solis adhibendam non esse fidem, sed monumenta quoque veterum consulenda, nec aliorum solertiam aut fidem, qui se quoque experimentis muniunt, vocandam in dubium; multo autem minus ex inductione particulari universale statim assertum esse deducendum, quia rerum generatio cognitu est difficillima, natura non eodem semper modo operatur, multæque sunt causæ, quæ experimenta reddere possunt incerta. Quapropter licet multa ex ovo nascantur animantia, hinc tamen ait effici non

non poſſe, nulla ſpontaneo generari ortu, præſertim cum vegetabilia quoque non omnia aut ſemper ex ovo ducant originem; id quod ex generatione ſpontanea viſci, vegetatione diverſorum muſcorum, inexpectata generatione Tithymali Myrſinitis ex ramuſculo, qui in terram immiſſus jam emarcuerat, lentium paluſtrium copioſa ſobole, fungis & tuberibus ex fruſtulis plantarum ejusdem ſpeciei pullulantibus, variisque tandem ſitus aut mucoris ſpeciebus plantulas referentibus, confirmare nititur. Porro provocat ad experimenta, quibus cognitum fuit, vermes ſponte naſci in gallis quercuum & fagorum, floribus hyacinthi contuſis & putrefactis, carnibus viperarum, fungisque putrefactis, qui plane ſunt alterius ſpeciei ab illis, qui in fungis recentibus exoriuntur. Quoniam vero ab illis, qui ſpontaneam generationem impugnant, excipi ſolet, quod gallæ ſint morboſæ excreſcentiæ ex humore a muſcis infuſo ortæ, vermesque in illis pariter atque reliquis commemoratis rebus ex ovis prodierint muſcarum eo reconditis, ut vermiculi tanquam in nido conveniens in promtu haberent alimentum, quodque putreſcentia corpora ſollicite a muſcis defenſa nullos vermes parturiant; negat Bonannus, probatum adhuc eſſe, gallas eſſe morboſas excreſcentias aut tumores, cum figuram habeant omnes ſatis regularem, ſingularique natura utatur artificio informando nucleo, qui vermiculum complectitur, quemque Auctor graphice deſcribit. Optat quoque, ut curioſus aliquis naturæ indagator, quercus aut fagi ramos, ex quibus gemmula nondum erupit, in capaces phialas immittat, atque ita hanc de gallis litem experimento dirimat. Vermiculum vero gallarum ex muſcarum ovo non prodire, hinc concludit, quod nec optimis microſcopiis armato oculo ulla in gallis ovula adparent, & unicum ſolum animal ſingulis in gallis gignitur, cum tamen muſcæ multa ſimul ovula excernere ſoleant fœcunda. Gratis porro dici ait, muſcas in verminantibus rebus ovula depoſuiſſe, ut pulli excluſi commodum invenirent pabulum; cum muſcis idem accidat, quod reliquis oviparis, ut eo in loco ponant ova, in quo verſantur, quando tempus pariendi illas urget, ac proinde nonnunquam vermes ex muſcarum ovis in floribus putreſcentibus orti defectu alimenti emoriantur, cumque vermes in ranunculi floribus a muſcis defenſis nati fuerint, qui

non

Digitized by Google

non abierint in aurelias, ſed omnes ſint mortui. Quod autem nonnullis ſpontaneatum generationum experimenta non ſucceſſerint, mirum non eſſe dicit, cùm nec univocæ generationes æque feliciter ſemper procedant, & nonnulli prohibuerint liberum aeri acceſſum, qui tamen ad viventium procreationem quam maxime requiritur, aliis vero impedimentum objecerint temperies aeris non ſatis commoda, locus & tempus non opportunum, aut particularum activarum in materia adſumta defectus. Pluries enim ſe obſervaſſe teſtatur, eandem ob rationem nullum amplius animal gigni in multis rebus putrefactis, poſt primam vermium generationem ſpontaneam, qui ſi a muſcis fuiſſent proſeminati, acceſſiſſent utique deinceps quoque aliæ vel ejusdem vel diverſi generis muſcæ alimentum capientes, termitesque ſuos vel ova ibi reliquiſſent. Quemadmodum autem plantæ multiplici modo germinant, vel e ſemine, vel ex particula radicis, vel ex ſurculo ſeu ramorum fragmento: ita naturæ nequaquam adverſari putat, ut animalia nonnulla, v. g. oſtreæ & balani, ſponte, alia ex ſemine procreentur, quædam vero modo ſponte, modo ex ſemine, ut mures, ſcopii, anguillæ, generentur. Cæterum manifeſtum ſatis eſſe diſcrimen dicit inter vermes ſponte natos, & ex ovis muſcarum excluſos: hos enim in ſuperficie lutulenta naſci ex ovis in ea hærentibus, illos intra cœnoſam florum congeriem, in fibris putridæ carnis, & penitioribus rei marceſcentis & remotiſſimis partibus produci: hos vix generatos utplurimum abire, illos nidum ſuum amare, ex eoque extractos repetere illum celerrime: hos denique utplurimum ſucceſſive excludi & augeri cortice relicto, illos vero repentino quodam naturæ effluvio ſimul formari. Ea vero, quæ jam ſunt commemorata ut confirmet, plurima profert ſpontaneæ generationis exempla, vermium ſcilicet natorum in frugibus ob nebulas, in cochleis marinis & terreſtribus, in glutine farinæ triticeæ, in carnibus varii generis, in lacte & caſeo, in ſanguine, in aceto, in rore, in braſſica, in roremarino, in medulla unguium alces, in ovo putrefacto, denique ſironum intercutaneorum, ac pediculorum, pulicum & cimicum, qui peculiares ſunt cuivis animantium generi, quosque ex ſordibus & vaporibus ex animalibus expirantibus & corruptis oriri exiſtimat. Cæterum cum eruditiſſimus Vir, *Fr. Redi*, in Obſervationibus

nibus circa animalia viventia quæ reperiuntur in viventibus, notaſſet Bonannum, quod conchyliis cor & ſanguinem denegaſſet (Vid. Acta Erud. Ann. 1686. p. 49.) hic de mero vocabulo inutilem ſibi controverſiam moveri queritur, qui nunquam negarit aliquid cordi & ſanguini analogum in illis deprehendi, ſed quod ille cor vocat, cum Ariſtotele ventrem nominet ac fibras, ſaniem vero quod ille ſanguinem adpellat, easque adpellationes philoſopho non indignas eſſe prolixe oſtendit; vicisſim Redum haut obſcure perſtringens, quod in experimentis circa generationem inſectorum plantas, in quibus vermes naſcuntur, præter vitam vegetativam etiam ſenſitiva gaudere aſſerat, qua mediante habiles fiant ad ejusmodi animalia generanda.

Secunda pars hujus Operis ſupplementum quaſi eſt Recreationis mentis atque oculi in obſervatione teſtaceorum. Poſtquam enim oblectationem, qua ex inſpectione conchyliorum afficitur animus, collaudavit, & plurima muſea, quæ illa aſſervant, in iisque *Spenerianum* quoque, quod poſt obitum beati poſſeſſoris ad genere pariter atque doctrina nobiliſſimum Dominum *de Tſchirnhaus* tranſiit, recenſuit, quadraginta ſeptem icones affert teſtaceorum nondum in lucem editas, addita ſingulorum deſcriptione, in iisque aliquot etiam exhibet fideliter, non autem inverſe, ut in Recreatione mentis & oculi, delineatas. Cum enim *Liſterus* eum, qui picturas æri incidit (id quod ſeipſum feciſſe fatetur Bonannus) ignorantiæ artis typographicæ arguiſſet, errorem hunc ſibi prævisum fuiſſe reſpondet, ſed cum eo modo delineaſſet, quo ſibi adparebant, ne novum laborem ſuſciperet iterum delineando, eo in ſitu in laminas ſe imagines tranſtuliſſe, cum conchyliorum venuſtas, circumvolutiones & mira partium ſtructura æquali cum delectatione oculis uſurpentur, quocunq; in ſitu collocentur. Ex illis delineationem (fig. 3.) afferemus teſtacei anonymi ex Amboina inſula allati, quod a nullo auctore expreſſum invenit Bonannus, ſoloque in prædiviti Serenisſimi Magni Ducis Etruriæ muſeo aſſervatur. Radicem ſua forma exprimit rotundam & inflexam, ac ubique fere lævigatum totum albeſcit. In inferiore parte ſiphunculi inſtar prominet ejus pars, in cujus extremitate foramen eſt; ſuperior vero ita intumeſcit, ut tholus aſper illi ſuperimpoſitus videatur, qui multis anguſtis foramiTAB. VI. Fig. 3.

nulis inſtar cribri gaudet. Ultimo loco, *num teſtacea dentes habeant & oculos*, disquirit, & teſtacea, quæ ſub undis generantur & vivunt, edentula eſſe docet. Ad oculos autem quod attinet, quamvis teſta intecta omnia iisdem carere olim cum Ariſtotele pronunciarit, ſententiam tamen illam mutavit, poſtquam in echinophora, non quidem in acumine cornuum, ſed prope baſin, punctula duo nigricantia & pellucida obſervavit, & ſub membranula ævidit latere globulum minimr molis veluti e vitro compactum, qui humoris cryſtallini loco erat; quos oculos *Fabium Columnam* in purpura jam olim obſervaſſe deinceps comperit. Nihilominus tamen pleraque teſtacea oculis carere aſſerit, & nigra puncta in cornibus cochlearum conſpicua non eſſe oculos, cum careant humore cryſtallino, cochleæque non retrahant cornua, antequam tangantur a bacillo objecto, ſed, licet abſcindas extrema illa, ea tamen emittant ad viam pertentandam.

Tertia in parte, quæ Micrographiæ curioſæ gerit titulum, enumerantur primum, qui micrographicis inclaruerunt ſcriptis, vel microſcopia perita manu aut confecerunt aut deſcripſerunt, proponiturque machina, in qua rotatione cylindri dentati curſor, cui adaptatum microſcopium, paulatim ſine tremore promovetur, objectum vero perluſtrandum a lumine lampadis per duas lentes vitreas transmiſſo æqualiter colluſtratur, eum ſcilicet in finem, ut commode delineari poſſit. Deinde Cl. Auctor agit de ratione conficiendi perfectiſſime lentes parvæ ſphæræ, & tria documenta profert ad illas feliciter obtinendas, ſed ænigmatum tecta involucro facile ſolvendorum, ſi retrogrado legantur ordine. Tandem deſcribuntur res minimæ microſcopii ope clariſſime recognitæ & perluſtratæ: culex, papilio, muſca, pediculus, pulex, cimex, aculei, ſpinæ, dentes & ungues acuminati, florum recrementa, ſanguis & lac, vermiculi aceti, ſquamæ piſcium &c. variaque ſcitu non injucunda proferuntur in lucem. Deprehendis enim, ut pauca ex multis depromamus, *culicis* formam differre in nonnullis ab Hoockiana & Svvammerdammiana deſcriptione, &, dum *papilionum alas* cinere aut pulvere leviſſimo conſperſas inſpexit accuratius, animadvertit pennas eſſe, variæ figuræ pro papilionum varietate, quæ pulvis nobis videntur, easque (Fig. 4.) membranulam inter nervulos

TAB. VI. Fig. 4.

CC, DD,

Digitized by Google

CC, DD, extenſam, contegere exceptis illis locis, ex quibus excuſſæ fuerunt, & ubi inſertiones illarum OO, manifeſte cerni poſſunt. *Roſtri* porro *papilionis* bifidi mirificam deſcribit ſtructuram (Fig. 5.) quæ ita comparata eſt, ut ope illius beſtiola celerrime pariter ac copioſe nutrimentum haurire poſſit. Habet enim extremæ proboſcidis pars MM quamplurimas appendices perforatas, quibus adnectuntur papillæ in D, E, F, quas flori AC adplicat papilio, ut rorem exugat, quo deinde tota fiſtula repletur, forte poſtquam in tuberculis illis, tanquam totidem receptaculis, ejus aliqua facta fuit præparatio. *Muſcas* non ſolum *unguibus* lævibus & nigris (non piloſis, ut Cl. *Hookius* retulit) corporibus adhæreſcere perhibet, ſed, cum opus eſt, beneficio quoque humoris glutinoſi, qui ex pulvillis pedum compreſſis tanquam ſudor emanat, & in lanugine ipſorum detinetur. In *muſcarum oculis* deſcribendis tam a *Joh. Bapt. Hodierna*, qui de oculo muſcæ Panormi A. 1644 tractatum edidit, quam ab *Hookio* diſcedit, aſſerens corneam muſcarum non in quadrata, ſed in areas hexagonas eſſe diviſam, in quarum ſingulis cornea pellucida protuberat globuli particulam ſimulans, ſpatiis intermediis triangularibus obſcuratis. Tradit quoque deſcriptionem *aculei pulicis*, & icones *Hookii*, *Tortoni* & *Griendelii* affert, ut cum ſua conferri poſſint. *Viperarum dentes* non canalium inſtar usque ad extremum apicem perforatos eſſe, ſed gaudere cavitate, quæ circa medium dentis deſinit, contra Redum diſputat, adverſus Hookium vero, *ſpinas urticarum* non eſſe fiſtuloſas, ut ex illis noxius humor in vulnus ab eis inflictum poſſit emanare. TAB. VI. Fig. 5.

CHRISTIANI VVORMII, VVILH. FILII, de corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem veſtigiis, Liber primus.

Hafniæ, proſtat apud J. M. Liebe, A. 1693. in 4. plagul. 20.

Initium hoc ſaltim eſt ac ſpecimen futuræ commentationis, quam orbis eruditi cenſuris impoſterum ſubmittet Cl. Autor, primum, quid

de origine ac nomine Judæorum Gentiles ſenſerint; deinde, quid adverſus ſingula Decalogi præcepta, porro, contra eorum Sacramenta, & inſtituta tandem promiſcua ſcriptis ſuis inſeruerint, diligenter oſtenſurus. Selegit autem præ cæteris, quorum opera corruptas has antiquitates exhibent, Tacitum ac Martialem, difficile, prolixumque nimis fore arbitratus, ſi per Autores omnes qua Græcos qua Latinos ire, locaque huc pertinentia recenſere, explicare, & errorum cauſas ubivis aperire inſtitueret. Ac liber quidem primus, qui ſolus hac vice prodiit, aliquam prioris claſſis partem complectitur, quatuor in univerſum ſiſtens capita, e quibus primum veluti proœmii cujusdam locum obtinet, dum Autor in eo ſolicitum ſe gerit, ut oſtendat, quantopere Viri cætera doctiſſimi in eruendis iſtiusmodi antiquitatibus hallucinari ſoleant. Ita enim v. g. de Judæis impulſore Chreſto tumultuantibus, atque eapropter Roma pulſis, locus habetur apud Suetonium, ad quem plerique obſervant, Gentiles Salvatorem noſtrum *Chreſtum* nuncupaſſe per contumeliam. At nihil minus in animum ipſis veniſſe Autor ſtatuit, cauſamque hujus appellationis quærendam cenſet in eorum ignorantia, quodque Græci vocabulum χρισὸς eo ſenſu perſonæ applicatum pro ſuo non agnoverint, & e facillima literarum ι & η confuſione in χρησὸς, quod optimum ac præ cæteris bonitate excellentem notat, idem commutarint, uſitato hoc elogio Meſſiam decoratum opinantes, quod ejus benignitas miſericordiaque paſſim deprædicaretur. Similem in modum a memorato jam Suetonio, Arriano item & Ulpiano, nonnulla in medium proferuntur vulgo teſtimonia, quod Ethnici Chriſtianos a Judæis diſtinguere non ſatis ſciverint, cum tamen verba eorum paulo accuratius examinata illatam ipſis hoc pacto injuriam manifeſte prodant. Quæ poſtquam latius deduxit Noſter, in Capite ſecundo ad varios Judæorum titulos progreditur, & eos in Scripturis quandoque *filiorum Dei* nomine inſigniri refert, idque ideo, quod Deum ipſum præceptorem habuerint, ſicut alias quoque, ut diſcipuli Prophetarum appellentur eorundem filii, ſit minus infrequens. Hebræos non aliunde quam ab Ebero dictos, & Judæorum appellationem nunquam duodecim in univerſum tribubus, verum ſoli Judæ tribui, cui Benjamitæ & Levitæ ſe adjunxerint, competiſſe multis argu-

Digitized by Google

argumentis probatum dare nititur. Sed Caput demum tertium in ipſius rei, quam ſibi propoſitam habet Autor, examen nos introducit, ubi ille diſcrepantes de Judæorum origine ſententias a Tacito ſub Libri V. primordia indicatas recenſet, & ante omnia diſquirit, cur e Creta oriundi ibidem exiſtimentur? Proniſſimum autem in hunc errorem lapſum fuiſſe innuit ex male intellecto vocabulo כרתים, quod ipſi etiam LXX. Interpretes Ezech. XXV, 16. & Zephan. II, 15. verterint per nomen Κρητῶν; ac Tacitum præterea uti hoc argumento, Judæos vocari quaſi Idæos ab Ida, quem celebrem in Creta montem fuiſſe conſtet. Verum ut eo facilius hæc refutentur, Philiſtæos illa voce potius indigitari non ſolum affirmat, ſed etiam Cretenſes Judæorum ſobolem fuiſſe, & neutiquam hos ab illis ortos perhibet. Edones namque ſive Edonios aut Odomantes non alios fuiſſe apud Græcos ait, niſi Idumæos, qui Judæorum nomen profeſſi fuerint, ac iſtos quidem ſocios habuiſſe Cadmonitas Lacedæmonis incolas, qui ſuæ huic urbi Spartæ quoque nomen adaptarint, ab Idumæis, qui & Sparti dicti ſint. Spartanorum vero ſocios haberi Cretenſes, multasque urbes Creticas Spartanis debere originem, ponit extra dubium, ac proinde nec de eorundem cum Judæis fraternitate quemquam poſſe ambigere confidit; quin potius & hoc affirmat, illos Cretenſium Judices, Minoem & Rhadamanthum, ex hiſtoria Moſis & Aaronis ortum traxiſſe, & ſub Minois fabula referri Moſen, ſub Rhadamanthi Aaronem, quod poſtremum a nemine ante animadverſum ſibi perſuadet. Sub finem cerimonias Judæorum ad Græcos traductas vel e ſolo ſacrificiorum exemplo probat, in ipſa etiam intentione magnam quærens utrobique convenientiam. Capite quarto in ſecundam apud Tacitum opinionem inquirit, juxta quam Ægyptus Judæis originem præbuiſſe creditur. Et ſatis quidem antiquam eſſe ait hanc ſententiam, mirum vero, quod inter Patres etiam Chryſoſtomus eidem adſtipuletur, & omnes ritus ſacros ab Ægyptiis derivet. E recentioribus inducit Marshamum, ac præcipue Spencerum, cujus πρῶτον ψεῦδος ſit hoc, legem cerimonialem propter Iſraelitarum σκληροκαρδίαν in idololatriæ remedium datam, & nulla ratione typicam fuiſſe. Uti ergo hanc theſin uberius refutat, ita quoque poſtmodum reſpondet ad ipſius argumenta, quibus,

quod Judæi ſua hauſerint ab Ægyptiis, oſtendere conatus eſt. Cum vero inter hæc & iſtud habeatur, Græcos Ægyptum adiiſſe, tanquam celeberrimam ſapientiæ divinæ non minus quam humanæ ſcholam, ac proin conſtare, quod Judæos Ægyptiorum doctores minime agnoverint, cum alias ipſam ſine dubio Palæſtinam petiiſſent; fuſius ad hoc Autor regerit, Græcos fere omnes in Judæam fuiſſe profectos, aut, ſi Ægyptum adierint, factum id non in incolarum gratiam, ſed ut Judæorum, qui tum ibi degebant, familiari converſatione fruerentur; quandoquidem & Orpheus, & Homerus, & Solon, & Pythagoras, quos ſpeciatim eo itaſſe ex Diodoro Siculo Spencerus referat, pleraque e ſcriptis Moſaicis depromſerint: id quod e ſingulorum libris magno cum verborum apparatu eruit, ac Ariſtotelem quoque, teſte Clearcho, cum Judæo quodam ſermones miſcuiſſe memorat; tametſi in Hiſtoria ſua Philoſophica repugnet Jonſius, cujus objectiones opera eadem diluit. Ulterius, multa ex Hebræorum inſtitutis per cacozeliam Ægyptios recepiſſe ac depravaſſe notat, ut, cum lucos pro ſacroſanctis reputarint, haud ignari, jam olim Patriarchas, in Paradiſi forte memoriam, eosdem in locum ſacrificiis idoneum elegiſſe. Et quamvis ſolenniorum feſti Paſchatos, ingreſſus Pontificis in Sanctum Sanctorum, obſervationis Sabbathi, nec volam nec veſtigium apud antiquos extare Spencerus aſſeruerit, Autor tamen ſingula hæc inter eos reperta docet; Oſiridem, Apin, Sarapin, Orum, Thammuz, (quæ nomina unum idemque idolum denotarint,) non alium videri quam Joſephum aut Moſen, e longa inter Oſiridem & Moſen comparatione manifeſtum reddit; reliqua Ægyptiorum myſteria itidem e Palæſtina deduci haud difficulter poſſe ſuperaddens, quod in Mercurio & ejus columnis præſtiterit Huetius, cujus Demonſtrationem Evangelicam imprimis laudat. Atque ita finit Librum primum, & quæ de ortu Judæorum porro narrat Tacitus, in ſubſequentem rejicit. In Præfatione (ut & illud inſuper addamus,) poſt alia meminit fabulæ Gentilium, quando Judæos in ſanctuario ſuo habere caput aſininum, idque cultu divino afficere, comminiſci haud erubuerunt. Iſtius vero traditionis fundamenta latere autumat in vocabulo חמר, quod pro diverſitate punctorum aſinum ſignificet ac urnam, monetque Gentiles, audientes in arca reperiri חמר, id ſtatim de aſino

ſino fuiſſe interpretatos, cum tamen de urna debuiſſent intelligere. Cæterum abſoluto Libro altero jucundiora longe tractatum iri pollicetur, & Martialis præcipue *Anchialum* novo modo exponere, Juvenalis item *cophinum fœnumque* diverſa ratione illuſtrare ſe velle, in ejus rei fidem intimat.

ECLIPSIS SOLIS PARTIALIS

Anno 1693 d. 23 Junii ſt. v. Norimbergæ obſervata

a

G. C. Eimmarto.

QUod olim KEPLERUS, perſpicaciſſimus ille Aſtronomus, in Aſtronomiæ ſuæ parte Optica, Probl. 26. p. 389. docuit, plus conferre Eclipſes Solis ad inquirendos Lunæ motus, quam Lunares, id præſenti Deliquio Solari abunde ſatis compertum habemus; ſiquidem egregie & præter ſpem, id, quod calculus denegaverat, per obſervationem aſſequuti ſumus. Ex quo manifeſte arguitur, Tabulas Lunaris motus nondum usquequaque cum Cœlo convenire. Quapropter mihi perſuadeo, Solis hunc partialem defectum, (quem a plurimis in Germania noſtra, Uranicarum rerum Cultoribus, non dubito majori, vel ſaltem pari cum noſtra cura, ac diligentia fuiſſe obſervatum) nonnihil ad correctionem Tabularum Lunarium contribuere poſſe.

Accuratiſſimus noſter KIRCHIUS in Nuncio ſuo Sidereo (vernacula lingua) ſub nomine Georgii Fabricii, hanc Solis Eclipſin in Horizonte inviſibilem indicavit, ea tamen cum admonitione, uti ipſemet candide fatetur, Tabulas Aſtronomicas ad abſolutam perfectionem nec dum eſſe deductas, quin adhuc proclive ſit, calculum ex iis productum a Cœlo ad duo plurave minuta aberrare, ac proinde certitudinem ab Obſervationibus, ad quas ibidem ſollicite provocat, petendam.

Non mirum igitur Nobiliſſimum Dominum ARGOLUM, ut & Rev. P. RICCIOLUM in Catalogo ſuo Eclipſium ex Ephemeridibus collecto, eandem in Horizonte ROMANO quaſi inviſi-

visibilem, prorsus neglexisse, cum tamen ibidem sub Latit. 41. 54. contactum marginum Luminarium sensibilem apparuisse oportuerit, id quod ex observatione nostra constare videtur, vel potius ex aliis, ibi locorum, dubio procul, institutis suo tempore certum fiet.

Insuper, neque etiam Tabulas Carolinas absolutissima perfectione gaudere deprehenditur ex Anglicano Mercurio, ubi ex Astron. Carolina ad Meridianum Londinensem, sub Latit. 51. 32. defectus digitalis vel paulo plus supputatur, quem tamen ad sesquidigitum ad minimum increvisse ex observatione evincitur.

Observatio nostra sub dio fuit habita, adaptata Machinula quadam Tubo novempedali, vicem cameræ obscuræ præbente, in qua discus Solis ad distantiam a vitro oculari duorum quasi pedum clare atque dilucide, ac in Scena tenebricosa repræsentabatur.

Nec defuit pergula obscurata, in qua Observationem accuratius instituere animus quidem erat, sed ob locum istum valde humilem & angustum, non satis optatam ea commoditatem, alto nimis Sole, angulum acutiorem cum vertice efficiente, suppeditabat. Inibi, cum ad idoneum situm pro Solis radio rite excipiendo, tubum opticum huc illuc motitarem, securus adhuc, (magis vero, ac par erat) de tempore præmaturo, ecce, subito monitus a Sociis, quibus eadem hæc cura sub dio demandata fuerat, corporis Lunaris marginem Solis discum notabiliter jamjam subingressum conspexi.

Aderat autem in Scena Reverendissimus P. JO. ZAHNIUS, Præpositus in Cella Superiore prope Herbipolim dignissimus, cujus gratissima præsentia frui, dum per pauculos dies heic commorabatur, opportune mihi contigit.

Ut ita, non tam de felici ac inopinato conaminum nostrorum successu gaudere queam, quam tantum Testem oculatissimum, ob humanitatem & benevolentiam, qua iisdem interesse dignatus fuit, Virum inquam Venerandissimum, suavissima hac recordatione, nec non semper, magnopere celebrare debeam.

Alti-

Digitized by Google

Altitudines Solis temporales, cum Azimuthis ad aliquot Phaſes captæ.

Altitudo Solis Meridiana hac die obſervata fuit

°	′	″	
63.	31.	45.	Quadr. ferreo 6. pedd.
63.	31.	20.	Triente magno ferreo 16. pedd.

	°	′	″
hinc declinatio Solis	22.	59.	5.
vel	58.	40.	

Ad Phaſes Altitudines Solis — Azimutha Solis a meridie.

	°	′	″		°	′
IV.	58.	0.	25.		41.	45.
V.	57.	26.	45.		42.	45.
XI.	55.	24.	25.		50.	55.
XIII.	53.	31.	35.		55.	5.
poſt XIV. & ante XV.	52.	40.	0.		57.	10.
in puncto totalis emerſionis	52.	2.	45.		58.	45.

Ordo Phaſium.	Tempora ad ſingul. Phaſes per Sciat. æquin. Hor.	Min.	Tempora ad ſing. Phaſes per automaton. H.	M.	S.	Tempora per aliud automaton. H.	M.	S.	T.	Tempora ex altitudinibus & azimuthis Solis correcta. H.	M.	S.
I.	1.	12.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
II.	1.	15.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
III.	1.	25.	1.	25.	50.	1.	25.	33.	0.	—	—	—
IV.	1.	29.	1.	29.	50.	1.	29.	34.	30.	1.	29.	54.
V.	1.	33.	1.	32.	45.	1.	32.	43.	30.	1.	33.	15.

VI.	1.	34.		1.	34.	50.		1	34.	36.	50.		—	—	—
VII.	1.	38.		1.	38.	30.		1.	38.	9.	20.		—	—	—
VIII.	—	—		1.	41.	45.		—	—	—	—		—	—	—
IX.	1.	45.		1.	45.	50.		1.	45.	45.	20.		—	—	—
X.	1.	51.		1.	51.	35.		1.	50.	40.	40.		—	—	—
XI.	1.	57.		1.	57.	0.		1.	56.	40.	30.		1.	57.	0.
XII.	2.	6		2.	6.	30.		2.	5.	53.	50.		—	—	—
XIII.	2.	10.		2.	9.	45.		2.	9.	37.	30.		2.	10.	22.
XIV.	2.	12.		2.	12.	45.		2.	11.	57.	0.	post XIV. & ante XV.	2.	14.	3.
XV.	2.	15.		—	—	—		2.	15.	22.	20.				
XVI.	2.	17.		—	—	—		2.	16.	29.	30.		—	—	—
XVII.	2.	18.		—	—	—		2.	18.	17.	30.		—	—	—
in puncto total. emerſ.				2.	18.	25.		—	—	—	—		2.	18.	56.

Ex annotato tempore per automaton ad Phaſin XIV. usque ad tempus emerſionis totalis, quod fuit 5. 40. 0 (ſuppoſito nempe horario motu Lunæ a Sole æquali) colligitur initium hujus defectus ad Meridian. Noriberg.

Hor. pom.	Min.	Sec.
1.	6.	20.

Tota duratio partialis hujus deliquii

Hor.	Min.	Sec.
1.	12.	5.

& conſequenter medium Eclipſis, ſive momentum maximæ obſcurationis

Hor.	Min.	Sec.
1.	42.	22.

Pro-

Digitized by Google

Proportio Diametri Lunaris viſibilis ad Solarem viſibilem, quæ ex plurimis hiſce phaſibus elicitur, eſt, ut 9150 ad 10000.

Data proinde (juxta Riccioli Aſtronomiam reformatam L. 1. c. 19. p. 69.) Semidiam. Solis apogæ 15. 30. & ex obſervatione Semidiam. Lunæ 14. 0. quarum ſumma eſt 29. 30. cum obſcuratione maxima 1. dig. 5. part. quibus reſpondent 3. 39. habebitur diſtantia centrorum tempore maximi defectus 25. 51. in horizonte Norico.

Singularum Phaſium obſcurationes, in partibus duodenis unius digiti menſuratæ.

Ordo Phaſium.	Dig.	Part.		Ordo Phaſium.	Dig.	Part.
I.	0.	6.		IX.	1.	4.
II.	0.	9.		X.	1.	3.
III.	1.	0.		XI.	1.	2.
IV.	1.	1 ½		XII.	0.	10.
V.	1.	3.		XIII.	0.	8.
VI.	1.	3 ½		XIV.	0.	6.
VII.	1.	4.		XV.	0.	4.
VIII.	1.	5.	maxima obſcuratio, ſive quantitas defectus.	XVI.	0.	3.
				XVII.	0.	2.

Arcus limbi Solaris, in gradibus & minutis eclipſatus, ad ſingulas phaſes.

Phaſes.	Gr.	′.	Phaſes.	Gr.	′.
I.	33.	0.	IX.	54.	0.
II.	39.	30.	X.	52.	30.
III.	45.	30.	XI.	50.	0.
IV.	49.	30.	XII.	44.	0.
V.	52.	30.	XIII.	39.	0.
VI.	53.	0.	XIV.	32.	30.
VII.	54.	0.	XV.	26.	0.
VIII.	55.	0.	XVI.	23.	0.
			XVII.	16.	30.

Angulus viſibilis inter Verticalem, per centrum Solis tranſeuntem, & centrum Lunæ interceptus.

			°	′
Ad Phaſin	I.	- - -	25.	30.
	X.	- - -	27.	0.
	XVII.	- - .	14.	0.

ETHICA PYTHAGORICA, CUI ACCESſit Aureum Carmen Commentario Ethico illuſtratum, & Ars regendorum affectuum; Autore Magno Daniele Omeiſio, Comite Palatino Cæſareo & Profeſſore Altorfino.

Altorfii typis Henrici Meyeri, 1693. in 8.

Conſtat plagul. 14. cum dimid.

CUm præſtantiſſimi quique humanæ ſapientiæ inter paganos antiſtites, pleraque ſua de moribus dogmata e Pythagora deprom-

Digitized by Google

promſerint, non inconſultum fore judicavit celeberrimus Autor, ſi recenſitis aliorum tam veterum quam recentiorum ſcriptorum libris moralibus, Ethicam hanc Pythagoricam auditoribus ſuis ad calamum dictaret, eandemque orbis eruditi oculis jam exponeret. In qua conſignanda auditorum captui ſe accommodans, ordinem fere ac modum in ſcholis receptum ſecutus eſt, ita tamen ut præcepta ſubinde monitis, ſymbolis atque exemplis, cum ipſius Pythagoræ tum aſſeclarum, eleganter admodum illuſtrarit. In prolegomenis primum de Pythagoræ patre, præceptoribus, peregrinationibus, ſecta; duplici docendi ratione, διεξοδικῇ ſive aperta magis ac facili, & συμβολικῇ ſive obſcuriore ac myſtica; diſcipulis, ἀκουσικοῖς ſive ἀκουσματικοῖς, qui nudis inſtituebantur præceptis, & quibus τὸ ὅτι ſolum proponebatur, atq; μαθηματικοῖς, qui diſcebant τὸ διότι, ſeu cur ſic ſe aliquid & non aliter haberet; ſilentio, quod minimum fuerit biennii, ſummum quinquennii; autoritate atque honore, item ſcriptis, conciſe diſſerit, variosque autores, qui de perſona, ſcriptis ac diſciplina illius plura tradunt, in medium adducit. Dein oſtendit, a Pythagora Philoſophiæ nomen originem traxiſſe: eum ſolitum fuiſſe adoleſcentes, antequam in ſuam diſciplinam reciperet eos, Φυσιογνώμειν, receptis autem ſilentium ad certum tempus & animorum a vitiis pravisque affectibus purgationem injungere: illum ejusque ſectatores præcepta moralis philoſophiæ quatuor modis, puta dogmatice, parænetice, ſymbolice & paradigmatice tradidiſſe: Ethices Pythagoricæ duas partes, quarum prior de felicitate hominis, altera de via ad illam ducente agat, commode conſtitui poſſe. Quibus ita præmiſſis, ad ipſas Ethicæ Pythagoricæ partes perluſtrandas progreditur, ac in priore ſeu Εὐδαιμονολογίᾳ declarat, Pythagoram docuiſſe finem hominis ultimum eumque objectivum eſſe Deum, formalem autem ſeu ipſam hominis beatitudinem conſiſtere in Dei cognitione ac ſimilitudine: Pythagoræorum quorundam de hominis felicitate ſententiam cum Ariſtotelica convenire: Pythagoram idem cum Peripateticis beatitudinis ſubjectum proximum, animam ſcilicet, ſtatuiſſe: media ad conſequendam beatitatem facientia ex mente Pythagoræ eſſe virtutes ac bene agendi ſtudium. In parte poſteriore ſeu Ἀρετολογίᾳ docet, Pythagoræis vocabulum virtutis in genere nihil aliud ſignificare, quam humanæ naturæ perfectionem: virtu-

tem autem moralem per habitum decori ab iisdem definiri: virtutem ab illis harmoniam appellari, & propterea Muſicam magno in pretio haberi: cauſam virtutis primam & univerſalem ex eorum opinione eſſe Deum: ſpontanei, electionis & volitionis, quæ ab Ariſtotelis aſſeclis inter principia actionum humanarum vulgo numerentur, Pythagoricos paſſim injicere mentionem: ſecundum animæ noſtræ facultates virtutem ab eis dividi, & quidem rationali prudentiam, iraſcibili fortitudinem, concupiſcibili temperantiam, toti denique animæ juſtitiam aſſignari. Ad ſingulas hinc virtutes ſpeciatim procedit, & quæ Pythagoras ejusque ſectatores de iis perhibuerint, erudite explicat. His ſubjungit quædam de Pſychologia & Pathologia Pythagorica, demonſtrans, Pythagoram animam hominis duas in partes, rationalem videlicet atque irrationalem diſtribuiſſe, hancque rurſus in iram ac cupiditatem diſpeſcuiſſe, quam irrationalem partem poſtea philoſophi uno termino expreſſerint & vocarint appetitum ſenſitivum, eumque in iraſcibilem & concupiſcibilem diviſerint; duas illas potentias juxta Pythagoreos ſibi non eſſe adverſas, ſed ſubordinatas, rationisque imperio, ſatellitum ac miniſtrorum inſtar, ſubjectas: Pythagoram animæ humanæ immortalitatem docuiſſe, & dogma de tranſmigratione ab Ægyptiis hauſiſſe: multos cordatiorum ſcriptorum hanc Pythagoræ de *μετεμψυχώσει* ſententiam allegorice interpretari: Pythagoreos ſtatuiſſe, affectus in ſe non eſſe vitioſos nec exſtirpandos, ſed concinne temperandos, illosque, qui omnes affectus tolli volunt, perinde facere, ac ſi quis, ne ulla fiat diſſonantia in lyra, cunctas illius chordas diſcindi velit, & ne ulla corpus invadat intemperies morbida, humores omnes pharmacis cupiat exturbari: non adeo conſtare, quot affectus Pythagorici numeraverint, & qua ratione illos diviſerint; id autem vero admodum ſimile eſſe, eosdem reduxiſſe affectus omnes ad ſuam *θύμωσιν καὶ ἐπιθυμίαν*: operam dediſſe illos, ne riderent multum triſtesve eſſent, verum eundem haberent vultum; item ne iraſcerentur, aut ſi quando hoc contingeret, ne per iram quidquam dicerent vel agerent. Sequitur *Aureum*, quod *Pythagoræ* adſcribi vulgo ſolet, *Carmen*, cujus verſionem Latinam eamque metricam clariſſimus Autor noſter concinnavit, ſecutus quidem ex parte Viti Amerbachii, Claud. Monſelli, Theodori Marcilii & Johann.

hann. Curterii verſiones, operam tamen adhibuit, ut omnia apte exprimerentur, & verſus Latini ſinguli ſingulos Græcos repræſentarent, quod nemo hactenus interpretum, quos viderit, effectum dederit; cumque alii viri eruditiſſimi, & quidem ex antiquis Hierocles, Philoſophus Alexandrinus, & in hunc Mericus Caſaubonus; e junioribus autem Vitus Amerbachius, Theod. Marcilius, Henricus Brem Curienſis, Michael Neander, Joh. Straſelius, Guiliel. Diezius, Fridericus Sylburgius, & Konigius, libello adhuc *ἀνεκδότῳ*, carmen hoc notis potiſſimum philologicis exornarint; placuit ipſi ad præcepta moralia in illo contenta utroque oculo reſpicere, eaque notis ſuis illuſtrare, ac proin commentarium ſuum *ethicum* inſcribere. Mantiſſæ loco adjecit ſymbola quædam Pythagorica, a quibus, ſenſu ſimplici & communi intellectis, varii ritus ac ſuperſtitiones, hodieque apud nos durantes, originem traxiſſe videntur, eorumque verum ac genuinum ſenſum propoſuit. Sunt autem ſequentia: (1.) ne ſpeculum ad lucernam intuere. (2.) Offenſa in veſtibulo turpivetula, ne egredere. (3.) Sal apponendus. (4.) Panis non frangendus. (5.) Quæ ceciderint (de menſa) ne tollito. (6.) In poculi fundo reſiduum non relinquendum. (7.) Surgens e lecto, ſtragula complicato, veſtigiumque corporis confundito. (8.) In meridie ne dormito. (9.) Unguium criniumque tuorum præſegmina urina ne conſpergito. (10.) Colubrum in ædes tuas illapſum ne perime. Duobus recenſitis opuſculis utiliſſimis tertium haud minus proficuum, *de Arte regendorum affectuum*, ante hos ſeptem annos, privatos intra parietes Auditoribus ſuis tradita, ſubjungere voluit, quod amicis quibusdam ſingulari pietate ac eruditione præditis illud non diſplicere, intelligeret, nec ignoraret Claudii Sorelli, Verulamii & aliorum cordatiorum querimonias, quod ploraque compendia ethica nil niſi quæſtiones quasdam de Affectuum numero ac definitionibus comprehendant, de mediis autem eosdem cohibendi ac moderandi parum aut nihil proferant; quodque Ariſtoteles ipſe in Ethicis ſuis doctrinam hanc ne levi quidam brachio attigerit. Ex hac arte regendorum affectuum, quæ duabus partibus, generali videlicet ac ſpeciali, abſolvitur, remedia generaliora, circa affectuum moderationem obſervanda, benevoli Lectoris oculis exhibere non pœnitebit. Primum eſt: severere mandatum Dei,

ad

ad affectuum & appetitus noſtri regimen nos obligans, Gen. IV, 7. II. Perpende plusquam regiam libertatem & eminentiam, quæ affectuum ſuorum rectorem victoremque manet. III. Contemplare puriſſimam voluptatem animique ſerenitatem, ex ſapiente affectuum regimine redundantem. IV. Cogitanda ſedulo poſſibilitas facilitasque compeſcendi ac regendi affectus noſtros. V. Accedat proviſio animi & diligens ad affectus compeſcendos & regendos præparatio. VI. Averte oculos, aures, & cogitationes ab objectis, quæ pravos & inordinatos animi motus irritare poſſint. VII. Accuratam adhibe cautionem circa principia, & quamprimum vel minimos ſenſeris motus rationis imperio inſurgentes, illis frena injice. VIII. Fugiendum hominum malorum, & eorum, qui paſſionibus ſuis nimium indulgent, conſortium. IX. Si tamen converſandum eſt cum aliis, illis libenter utere, qui cogere affectus ſuos norunt. X. Ad exempla magnorum & ſapientum virorum te conformes, ſive ſuperſtitum, ſive fato defunctorum. XI. Imo vero cogita potius ac reverere Deum tibi ubique præſentem, occultiſſimosque animi tui motus perſpicientem. XII. Nec metuendus tantum eſt Deus, ſed & intenſiſſimo amore proſequendus. XIII. Examen accuratum quotidie tecum inſtituas, circa repreſſas aut moderatas paſſiones tuas. XIV. Nec parum prodeſt, ſi compertæ integritatis moderatorem vitæ ac moribus tuis præficias, qui vel objecta noxia tibi ſurripiat, vel affectus tuos in ipſo æſtu refrenet. XV. Utere, ſicubi opus eſt, pharmacis ac medicamentis, ad pravos corporis humores educendos aut temperandos efficacibus. XVI. Muſicæ ſtudeas, quæ quantum efficere queat in homine affectibus turbato, dici vix poteſt. XVII. Divinam opem ante omnia implores, & potiora auxilia a divina gratia exſpectes, quam a natura. Hæc ipſa præcepta, ut & quæ de ſingulis affectibus ſpecialia proponit, venuſtiſſimis ſapientum dictis illuminata in hoc libello deprehenduntur.

EIPHNIKON, SEU PACIS CONSILIum pro unione & concordia ad Fratres Proteſtantes, profectum a charitate & labore Franciſci Foris Otrokocſi.

Franekeræ apud Jo. Gyzelaar. 1692. in 8.

Plagul. 15.

Poſt

POſt tot alios firmandæ Lutheranos inter & Calvinianos concordiæ religioſæ ſuaſores, in ſcenam quoque prodiit hic Autor, qui olim Eccleſiæ Reformatæ Miniſtrum egit apud Hungaros, & nunc exul verſatur in Belgio, unde iſthoc pacis conſilium non cum ſuis modo civibus, ſed univerſis etiam alibi locorum ſeu Auguſtanæ ſeu Helveticæ confeſſioni addictis communicavit. Et in eo quidem ſtadium longe brevius, quam anteceſſores, emenſus eſt, ſolam fere de S. Cœna controverſiam excutiens, quam ita pertractat, ut Lutheri doctrinam a primis initiis ex temporum illorum hiſtoria deducere, modisque omnibus probare nitatur, eum intempeſtivis Caroloſtadii ſcriptis provocatum iras paulo acerbiores concepiſſe adverſus Zvvinglium, Oecolampadium, & alios, quicunque in aliquo articulo contra ipſum eandem cum Caroloſtadio ſententiam defenderint; Zvvinglium vero ex ſuis de Euchariſtia dogmatibus nullius ab Eccleſia Evangelica defectionis inſimulari poſſe, nec novam & veteribus orthodoxis incognitam aut improbatam doctrinam introduxiſſe, quandoquidem Berengarium, Waldenſes, Bohemos, Huſſum, Wiclephum, Bertramum, (hoc enim ordine eos nominat, prolixa ſingulorum teſtimonia allegans,) quin & e Patribus quamplures, Auguſtinum præcipue, ſecutus fuerit; Lutheranorum contra opinioni ex iis, quorum ſcripta extant, primum Aſcelinum, monachum circa A. 1052. clarum, præluſiſſe, quem Rupertus Tuitienſis exceperit, unde per Lombardum & reliquos ibi recenſitos demum ad Lutherum fuerit propagata; præſentiam carnis Chriſti nunquam aliter a Patribus, quam hodie a Calvinianis aſſertam legi, nec ab ipſis etiam Scholaſticis ubiquitatem ita, ut a Luthero, propoſitam ante, quam Jacobus Faber, Stapulenſis, eam excogitarit. Et hinc liquido patere arbitratur, quod nobis cauſæ ſat prægnantes haudquaquam ſuppetant, ut fraternitatis dextram jungere cum iis porro recuſemus. Quæ enim inſuper de electionis & reprobationis decreto, de mortis Chriſti objecto, & de gratia ſufficiente, aliter a Calvinianis quam a Lutheranis doceantur, ea minus adverſari putat Auguſtanæ confeſſioni, cum hujus autores de ſubtilioribus illis circa conſilium Dei quæſtionibus prudenter tacere maluerint, quam præcipitanter aliquid determinare. Diſceptationem de imaginibus omnium facit minimam, & quod adeo nec per

hanc, aut ullam aliam, a mutuo conſenſu prohibeamur, demonſtrare ſatagit, tandemque præter rationes a damno ulteriorum certaminum, & felicitate Eccleſiæ ex hac ipſa unione ſperanda petitas, latisſime urget exempla ſociorum Auguſtanæ Confeſſionis, qui ſeculo ſuperiori Calvinianos a ſua communione minime excluſos voluerint; quem in finem conſenſum A. 1570. in Synodo Sendomirienſi initum, ac poſtea aliquoties renovatum confirmatumque valde celebrat; Lutherum ipſum a Bucero, Capitone, & horum ſociis, eo tempore non alienum fuiſſe aſſerit; imo, quod Reformatorum confeſſiones in articulo de S. Cœna parum diſcrepent a noſtris, magno teſtimoniorum numero exin producto ſe manifeſtum reddidiſſe ſibi penitus perſuadet. Nos ſingula hæc B.L. dijudicanda relinquimus, ad ea, quæ jam in Actis his A. 1687. ſub finem pag. 293. de conatu tali a nobis ſcripta ſunt, non immerito iterum provocantes.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ AUCTORUM Eccleſiaſticorum L. Ellies du Pin, Tomus II.

Coloniæ Agrippinæ, ſumtibus Huguetanorum, A. 1692. 4.

Conſtat 3. Alphab. & plagul. 21.

TAmetſi Opus hoc per aliquot ab editione ſui annos libere in Gallia diſtractum fuerit, Pariſiis tamen peculiari dein edicto cautum eſt, ut ne in officinis librariis venum amplius exponeretur. Sed minus eapropter iſtud Eruditorum ſe ſubducet manibus, præſertim cum per Latinam verſionem ad plurium notitiam pervenerit. Et quemadmodum in Actis hujus anni p. 77. ſ. primum ejus Tomum nos exhibuiſſe recordamur, ita nunc ſecundum ſuperaddimus, nonnulla pariter ex eo ſpeciminis in locum decerpturi.

Complectitur autem ille ſcriptores, qui ſeculo poſt C. N. quarto floruerunt, ac horum quidem numerus fere ultra octogenarium adſcendit. Primus eſt *Euſebius Cæſarienſis*, cujus Hiſtoriam Eccleſiaſticam præ cæteris extollit, tanquam opus longe præſtantiſſimum, licet ſimul in eadem deſideret, quod minus jucunde & mi-

& minus aliquando accurate ſcripta fuerit. E verſionibus anteponendam reliquis Valeſianam autumat, utpote in qua, raro admodum exemplo, elegantia cum ſingularum ſententiarum ad verbum expoſitione conjuncta reperiatur. Ipſum de cætero Euſebium, quod ὁμοουσίᾳ vocem ægre admiſerit, quod perſonam Filii æqualem perſonæ Patris parique cultu afficiendam non agnoverit, quod Spiritum S. Deum eſſe negaverit, minime defendendum cenſet, tametſi non ſtatim ideo caput Arianorum vocari mereatur. Probat, eum relatum fuiſſe in numerum ſanctorum; Baronium vero absque ullo fundamento aſſerere, quod iſtud in Martyrologiis per errorem factum ſit, & quod Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus pro Euſebio Samoſateno habeatur. Ab hoc ad *Conſtantinum M.* progreditur, fabulamque de ipſius lepra ac duplici baptiſmo refellit, quin & decantatiſſimam illam donationem falſitatis prolixe arguit, figmentum hoc ab autore collectionis Iſidori forſan primitus excogitatum reputans. *Athanaſium*, cum puer adhuc eſſet, commilitones ſuos per ludum baptiſmo tinxiſſe narrant Ruffinus, Socrates, Sozomenus, & alii. Verum Autor fabulis hoc annumerat, non ſecus atque illud, quod de impuris amoribus a meretrice ipſi objectis Ruffinus ſolus annotarit; cum certe Athanaſius, & Concilium Alexandrinum, ubi accurate deſcriptæ ſunt omnes calumniæ & fraudes contra eum confictæ, nihil quicquam hac de re meminerit. Dubia & ſuppoſititia ejus ſcripta ſolicite a genuinis diſcriminat, & ſymbolum, quod ſub Athanaſii nomine vulgo circumfertur, in priorem claſſem rejicit, conjecturis Quesnellii, qui autorem Vigilium Tapſenſem conſtituit, tamdiu nos adhærere poſſe docens, donec meliorem aliquam ſententiam inveniamus. Optat ut operum ejus omnium nova accurataque editio a ſocietate quadam religioſa curetur, & rationem, quomodo in ea procedendum ſit, delineat. Sed quando inter alia Commentarium Theophylacti in Pſalmos ſub nomine Athanaſii a Chriſtophoro Perſona vulgatum, eumque in editione A. 1532. omiſſum ſcribit, non ſatis ſibi ab errore cavet, cum iſthæc ſine dubio de quodam commentario in Epiſtolas Paulinas pronuncianda ſint. *Oſium*, Epiſcopum Cordubenſem, excuſat, quod formulæ Sirmienſi Arianæ ſubſcripſerit, ac lapſus hujus cauſas in extrema ejus ætate & adhibita

contra ipſum violentia quærendas arbitratur. Libros duos Sermonum Latinorum tempore Trithemii *S. Antonio*, cui vitæ monaſticæ inſtitutio debeatur, adſcribi ſolitos, longe recentioris autoris eſſe judicat, & eum, cum eruditione careret, præter pauca opuſcula, ſimplicia quidem, ſed maxime pia, nihil compoſuiſſe refert, in ejus vita exponenda Athanaſii, quam nominat, deſcriptionem ſecutus. Ad *Serapionem Thmueum* ubi deſcendit, urbem hanc, cujus ipſe fuerit Epiſcopus, in provincia Sceti collocat, quod antea fecit etiam Baronius, ſed Holſtenii cenſura ideo notatus. *Euſebii Emeſeni* Homilias, quas nunc habemus, ab autoribus Latinis Euſebio hoc multum recentioribus conſcriptas aſſerit. *Liberium*, Epiſcopum Romanum, non ſtatim ſub Pontificatus ſui initium a communione Eccleſiæ Athanaſium eliminaſſe, ſed multo demum poſt ejus condemnationi adſtipulatum, mox tamen pœnitentia rurſus ductum fuiſſe teſtatur. E ſcriptis *Hilarii Pictavienſis* præcipue extollit libros duodecim de Trinitate, & nec prolixius nec meliori ordine conſcriptum opus in tota antiquitate reperiri arbitratur. Inter ſuppoſita ipſi refert non modo epiſtolam & hymnum ad Apram, ſed illum quoque de ligno crucis, qui incipit: *Pange lingua*, & alium de Johanne Baptiſta, cujus initium: *Ut queant laxis*. Erronea ejus dogmata, dum Chriſtum e vulneribus & ſtigmatibus dolorem non vere ſenſiſſe, creaturas inſuper omnes corporeas & ipſam animam humanam ſubſtantia & natura corporea prædita eſſe contendit, minime diſſimulat. Inter Noſtri vero παροράματα referendum eſt, quod Hilarii opera A. 1550. recognita dicit a Juſto Lipſio, cum Martinum Lipſium nominare debuiſſet. Carmen Heroicum de ſeptem fratribus Maccabæis, quod alii Victorino Petavionenſi, alii Hilario Arelatenſi adjudicare maluerunt, ipſe inter opuſcula *Victorini Afri* reponit, tametſi nihil in eo exquiſitum eſſe teſtetur. *Pacianus*, Barcinonenſis Epiſcopus, referente Hieronymo, tractatum elaboravit, quem non amplius habemus, ſub titulo Κέρβος, quæ vox cervum ſeu cervulum deſignat. Hunc Autor conſcriptum fuiſſe ait in ludum aliquem ſeu ceremoniam profanam & laſcivam, in qua corpus indecore ſteterit; quam conjecturam ipſi Colomeſius ſuppeditaſſe videtur. *Phœbadii* adverſus Arianos tractatum a Pithœo primum editum refert, ſed id jam ante eum

Digitized by Google

eum Theodorus Beza præſtitit. *Optatum Milevitanum* ſex tantum libros de ſchiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum, illius ſectæ Epiſcopum, conſcripſiſſe, ſeptimum vero ſuppoſititium eſſe notat. Inter editiones Optati illam ſua laude minus defraudari vult, quam Franc. Balduinus A. 1563. adornavit, eique præmiſit amplam ſatis Præfationem adverſus Jo. Calvinum, qui ex Optati hiſtoria id elicere conabatur, Principes legitimos eſſe judices rerum ad Religionem pertinentium. Sed hanc dein omiſit in ſecunda editione, Pariſiis A. 1569. una cum Victore Uticenſi impreſſa. Utut autem plures Optati editiones enumeret Dupinius, textum tamen adhuc corruptiſſimum apparere, & ſe forte ipſum ſubiturum dicit hunc laborem, ut eum e MStis optimæ notæ accuratius recognitum in lucem publicam aliquando emittat. *Apollinario*, Laodiceno Epiſcopo, a quo hæretici Apollinariſtæ nomen nacti fuere, nonnulli tribuunt tragœdiam, cui titulus, *Chriſtus patiens*, quæ alias Gregorii Nazianzeni nomen præmiſſum habet. Sed eam nec genium nec ſtylum hujus autoris redolere, & potiſſima illius ſcripta intercidiſſe affirmat, eorum tamen titulos & contenta aliunde referens. Provocat ad tractatum in 30. libros diviſum pro defenſione Religionis contra Porphyrium Philoſophum, cui majorem vim & venuſtatem inditam fuiſſe ſcribit, quam vel Euſebii, vel veterum aliorum operibus contra Religionem Ethnicam conceptis. Exponit inſuper, ut carminibus heroicis hiſtoriam Hebræorum usque ad Saulem concinnarit, opusque illud in 24. libros digeſſerit, ad imitationem Homeri; ut ex V. T. deſumſerit argumenta alia, pangens inde tragœdias, comœdias, & odas, ad imitationem Euripidis, Sophoclis, & Pindari; ut denique in Dialogorum formam redegerit Evangelia & Apoſtolorum epiſtolas, quo ſcribendi rationem Platoni uſitatam ſequeretur. Extat commentarius in Evangelium S. Lucæ, qui a *Tito Boſtbrenſi* profectus eſſe creditur; ſed hoc impugnat Autor, cum inibi citatum videas Hieronymum, Iſidorum Peluſiotam, & Cyrillum Alexandrinum, qui omnes poſt mortem Titi ſcripſerint. *Ephræmi* autem *Syri* opera, quæ adhuc habemus, genuina fere omnia dicere haud veretur, ne excepto quidem ejus Teſtamento, quod alii tamen, ſi non plane ſpurium, certe interpolatum exiſtimant. Ex *Damaſi* epiſtolis quæ genuinæ ſint, & quæ

confictæ ab Iſidoro Mercatore, explanat, & poſt alia interjecta valde celebrat *Baſilii* epiſtolas, quarum verſionem Latinam & Gallicam in ſe ſuſceperit, ſuo tempore cum notis prelo committendam. Librum ejus de Spiritu S. ad Amphilochium Proteſtantibus parum placere comminiſcitur, eo, quod nonnulla ipſis parum faventia contineat, ſicuti & Eraſmus eum rejicere non dubitarit. Ipſe contra ejus γνησιότητα defendit. *Cæſario*, fratri Gregorii Nazianzeni, abjudicat dialogos illos quatuor, qui 195. quæſtiones & reſponſiones circa res Theologicas ac Philoſophicas complectuntur. Sed rationes, quas hic repetit, præcipuas, dudum eſt, quod enervare ſtuduit Lambecius. Quæ ſub *Amphilochii* nomine legitur Baſilii vita, ſpuria ipſi eſt, nec meliori titulo dignatur cætera illius opera a Combefiſio vulgata, & Synodicam tantummodo Epiſtolam a Cotelerio Tomo II. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ inſertam eximit. *Diodorum*, Tarſenſem Epiſcopum, æque graviter erraſſe, ac Neſtorium, ceu volunt aliqui, pro vero non agnoſcit. Sed de *Philaſtrio* amplectitur ſententiam Eruditorum, qui multas eſſe dicunt in Catalogo ipſius Hæreſes nunquam exortas, cum & ſæpius opiniones veritati congruæ aut ſaltem problematicæ illuc relatæ fuerint. Librum de Sacramentis utrum ſcripſerit *Ambroſius*, in utramque partem diſputat, ac tandem negativam tuetur. Ejus editiones dum recenſet, Romanæ Cardinalis Montalti, poſtea Sixti V. Papæ, nævos capitales detegit, & laudat contra Patrum Benedictinorum in expolienda nova diligentiam. Epiſtola quædam *Epiphanii* ad Joannem Hieroſolymitanum a Baronio, Bellarmino, & aliis, tanquam interpolata, rejicitur, quod imaginum in templis uſum impugnet. Sed Autor eam ab hac ſuſpicione liberat. Plura addere poſſemus de aliis hujus ſeculi ſcriptoribus eccleſiaſticis, ſed iſta, ut ſperamus, jam ſufficient.

Celebratorum per iſtud tempus Conciliorum prolixus in hoc Tomo catalogus comparet, e quo nos damus hæc pauciſſima. Donatiſtas a Concilio Romano ad Conſtantinum Imp. provocaſſe inficiatur, queſtos tantum de illo Concilio aſſerens: qua in re Sirmondi & Valeſii ſententiam ſecutus eſt, a Schelſtrateno & aliis confutatam. Nicenum ſecundo Imperii Conſtantini anno habitum falſo autumat, cum annum Chriſti

Chriſti 325 Conſtantini decimo nono & vigeſimo reſpondere doctiores annotarint. Oſium in eo præſediſſe quidem ſtatuit, ſed neutiquam nomine Romani Pontificis, quandoquidem id nullus e veteribus adſtruxerit, & Gelaſium Cyzicenum, primùm hujus aſſerti propugnatorem, idoneæ rationes & autoritates deficiant. Nec Paphnutii candorem, quo Clericorum cœlibatum tunc inhibuit, in dubium vocare Noſter ſuſtinet: addit tamen, totum hujusmodi præſcriptum pertinere ad diſciplinam eccleſiaſticam, quæ poſſit immutari ſecundum tempora, minusque proin verendum, ne factum illud hodiernæ diſciplinæ aliquantum noceat. In Synodo Hieroſolymitana A. 335. Arium receptum eſſe ad communionem probat, inque eo diſſentit a Valeſio, qui Arium hoc tempore jam fato functum fuiſſe arbitratur. Hiſtoriam & acta concilii, quod Coloniæ Agrippinæ A. 346. contra Euphratam habitum nonnulli tradant, ſuppoſitionis arguit, in aliis vero haud paucis Canones tum promulgatos ſtudioſe recenſet.

In compendio doctrinæ quarti ſeculi affirmat, Patres pæne omnes credidiſſe, animas innocentes & peccatis ſuis purgatas frui beatitudine ante diem judicii, & impiorum animas ſtatim poſt mortem æternis flammis damnari: iſtas hominum animas eſſe quidem ſpirituales & immortales, dubium vero, utrum a Deo creentur immediate, an a parentibus producantur: liberos ſine Baptiſmo decedentes regno cœlorum excludi: panem & vinum Euchariſticum in corpus & ſanguinem Chriſti immutari: B. Virginem & ſanctos invocari, eorumque reliquias honorari debere, &c. Diſciplinam eccleſiaſticam majora hoc ſeculo incrementa ſumſiſſe, & eccleſiæ Romanæ Epiſcopum primatu potitum; auctam quoque cerimoniarum in Baptiſmo multitudinem; pœnitentiam publicam innumeris Canonibus definitam; Euchariſtiæ ſacramentum Laicis ordinarie ſub utraque ſpecie traditum; ſed nonnullis in caſibus ſub una tantum exhibitum fuiſſe; Agapas contra defeciſſe, memorat, tandemque cereorum, crucium, imaginum frequentiorem uſum, & quadrageſimalis jejunii obſervantiam obtinuiſſe tradit; ut reliqua iſtius generis nunc taceamus.

EPHE-

EPHEMERIDUM PHILOLOGICARUM Tomus, XII Diſcurſus complectens, quibus difficiliora quædam Pentateuchi loca ſunt illuſtrata: Autore HERMANNO von der Hardt / *Lingg. Orient. in Acad. Julia Profeſſore.*

Helmſtadii apud G. W. Hammium, A. 1693. in 8.

Plag. 12.

IN Exegeſi quoque dies diem docet. Animadverterunt viam hac ætate Philologi, ubi majores non ſuperandos metuerant ſcopulos. Quare Autor clariſſimus profeſſioni ſuæ reſponſurus, quædam in fontibus ſacris movere ſaxa eſt anniſus, ſicubi planiorem oſtendere poſſet viam. Quos ſuperari credidit montes, domi ſuis oſtendit auditoribus, fontium ſtudioſis, ut Philologiæ ſacræ & Exegeſeos virtutem mature cognoſcerent. *Privatos* iſtos in difficiliora Scripturæ loca *diſcurſus* publici juris facere cœpit, anſam daturus doctioribus curatius ſingula expendendi & felicius evolvendi.

Præivit *Prodromus* de *Fatis ſtudii Hebraici.* Nunciavit hîc, ſtudium Philologicum & Exegeticum invidenda quidem hactenus inter Chriſtianos feciſſe incrementa, ſed apicem plane nondum attigiſſe. A principio itaque fata repetiit. A *Judæis* antiquis orſus, myſticam illorum poſt captivitatem Babylonicam in Scripturam commentandi rationem, quæ Platonicam redoleret Philoſophiam, ex Philone declaravit. Illam autem a vera Exegeſi abiiſſe longius, monuit. Incunabula *Chriſtianiſmi* attingens, vagientes fere, non loquentes deprehendit Philologos & Exegetas, qui partim Judaicis faſciis impliciti, partim linguarum ſacrarum ignorantia faſcinati, meros allegoriarum luſus captaverint. *Auguſtini* ætatem vires quidem ſumſiſſe, ſed pertenues adhuc, legendis fontibus nondum pares. *Germanos* dein Moſi peregrino hoſpiti vix aures præbuiſſe. Etſi enim Latine & Germanice loqui fuerit coactus, verſionibus paratis, os tamen Moſis Hebræum Germanis nimis viſum diſtortum. *Raimundos* & *Lyras* ceciniſſe quidem, ſed deliraſſe ſæpius. Donec gemino abhinc ſeculo collapſa Conſtantino-

tinopoleos rudera exteros, Hebræos, Græcos & Latinos viros, ex oriente in occidentem & ad Germanos pellerent. *Reuchlinum* igitur Moſen hoſpitio excepiſſe, aluiſſe & ornaſſe, ſed admodum frugaliter & parce. Moſen *prima* linguæ ſuæ *rudimenta* debuiſſe eloqui, ut præiret Germanis. Sed in Hebræa iſthac ſchola, vel Reuchlini vel Moſis, vix ſuſcitata, ortum mox plagoſum Orbilium, *Pepericornium*, cornei cerebri virum, qui Reuchlinum cum Moſe flammis magis & ignitis telis exercere, aut confodere ac a ſtudio abſterrere maluerit, quam ad diligentiam in illo excitare. Sic *bellum* primum *philologicum*, inter ingenuum hunc fontium cultorem *Reuchlinum*, & inter brutum mancipium *Pepericornium*, exortum, breviter deſcripſit Autor, demonſtratis armis utrinque adhibitis. Exhibuit machinas *Pepericorni*, A. 1510. paratas: *Reuchlini* munimenta, A. 1511. oppoſita: *Arnoldi de Tungeri & Ortwini Gratii*, Colonienſium Profeſſorum, copias, A. 1512. in ſubſidium Pepericornio miſſas: Novum *Reuchlini* propugnaculum, A. 1513. ſuſcitatum, & A. 1514. roboratum: Novum *Colonienſium* in Reuchlinum impetum, eodem anno factum, ut & ſubſidiarium *Pariſienſium* militem: *Epiſtolas ſale conditas* ad obſcurum Reuchlini hoſtem, Ortvvinum Gratium A. 1516. ſcriptas: Inſulſas *Pepericorni* reſponſiones: Artes *Reuchlini* Cabbaliſticas, cum quæſito a Leone X. Pontifice auxilio, literis A. 1517. datis: *Hermanni Buſchii, Ulrici Hutteni, Hermanni Comitis Nuenarii*, præſidia, Reuchlino A. 1518. oblata: Victoriam denique, eodem anno ab invicto heroe *Reuchlino* partam, proſtrato hoſte infenſiſſimo, Jacobo Hochſtraten: Triumphum *Reuchlini*, a Georgio Benigno Nazareno Archi-Epiſcopo celebratum: ut & Hebraicas, Græcas & Latinas *illuſtrium virorum epiſtolas* ad Reuchlinum ſcriptas, A. 1519. collectas & memoriæ poſterorum commendatas. Literario hoc veteri armario excuſſo, qui ex palæſtra & ſchola Reuchlini, finito bello, *Hebræi* prodierint *diſcipuli*, paratis A. 1506. *primis Rudimentis Hebraicis*, ſuo porro recenſuit ordine. Poſt *Franciſcum Ximenium*, Cardinalem, qui operas Hebraicas & Chaldaicas A. 1515. in Hiſpania adornarat, *Conradum Pellicanum* produxit, primum poſt Reuchlinum publicum inter Germanos Moſis cultorem, a Wolfgango Fabritio Capitone commendatum. Succeſſiſſe meminit A. 1518. *Joannem Pötken*, Eccleſiæ D. Georgii Colonienſis Præpoſitum, nec non laudatum *Capitonem*, Theologiæ doctorem,

& concionatorem Basileensem. Majora fuisse molitum A. 1523. & sequentibus, usque ad medium seculi, *Sebastianum Munsterum*, Minoritam, cum *Paulo Fagio*, *Sante Pagnino*, aliisque. Incrementa ulteriora, ac nobiliora Philologiæ fata, ab illa ad nostram usque ætatem, bellorum tempestatibus fere fuisse turbata conqueritur. Donec jacentes & armis in Germania succumbentes nobilissimæ illæ literæ inter *Belgas* & *Anglos* caput exeruerint, & resurgere cœperint. Inter *Germanos* tandem etiam majores collegisse vires. Ut spes sit, illas decorem aliquando masculum consecuturas. Maxime, cum plura hodie suppetant præsidia, antiquitatis Judaicæ monumenta. Et suam ergo opellam cum conferre jussus sit Autor, brevibus illis *Discursibus Philologicis* in obscura quædam fontium loca, ansam se duntaxat dare constituisse ingenue fatetur, ut alii, pluribus instructi præsidiis exegeticis & antiquis monumentis, cuncta rectius evolvant. Suam sententiam nemini obtrudit, quid sibi videatur in singulis, modeste, remotis omnibus aculeis, indicasse contentus, libera sua cuivis relicta opinione. Ut nec lites ullæ cuiquam motæ. Brevitatis studiosissimus ea resecuit omnia, quæ ad rem non pertinere viderentur, ut legentium inserviret voluptati & consuleret tædio.

Discursu I. *Alam templi Hierosolymitani* monstrat, Matth. IV, 4. Luc. IV, 9. Quatuor eminentia in templo loca describit, ut, quæ fuerit illa templi ala, evadat probabilius. *Cap. I.* מעקה *Loricam Sanctuarii* depingit, ædificii illius sacri contignationem superiorem ex probatissimis Rabbinis delineans. In *privatis* Judæorum ædificiis *tectum planum*, ideoque lorica cinctum, in *publicis* vero sacris ædificiis fuisse *acuminatum*. Sic in *Sanctuario*, trabibus & tabulis supremis, instratam quidem fuisse *crustam* מעזיבה, sed *tectum* nihilominus impositum *acuminatum & declive*. *Loricam* etiam, non tamen nisi ornatus gratia, adhibitam. Loricæ vero, tres cubitos altæ, *taeniam* impositam כולה העורב, *ferreosve aculeos* infixos, unius cubiti. Ut nullus in lorica illa consistendi esset locus, ne avibus quidem, quibus arcendis aculei ferrei parati, quanto minus homini. Unde colligitur, pluribus adductis argumentis, Christum in *acuta* illa *sanctuarii lorica* stare non potuisse. Tria igitur alia celsa in atriis loca ostendit Autor, colloquio illi & certamini aptiora. Nempe *Cap. II.* כסא המלוכה *Thronum regium*

in

in templo digito Rabbinorum demonſtrat, qui Regibus ex domo David oriundis ſedem daret, dum ſacris eſſent interfuturi. Celſitudine reliquos templi muros ſuperaſſe, celſæ inſtar turris. Ut non immerito diceretur כנף πτερύγιον: cum Judæis *ala* dicatur, quicquid a reliquo corpore prominet. Nec incongruum hunc fuiſſe thronum, in quem deduceretur a tentante Chriſtus, utpote Rex, filius David, publice per Baptiſtam jam declaratus, cum quo de regni negotiis in ſede regia, inſidiis poſitis diſſereret. *Cap. III.* בימה *Pulpitum Regis in templo* ſtylo Rabbinorum delineat, quod quovis ſeptennio in feſto Tabernaculorum Regi extructum, in quo ſolenniter ex Moſe jura regis populo prælegeret. *Alæ* nomen meruiſſe, cum anguſtam & celſam præ ſe ferret turrem. Nec tentationi Chriſti fuiſſe incommodum, ubi de juribus Regis ſermo, adeoque regni ageretur cauſa. *Cap. IV. Baſilicam* ſplendidam *in templo* בסיליקי ſpectandam ſiſtit, alias לשכת הגזית *conclave Gaſith* dictam. Muro atrii Iſraelitarum impoſitum hoc ædificium, prominuiſſe tum in atrium Iſraelitarum, tum in atrium gentium. Ut *duæ* ejus eſſent *alæ*, altera *interior*, *ſanctæ* dicta, quod in ſanctum locum aut in ipſum templum vergeret; altera *exterior, profana*, quod in atrium gentium foras proſpiceret. Ad utramque alam, interiorem & exteriorem, oſtia & *gradus* fuiſſe paratos, per quos aſcenderetur in utramque, & deſcenderetur in atrium Iſraelitarum & gentium. *Alam interiorem* Regi ſedenti, *exteriorem* magnifico Conſiſtorii aut magni Synedrii Judaici conſeſſui deſtinatam fuiſſe, ubi res maximæ componerentur. *Exteriorem alam* celeberrimam tentationi Chriſti haud male conveniſſe. Etſi vero optionem det Lectori Autor, ex tribus laudatis locis, Throno regio, Pulpito regio, Baſilica, eligendi, quem colloquio Satanæ cum Chriſto credat aptiorem: inclinat tamen in *alam exteriorem Baſilicæ*. Dum Diabolus, ſub Judæi alicujus vel primarii forma (cum formam hominis præ ſe tuliſſe aſſerant omnes docti) Chriſtum ad Synedrium rapuerit, inque alam illam celſam & celeberrimam traxerit, coram Synedrio quæſiti regni Judaici nomine eum accuſaturus, & tanquam ſeditioſum neci daturus. Unde urgente coram Synedrio diſceptatione, verba audiverit minacia: Tune ſis Meſſias, Judæorum Rex? Apage te, deſcende (cum eſſent gradus, per quos ex ala deſcenderet) aut præceps datus rues. Quibus minis animum oppoſuerit imperterritum Chriſtus.

Diſc. II. *Chami delictum & pœnam* examinat. Gen. IX, 20–27. Reconditum alias & ab Interpretibus ſollicite quæſitum Chami ſcelus *injuriam* dicit fuiſſe, *a Chamo conjugali parentis ſui Noachi thoro illatam, matre vel noverca violata.* Idque ex textu ipſo & conſueto Scripturæ ſtylo declarat. *Denudari*, honeſto ſtyli ſacri charactere, notare *Venerem. Nuditatemque patris* ipſam eſſe *uxorem patris*, probat ex Lev. XVIII, 6. ſeqq. & c. 20. Ubi tum *nuditas patris uxor* vocatur *patris*, *nuditas fratris uxor fratris*, *nuditas patrui uxor patrui: Videre* porro *nuditatem* vel patris vel fratris vel patrui, *thori conjugalis*, patris, fratris aut patrui, *jura uſurpare.* Ut exemplo Ruben & Abſolomi laxata a Chamo cupidinis frena caſte notaverit & damnaverit Moſes, furti occaſionem demonſtrans, crapulam parentis. Detectum hoc ſcelus mox ab aliquo cognatorum fratribus foris agentibus. Qui intolerabilem hanc injuriam, parentis thalamo illatam, indigniſſime ferentes, ſubito advolarint, ac utrosque, Chamum cum Venere, deprehenderint, in quos irati pallia ſua conjecerint, ſceleris a Chamo commiſſi teſtes futuri. Mox iterum, intacta illa relicta, egreſſos inde fratres, poſtridie retuliſſe parenti, quod ipſe & res ejus familiariſſima paſſa eſſet damnum. Qui injuriæ & damni impatiens Teſtamento caverit, Canaanem, ex furtivo illo ſed infelici amore vel inceſtu natum, ab hæreditate omni eſſe excludendum: Semique & Japheti poſteros, jus dominii in Canaanis nepotes meritos, admittere non debere, ut emergant unquam Cananæi. Ex qua juſta Canaanis, illegitimi filii, exhæredatione natum jus Semitarum in Cananæos, omni poſſeſſione ſemper excutiendos ac in ſervitutem redigendos. Cujus teſtamenti executio multis demum poſt ſeculis per Iſraelitas contigerit, Cananæis tandem pulſis & cæſis.

Diſc. III. *Babelis ortum* & prima fata rimatur. Gen. X, 10. & XI, 1–9. *Conſpiraſſe* Chamitas, exhæredationem Canaanis & notam, Chamo a fratribus ex detecto ſcelere inuſtam, ulturos, duce præcipue Nimrodo. Quod cum *uno* omnes agerent *ore*, propugnaculum extruxiſſe munitum, quod Semitis oppoſitum ab incurſionibus Semitarum Chamitas præſtaret immunes. Mœnia & turres in illis excitatas altiſſimas. Juſto vero Dei judicio *ſeditionem* ortam in iſt hoc propugnaculo, in quo roborando erant occupati. Ut Nimrodicæ tyrannidis & nefariorum ejus conſiliorum pertæſi confœderati diſſi-

diſſilirent. Eoque munitioni validiſſimæ pertexendæ imponeretur finis, dilapſis ſociis, & nomine *Babelis* vel *ſeditionis* propugnaculo relicto. Qui fontes immortalium bellorum inter Babylonios, & Semi poſteros, Iſraelitas.

Diſc. IV. *Monumentum uxoris Loti* depingit. Gen. XIX, 26. Hoſpites divinos, a Loto exceptos, ſua præſentia ſuſpicionem moviſſe in animis civium Sodomæ, urbis maritimæ, quaſi filias Loti, civibus Sodomæ jam deſponſatas, eſſent ducturi. Quæ cauſa furoris. Ut creditи facti indignitate commoti, injuſtam hanc cauſam & ſponſarum rapinam vindicaturi, in ædes Loti & creditos ſponſos novos ruerent. Iniquam ſuſpicionem declinaſſe Lotum, dum illibatas eſſe filias, & civibus quibus eſſent deſponſatæ, non ſubducendas nunciaris, ideoque ad extinguendam falſam ſuſpicionem, filias ſuas, ſponſas, maritis extradendas obtulerit. Verum furore aucto, monitum Lotum, qui cum tota familia, ex urbe, juſto Dei judicio flammis jam delenda, absque mora emigraret. Emigraſſe familiam fere invitam. Ex urbe & imminenti incendio liberatos, juſſos ne reſpicerent, neve moras ulteriores necterent, ſed celeri fuga ſalutem quærerent. Lotum dictis obtemperaſſe, nec reſpexiſſe aut moras nexuiſſe, ſed fugiſſe. Uxorem autem Loti, quæ invita emigraverat, moniti immemorem, remeaſſe, atque ita ad reculas relictas redeuntem, cœleſtibus flammis inter fulgura & tonitrua correptam, cum urbe & gramine campi conflagraſſe. Quo infelici uxoris Loti ad incendium reditu diſcipulos ſuos terruerit Chriſtus, a reditu ad urbem Hieroſolymam conflagrantem eos abſterriturus. Luc. XVII, 31. In memoriam inauditi hujus exempli, *monumentum* tandem a poſteris in illis campis *uxori Loti poſitum*. Adhibito ad illius ſtructuram חמר *bitumine*, ex vicino mari bituminoſo ſumpto, quod ad ſuſcitanda ſolida mœnia ac monumenta alias adhibebatur.

Diſc. V. *Jobi imagines* recenſet. Gen. XLVI, 13. Job. I, 1. *Filium* fuiſſe *Iſaſcharis*, *nepotem Jacobi* Patriarchæ. Nomine tandem cum fortuna aucto, dictum pro יוב *Job* ישוב *Jaſchub* Num. XXVI, 24. 1. Chr. VII, 1. & איוב *Ijob*. Quæ nominis mutatio Judæis olim frequentiſſima. Probatur hoc Jobi genus ex omnibus circumſtantiis, accurate in eum quadrantibus, adjectis doctiſſimorum Rabbinorum teſtimoniis, dubiis etiam obviis ſolutis.

Disc. VI. *Columnam nubis & ignis* lustrat. Exod. XIII, 21. 22. In migratione Israeliticæ gentis ex Ægypto in terram Canaan, juris & mandati divini autoritatem a Mose strenue decantatam observat. Quare jus Judæorum in terram Canaan a testamento proavi, Noachi, repetit, quo Cananæi ad æternum jugum damnati, & Abrahamitis aut Israelitis testamenti executio & Cananæorum subjugatio divino consilio relicta. Mosen ergo, in hac migratione, juris & divinæ autoritatis publicum testimonium semper in oculis populi versari voluisse. Indeque illustrem cultus sacri characterem populo præferri jussisse, *ignem sacrum in ara*, a majoribus, Noacho, Abrahamo, sancte acceptum. Ignem illum sacrum, nunquam extinguendum, *interdiu denso fumo*, ex ara ascendente, *nubis columnam* oculis populi sequentis objecisse; *nocte* ignis lucem & *flammam assurgentem*, ex ambiente fumo transparentem visam, adeoque *columnam ignis* conspectam. Ut Deum sibi præsentissimum ex sacri ignis charactere, die nocteque præeunte, intelligerent. Sacrum hunc in ara ignem, præferri alias solitum, insequentibus Ægyptiis in itineris principio objectum, qui exercitum Israelitarum ab hoste insequente distingueret, & hunc arceret. Exod. XIV. Quo conspecto Ægyptii mox territi & repulsi. Extructo tandem tabernaculo perennem hunc sacrum ignem illatum.

Disc. VII. *Panem in deserto spiritualem* ponderat. Exod. XVI, 4. Num. XI, 7. 8. 1. Cor. X, 3. Famem populi Israelitici in aridis desertis spe longa auctam magis quam pulsam, in desperationem prope abiisse refert. Ut fidei æque ac panis maxima esset penuria. Promissione divina, & panis lauti ac melliti pollicitatione, fidem difficulter servatam, & ventriculo vix factum satis. Donec turba inveniret in superficie terræ Mannæ frugem, grana minuta, rotunda, candida, dulcia & mellita, ex rore cœli terræ incumbente ac disparente instar pruinæ reliqua. Quæ ante Solis æstum collecta, siccata vel tosta, ad omnes usus adhibita, ut molis & mortariis trita, in pinsendo & coquendo optimam farinam præstarent. Decentem & justam in tam numeroso populo novi hujus muneris farinacei dispensationem compulisse Mosen ad *edicta publica*, ad arcendam intemperantiam & invidiam turbæ. Sic prudentiam legislatoris conspectam in *decreto*, pro cujuslibet capite in qualibet familia singulis diebus certam hujus farinæ aut mannæ mensuram esse colligendam, quæ uni cor-

Digitized by Google

corpori uno ſufficeret die. Ut ſervato hoc ordine, abuſus & litium materia evitaretur. Unde, qui magnam aluit familiam, pro numero capitum multas collegerit menſuras, qui parvam, paucas. Ut quisque quotidie haberet farinæ quantum ſatis, nec eſſet, cur unus alteri præriperet. Secutum mox novum *edictum*, ne quid humidæ hujus eſcæ in alterum differretur diem: tum, ne quis avidius in plures dies colligens alteri victum præriperet, tum, ut putredo metuenda declinaretur. *Edicto* etiam cautum de tempore colligendæ hujus frugis, mane, ante Solis æſtum. Cum radii Solis lambendo maſſam diſſolverent, ac die colligendi laborem irritum redderent. Severum acceſſiſſe *mandatum*, ut ſexto ſeptimanæ die gemina pro quolibet capite colligeretur menſura, in geminum diem, ſextum illum & ſeptimum feriandum. Sabbati namq; die in publicum prodire nefas, quanto minus foris colligere integrum. *Injunctus* quoque plebi geminæ illius in geminum diem menſuræ diſpenſandæ modus: pinſerent & coquerent ex gemina menſura, quod piſtum utroque die aut coctum vellent; demenſo diei ſexti fruerentur, reliquum piſti vel cocti in ſabbati uſum aſſervarent. Quo pacto ex die ſexto reliqua piſti vel cocti pars die ſeptimo a putredine & vermibus immunis ſervata. Sancte porro *edicto* promulgato proviſum: cum ſuppeteret ex ſuperiori die ſatis quo ſabbato fruerentur, ne quis ſabbato in publicum prodiret, farinæ colligendæ cauſa. Quippe dum poſt quietem ſabbaticam, diſſoluta Solis æſtu fruges quærentes falleret. Edictorum transgreſſores graves dediſſe pœnas. Frugis vel farinæ hujus copiam ſuppetiiſſe in deſerto illo, donec ad agros nova fruge ſuperbos in vicinia terræ Canaan accederent. Frugis vel farinæ hujus toſtæ vel piſtæ certam portionem, juſſu Moſis in poſterorum memoriam religioſe aſſervatam. Inter delicata dulci huic eſcæ in Eccleſia Judaica poſtmodum impoſita nomina, *fruges cæli* vel aeris, *panis magnatum*, extitiſſe præcipuum, *panis ſpiritualis* לחם רוחני. Cujus antiquæ & Judaicæ appellationis rationes ex Rabbinis antiquioribus & recentioribus afferuntur, & ſingulæ breviter expenduntur. Intentionem veterum redire tandem in *promiſſionem*, quod a Deo per Moſen *promiſſus* hic cibus. Ut a *ſpiritu* vel verbo ac *promiſſione* dicatur *ſpiritualis*, h. e. *promiſſus*. Quem appoſitum Mannæ characterem Paulus retinuit 1. Cor. XII, 2.

Diſc.

Disc. VIII. *Aquam spiritualem in deserto & petram populum sequentem* exhibet. Exod. XVII, 6. Num. XX, 8. 1. Cor. X, 4. Sitis æstum, & magnam ejus vim in populi Judaici bilem, incendium gutturis & bilis in deserto auxisse nunciat, quo fere consumtus Moses. Neque vero illum suo spiritu & gravi alloquio incendium furentis populi extinguere potuisse, nec spiritu & *promissione divina* ante sopitum, quam torrens affunderetur aquæ. In desertum proinde Horeb, in quo olim greges soceri sui paverat Moses, ductum exercitum, e saxis & rupibus promanantem, divinaque manu elicitum deprehendisse fluvium, prævia solenni actione sacra, rupe Mosis manu percussa, & igne sacro in ara advecto, præsentiæ divinæ charactere. Memoriam hujus *a Deo promissæ* aquæ servatam inter Judæos sub charactere præcipuo *fontis* & *aquæ spiritualis* מים רוחנים, h. e. divino spiritu *promissæ*. Celebres alias *fontis Mirjam* & *petræ sequentis* denominationes similiter ex Judæorum monumentis eruit. Quam tanti beneficii memoriam recoluerit Paulus, communibus illis in Ecclesia characteribus servatis. 1. Cor. X, 4.

Disc. IX. *Vitulantes in deserto Israelitas* contemplatur. Exod. XXXII. Repletos Israelitas in victus abundantia *luxuriari* cœpisse, ut & vitulum facerent in deserto publice & cum pompa. Occasionem fuisse populo, longiorem Mosis absentiam. Menti interea & memoriæ plebis obversatas promissas a Mose centies in Ægypto ante exitum epulas, sacrificiorum & conviviorum sacrorum dapes, in deserto parandas. Populi itaque appetitum, epulis publicis festivis imminentem, celebritatem festi maturandam ursisse apud Aaronem. Sed ex pristino idololatrico Ægypti cultu, cui olim adsueti, incidisse bovis aut vituli imaginem. Consilia & mandata Aaronis de spoliandis uxoribus & propriis filiabus, quibus a vitulo faciendo oblique & callide avocaret epulaturos, irrita fuisse, ob vehementiam appetitus in avida epularum plebe. Ut indultu Aaronis timidi, qui auri spolium igni dederat, populus pergeret ope artificum formare, dolare ac auro inducere deastrum. Cujus pulchelli, inaurati, a plebe confecti vituli culpa in Aaronem omnino redierit, ex ejus indulgentia, timiditatis filia. Viso hoc festivo vitulo, splendido tectorio obducto, territum Aaronem, ut ex arena consilium caperet, & quas tollere non

posset

posset dapes reliquas, non vitulo festivo, sed vero Deo consecrare juberet. Verum cum vitulari post epulas pergerent, choreis institutis & jubilis fusis, festivo illo boatu commotum in monte Mosen. Qui subito descendens, vitulantis populi petulantia offensus, justam in vitulum & vitulantes effuderit iram, igni mancipato illo, cinereque in fluvium sparso & populo propinato, his cæsis. Aaronem quoque in inquisitione culpam non omnino a se amolientem, graviter correptum. Cum vero inter vicinas gentes festivus ille Judæorum redoleret vitulus, ne ludibrio haberetur, & in prælio pudor animos prosterneret, de expiando populo sollicitum Mosen rediisse in montem.

Disc. X. *Radiantem vultum Mosis* intuetur. Exod. XXXIV. 29. seqq. 2. Cor. III, 7. Ex vitulo confecto, etsi sublato, Mosen dolore plenum, apud iratum Deum se intercessurum promisisse quidem, & veniam quæsiturum spopondisse: sed timorem tamen in pectoribus omnium spe levis veniæ non extinxisse. Quare non absolute promissam veniam, sed sub formidine augendæ iræ divinæ. Ut sollicitudo & justus metus, spe temperatus, effrenam gentem refrenaret. Penetrasse sic ad Deum, populo inter spem metumque interea hærente. Ast iræ divinæ flammas a Mose deprehensas. Reversum Mosen e monte gravissimam Dei iram populo nunciasse, terroremque incussisse vehementissimum, dum exuere omnem ornatum Dei nomine jussit, & sordido habitu comparere mandavit, ad audiendam feralem Dei sententiam. Atque ita metu perculsum & fulmine quasi prostratum, sordido habitu ad pedes ejus provolutum populum. *Tribunal* quoque publicum *sacrum* hac occasione constitutum extra castra, coram quo dum populo jus dicendum, e castris suis emigraret, & Mosen ad tribunal sacrum commeantem oculis eminus prosequeretur turba. Charactere divinæ majestatis, igne sacro in ara, ante tribunal posito, quo erga Deum devotio & Mosis veneratio integra servaretur. Mosen dein denuo adiisse Deum in monte, ut novas apportaret tabulas: populo interim ancipite & inter spem metumque quadraginta diebus & noctibus relicto. Reducem Mosen, radiante, aut ex fervore animi inter ardentissima cum Deo irato colloquia inflammato vultu, vehementer terruisse obvium Aaronem & universum populum. Ut conspecto vultu Mosis ardente resilirent, metu superiori

aucto retracti & repulsi. Quippe qui jam tum metu pleni ex ardore vultus iræ impetum colligerent. Mosen qui ingentem ex ardentibus precibus & affectibus natum in vultu æstum non attenderat, a fuga revocato Aaroni & senioribus causam apud Deum actam recensuisse, populo referendam. A quo tempore consilium ceptum de velando imposterum vultu, ne quis unquam ex plebe Mosis amplius conspiceret faciem, cujus conspectu postremo essent territi. Ut perpetua terroris memoria venerationem justam renovaret. Nec ante velum a vultu Mosis remotum, quam dum in tentorium ad tribunal sacrum se conferret; post egressum iterum appensum. Ex quo vultus Mosaici velamine allegoriam texuerit Apostolus 2. Cor. III, 7. 14. 15. 16. 17.

Disc. XI. *Condimentum sacrificiorum* ex Lev. XI, 13. eruit. מלח Sal in suffitu non minus sacro ac in adolendis sacrificiis, non sal fuisse culinarium, sed *bitumen Sodomiticum*, e mari Sodomitico depromptum, quod cum thure fragrantia sua suavem in suffitu & sacrificiis adolendis spiraret odorem. Unde sacrificia dicta *munera grati odoris*. Uti & *bitumen* hoc sacrificiis adspersum, *bitumen* dictum *fœderis Dei*, quod nullum sacrificium illo carere deberet, adeoque ad fœdus Dei pertineret. Ex quo sacrificiorum condimento explicata difficiliora quædam N. T. loca, Marc. IX, 49. ubi descriptus pœnæ infernalis horror, auctus figura, a sacrificiis ex adspersо bitumine ardentibus sumpta. Hoc sensu: *Omnis* talis homo, qui dissidia inter Christianos non caverit, *igne condietur*: sic igne infernali torquebitur, *sicut omnis victima*, igne in ara consumenda, *bitumine* Sodomitico *conditur*, ut alantur flammæ. Ut a minis ad monita pergat Christus, pacis & charitatis studium commendaturus, continuata figura, a bitumine Sodomitico desumpta: *Egregia omnino res est bitumen*, quo res arcte compingi & combinari possunt. Quod idem, ac, amoris vinculum inter Christianos rem esse præclaram. Sed & orti dissidii subnexa damna: *Quod si vero bitumen redditum fuerit ineptum* ad conglutinandum, ut & in calce vel pice veteri videre est, *quid quæso erit, quo amissa vis constringendi reddi possit? Qua arte bitumini invalido, enervato, & soluto, prior combinandi virtus poterit restitui?* Tam difficile, ut solutum amoris vinculum resarciatur, & prior concordia ac harmonia redeat. Subjunctum denique ad amorem calcar: *Tenete inter vos bitumen tenax, & pacem inter vos servate.*

Pari

Pari ratione explicata loca Matth. V, 13. & Luc. IX, 34. 35. ex *bituminis Sodomitici* natura.

Diſc. XII. *Veſtes Iſraelitarum in deſerto non detritas* excutit, Deut. IIX, 4. XXIX, 5. Neh. IX, 21. Judæorum traditiones, de miraculoſa conſervatione, veſtibus illis affrictas, detergit. Abunde vero Iſraelitis in deſerto Arabico ſuppetiiſſe lanam, ex bobus & ovibus magnam pellium excidiſſe copiam, opificum etiam & præſtantiſſimorum artificum haud exiguum adfuiſſe numerum demonſtrat. Ut veſtes lineas laneasque & calceos abunde parari contigerit in Iſraelitico cœtu, ad formam reipublicæ adornato.

C. H. Z. DE PROBLEMATE BERNOULliano in Actis Lipſienſibus hujus anni pag. 235 propoſito.

ELegans inprimis eſſe hoc Problema, cum ex iis quæ Clariſſimus inventor de eo prodidit, tum ex ſolutione & commentatione fraterna manifeſtum eſt. A quo inveſtigando cum propter inſignem difficultatem, quæ ſtatim ſeſe offerebat, abſtinere ſtatuerim (neq; enim omnibus perquirendis, quæ a Viris eruditis exercitii gratia proponuntur, incumbere neceſſe exiſtimo, aut aſſequendis parem me profiteor) non deſiit tamen quaſi invitum compellere recurrens identidem quæſiti non vulgaris idea, donec tandem quod deſiderabam obtinui. Inventa nimirum *æquatione differentiali*, in qua ex altera parte erat elementum trapezii hyperbolici, ab aſymptoto perpendicularibus intercepti; ab altera elementum ſpatii curvilinei, quod itidem ad trapezium hyperbolicum reduci poſſet. Quod apertius exponerem, niſi relinquendam etiamnum aliis putarem inquirendi voluptatem. Inde eo rem deducebam, ut trapezium ejusmodi hyperbolicum ſecandum eſſet aut augendum ſecundum rationem datam. Quod cum per medias aut continue proportionales fieri poſſit, ubi ratio tangentis ad abſciſſam eſt ea quæ numeri ad numerum, hinc apparuit curvam quæſitam tunc iis accenſendam quæ geometricæ vocantur, alias eſſe ex heterogeneis; ac tamen conſtructionem dari poſita lineæ logarithmicæ deſcriptione, quam quidem hic adducerem, niſi viderem

haud difficulter ex ipsa Jacobi Bernoullii doctissima simul brevissimaque solutione omnia erui posse, ut jam ab aliis occupatam dubitem.

Colligitur vero ex his illud animadversione dignum, nempe quandocunque in investigatione curvarum ex tangentibus aut subtangentibus ejus, ad similes ei quam dixi æquationes pervenietur, aut in quibus habeatur utrinque elementum spatii ad trapezium hyperbolicum reductibilis; tunc idem hoc, quod mirabile hic accidit, eventurum, ut curvæ geometricæ diversorum generum graduumque existant, si hyperbolarum ad quas devenitur rectangula quæ in asymptotis, sint commensurabilia. Præterea observanda venit in hoc problemate inusitata ac singularis analysis via, quæ ad alia multa in hac Tangentium doctrina aditum aperit, ut egregie jam animadvertit Vir Celeberrimus *calculi differentialis* inventor, sine quo vix esset, ut ad hasce geometriæ subtilitates admitteremur. Porro quod ad curvarum, de quibus agitur, designationem in plano attinet, possem, si operæ pretium esset, alios modos ac fortasse commodiores indicare quam qui a Cl. Bernoullio præscribitur, atque etiam docere qua ratione optime peragatur descriptio nostræ quadratricis hyperbolæ, quæ inter *Tractorias* (ita enim vocari possunt) simpliciſſima censenda est, cum ad eam filis nihil opus sit, sed bacillo tantum utrinque cuspidem lateri infixam habente, quo fit ut & regressu explorari possit quam recte exarata sit. Sed his supersedendum arbitror, donec insignis usus aliquis harum linearum in lucem proferatur. Interim aliam quandam utilissimam curvam nuper mihi repertam Geometræ sciant, cujus opera horologiis æqualis motus conciliatur, atque ejusmodi ut maris agitatione nequaquam turbari aut imminui queat; quod in pendulis nostris hactenus usurpatis non satis caveri potuit. Adeo ut nova ac certior spes nunc affulgeat perficiendi Longitudinum inventi. Curva hæc formatur,

aabbcdeeeeefiiiiilllmmmmnorrssttuux.

EXCERPTUM EX EPISTOLA G. G. L. cui præcedens meditatio fuit inclusa.

Mitto

Merito meditationem quæ ſatis indicat autorem ſuum, tum magnitudine præclarorum inventorum, tum ipſa magnis viris ſuetæ ingenuitate. Nam & meo qualicunque invento debere aliquid voluit, cum ipſe pro ſua in his ſtudiis autoritate & meritis, facile omnia a ſe petiiſſe videri poſſit. Cæterum video ipſum, qua eſt perſpicacia, ubi primum animum ad noſtrum calculum differentialem appulit, ſtatim animadvertiſſe, quid in eo ſit optimum. Nempe quod ita ſolutiones generales habeantur, quæ ſua natura porriguntur ad quantitates tranſcendentes, in certis autem caſibus, ut fieri poteſt, ad ordinarias ducunt. Mirarer, quod ſolas illas quæ æquationibus certi gradus ſubjacent, Geometricas vocare adhuc videtur, niſi judicarem, ſequi magis vulgi morem ea in re, quam probare, dum de iis ait, *quæ Geometricæ vocantur*. Ego putem, ut veteres quidam recte reprehenſi ſunt, quod Geometricum ſatis eſſe negarent, quicquid circulo aut regula effici non poſſet; ita nec illorum hodie errori favendum eſſe, qui Geometriam ſolis æquationibus Algebræ gradariis metiuntur; cum Geometricum potius ſit, quicquid motu continuo exacte conſtrui poteſt. Quod ſi ille non admittit, ſuis ipſe præclaris inventis injuriam facit, cum ipſemet inprimis auxerit Geometricas conſtructiones: nam evolutionum inventum, quod Hugenio debemus, quantivis pretii eſt, & nunc tractorias conſtructiones protraxit in publicum primus. Nam etſi ego prior jam a multis annis idem tacitus verſaverim, & ut arbitror longius etiam provexerim, fateor tamen ideam primam hujus motus mihi a Perralto veniſſe, etſi a me profecta ſit reſolutio ejus ſeu applicatio ad Geometriam. At Hugenium judico utrumque ſibi ipſi debere. Quod vero nunc ſpem facit motus hujus tractorii reddendi quam accuratiſſimi, ſi forte inſignis aliquis hujusmodi linearum uſus in lucem proferatur, non dubito quin ſit libentius impleturus, viſo nupero ſchediaſmate meo menſis Septembris, ubi oſtenſum eſt, omnes quadraturas tali motu, etſi compoſitiore conſtrui poſſe. Ad ſchediaſma dictum adjicere placet, poſſe *in figura 3* totam tabulam RM, cum appendicibus, nempe cylindris TG, FE, & directrice rigida EE in eodem plano vel æquivalente eſſe cum ipſo plano lineæ deſcribendæ C (C). Cæterum curvam directricem rigidam ſæpe commode vitari poſſe, & adhibitis pro ea rectis materialibus, quibus poteſt deſcribi.

LE NEPTUNE FRANCOIS &c.

h. e.

Neptunus Gallicus, ſeu Atlas novus mapparum nauticarum &c.

Pariſiis apud Hubertum Jaillotum, & Amſtelodami apud Huguetanos, Anno 1693, in fol.

INter cætera hodierni Galliarum Monarchæ opera, quibus artes & ſcientias, ſumtibus magnificis & indefeſſo ſtudio, ad ſummum culmen evehere anniſus eſt, non poſtremo loco memoranda ſunt, quæ rei nauticæ ornandæ impendit. Cui perficiendæ, cum poſt impenſas multorum annorum operas, nihil deeſſe videretur, quam accurata deſcriptio littorum partiumque oris maritimis confinium, tabulis ſeu mappis nauticis exarata: adornandis iis, non ſolum per mathematicos Academiæ ſuæ regiæ ſcientiſſimos, latitudines & longitudines celebriorum terræ locorum obſervationibus exactiſſimis inquiſivit; ſed per architectos & naucleros peritiſſimos tam proprii regni, quam exterarum provinciarum, littoralia explorari conſignarique curavit; chartas etiam, diaria & documenta nautarum perſpectæ fidei, quæ negotio huic aliquid conferre poſſent, ſolicite conquiſivit.

Memoratis ergo obſervationibus, & hiſtoriæ chartisque nauticis ſuperſtructus, ſub auſpiciis Regis Galliarum prodit hic Atlas: cujus mandato æri inciſæ publicatæque Tab. 29 univerſam complectuntur oram Europæ maritimam, a Drunthemo Norvvegiæ, ad fretum usque Gaditanum, una cum Balthici maris littoribus; ea ſolertia & accuratione delineatæ, ut nihil inibi omiſſum appareat, quod fidem iis conciliare, aut uſum earum promtum reddere ulla ratione valeat.

Præmittitur operi brevis introductio, mapparum præſtantiam ſuper alias hactenus proſtantes Lectori commendans; ut, quid peculiaris ab iisdem promittere ſibi queat, velut in limine edoceatur. Referunt autem gradus latitudinis, non uti cæteræ, quæ hactenus extitere, æquales, ſed juxta proportionem ſecantium verſus polos ampliores; quod enim quoad hoc in globis ex natura rei uſu venit, id vitio vertitur in mappis planis, ita ut inde diſtantiæ evadant ſenſibiliter

Digitized by Google

ter falſæ, non ſecus atque lineæ rhomborum, ſeu tractus ventorum. Pleræque autem mapparum peculiari architectorum & nauclerorum regiorum induſtria conſtructæ ſunt experimentis per inſtrumenta exactiſſima, juxta continuum orarum & promontoriorum tractum, interra captis: ſic ut ſinus & portus celebriores ad contiguas oras debitam ſervent proportionem, nec tamen propterea juſta deſtituantur magnitudine. Latitudinis vero & longitudinis gradus ex obſervationibus accuratis deducti ſunt; hi præcipue ex eclipſibus Jovialium ſatellitum: ita ut horum ratione nihil deſit amplius, quam exacta determinatio longitudinis Pariſinæ, quam Editor interea aſſumſit

21, ab Inſulæ Ferri, tanquam primo, meridiano.

Adjuncta ſunt porro Problemata nautica, mapparum uſibus inſervientia, & Tabula æſtuum marinorum horas indicans pleni ſeu altiſſimi maris, ad Novilunia & Plenilunia in præcipuis Europæ portubus, fretis & oſtiis. Præcipua vero eſt Tabula, diverſas ſcalas æri inciſas exhibens, quarum ope calculi nautici quanta oportet accuratione perfici poſſunt, beneficio præceptorum, pro ſolutione problematum ad unamquamque ſcalam ſpectantium, adjectorum. Harum prima, diebus ſeptimanæ; ſecunda, feſtis mobilibus; tertia, Lunationibus & æſtubus marinis; quarta, declinationibus Solaribus; unaquæque ab anno 1692 ad 1750; quinta, latitudinibus mediis inter duas datas inveniendis; ſexta, problematibus nauticis reſolvendis, & amplitudini ſiderum ortivæ; ſeptima, horæ ortus & occaſus Solaris determinandæ; octava, comparandis leucis, Gallico Anglicis, Hiſpanicis & Germanicis, milliaribus etiam Italicis, invicem & ad partes circuli maximi; nona, corrigendis ſiderum altitudinibus apparentibus, conſtructa eſt.

Hanc ſcalarum Tabulam antecedunt tres aliæ, quarum una Navigii bellici primi ordinis (*du premier rang*) picturam orthographicam exteriorem; Altera conſimilis navigii ſectionem orthographicam, cum proportionibus & nominibus partium ſingularum interiorum; Tertia geminam ſectionem & deſcriptionem navigii remis impulſi (*Galere*) exhibet.

LIBRI NOVI.

Ludovici de Dieu Critica ſacra, ſive Animadverſiones in loca quædam diffi-

difficilium Veteris & Novi Teſtamenti. Editio nova & auctior. Amſtel. 1693, fol.

Geneſis, ex translatione Joannis Clerici, cum ejusdem Paraphraſi perpetua, Commentario Philologico, Diſſertationibus criticis quinque, & Tabulis chronologicis. Amſtelod. 1693, fol.

Annalium Paderbornenſium Pars I. Opus poſthumum. Auctore R. P. Nicolao Schaten, S. I. Neuhuſii 1693, fol.

Hiſtoire de l' Edit de Nantes, contenant les choſes les plus remarquables qui ſe ſont paſsées en France, avant & apres ſa publication. A Delft, 1693, 4.

Origines Hungaricæ, auctore Franciſco Foris Otrokocſi. Francqueræ 1693, 8.

Diatribe de Origine & Cauſis Feſtorum Judaicorum, auctore Johanne Meyero. Amſtelod. 1693, 8.

Prudentiæ Civilis Rabbinicæ Specimen; ſive, R. Iſaaci Abarbanelis Diſſertatio de Principatu Abimelechi, obſervationibus illuſtrata a J. F. Buddæo. Jenæ, 1693, 12.

Relation, ou Voyage de l' Isle de Ceylan, par Robert Knox. Traduit de l' Anglois. A Amſterdam 1693, 12.

Recueil de diverſes pieces, ſervant à l' Hiſtoire de Henry III, Roy de France & de Pologne: augmenté en cette nouvelle edition. A Cologne 1693, 12.

La Phyſique occulte, ou Traité de la Baguette divinatoire, par M. de Vallemont. A Amſterdam, 1693, 12.

L' Hiſtoire de Guſtave Adolphe & de Charles-Guſtave, Roys de Suede, par le S. de Prade. A Paris 1693, 12.

Hiſtoire de Louis de Bourbon, II du nom, Prince de Condé. A Cologne 1693, 12.

L' Utilité des Voyages, par Mr. Baudelot de Dairval. Seconde edition. A Paris 1693, 12.

La Fauſſeté des Vertus humaines, par Mr. Eſprit. A Paris, 1693, 12.

Menagiana, ou Bons Mots, Rencontres agreables, Penſées judicieuſes, & Obſervations curieuſes, par Mr. Menage. A Amſterdam, 1693, 12.

Recueil de Vers choiſis par le R. P. Bouhours. A Paris 1693, 12.

:(o):

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris, Anno M DC XCIII.

NOVÆ HYPOTHESEOS AD EXPLICANDA febrium intermittentium ſymptomata & typos excogitata HYPOTYPOSIS, *&c. Auctore Guilielmo Cole, M. D.*

Londini impenſis D. Brovvne, &c. Anno 1693. in 8.

Conſtat plagul. 21.

ELegantem clariſſimi Mortonis hypotheſin de febrium intermittentium natura & curatione, quam Tractatu de morbis univerſalibus acutis literato orbi patefecit, ſuperius menſe Aprili hujus anni uſitata nobis brevitate recenſuimus. Nunc vero ejusdem argumenti librum ſiſtimus eruditum, a celeberrimo auctore in lucem publicam nuper emiſſum. In utroque horum ſcriptorum non pauca leguntur ſibi invicem conſentanea, maxime quæ ad curandi methodum per decantatam Peruviani corticis virtutem attinent. In reddenda tamen ætiologia cum ſymptomatum, tum remediorum, paſſim a ſe invicem abeunt, ceu perlecturis de facili innoteſcet. Circumſcribitur autem integra tractatio X. capitibus, quorum tabulam nunc ſolito in compendio ſumus daturi.

Cum tot variorum ſententias de ſede & ratione formali febrium intermittentium adverteret clariſſimus Auctor, capite I. eas examinaturus in duas claſſes diſpeſcuit. Prima illos refert, qui focum materiæ febrilis in loco aliquo extra ſanguinem contineri aſſerunt: altera, qui in ipſa ſanguinea maſſa illum collocare contendunt. Quoad primam; miſſis veteribus cum humorum quaternione, recentiores rimatur, atque inter hos cum Sylvii in pancreatis vaſis recondi fermentum febrificum ſtatuentis; tum Joneſii in habitu partium circa arteria-

rum extremitates illud delitescere opinantis dogmata refellit. Quoad alteram; Willisii in sanguinis massa focum quærentis sententiam sex potissimum rationibus destruit, atque ad interpolatam morbum invehendum, interpolatum pariter fermentum requiri ostendit, quod extra sanguinis vias debeat subsistere. Ut vero plenius innotescant conditiones causæ febrium intermittentium continentis, atque de ipsius sede atque materia certi quicquam definiatur, capite II. sex potissimum requisita proponuntur: (1.) ut causa magna sit saltem virtute, si non mole; (2.) ut universali modo cum in sanguinem, ubicunque scatentem, tum in universum corpus agat; (3.) ut uno ferme instanti ad prima symptomata producenda ubivis erumpens se in totum corpus diffundat; (4.) ut satis prompte ex loculis suis (ubicunque demum recondatur) in sanguinem, ubi secundaria symptomata se exhibent, exitum inveniat; (5.) ut tempore intercalari inter duos paroxysmos materia febrifica spatium & locum commodum obtineat cumulandi se & maturandi in novum fomitem sive fermentum; (6.) ut omnium symptomatum ordine suo producendorum rationem apte reddat. His præsuppositis ostenditur, conditiones hasce, quamvis aliquæ huic, aliquæ aliis ex ante memoratis hypothesibus quadrent, collective tamen sumptas neutri competere. Hinc propriam celeberrimus Auctor sententiam prodit; cerebrum scilicet & systema nervosum sedem esse; succum vero nervosum depravatum febribus intermittentibus materiam suggerere. Mox fibras omnino omnes sub systematis nervosi nomine ait contineri: cerebri medullium esse quasi arboris humanæ radicem, cujus truncus, rami ac ramuli sint nervi atque fibræ. Porro succum nerveum dari, nec quicquam hactenus responsum esse argumentis pro ejus existentia ab Entio, Glissonio, Willisio prolatis asseritur. Inde an solus aer in nervis circumferatur, spiritusque animales ex hoc conflati sint, disquiritur, subnexo statim dogmate, nutritionem veram non formaliter solum & directive, sed vel materialiter a succo nerveo præstari, nervosque vel saltem eorum propagines ipsa esse vasa, quorum ministerio hoc opus peragatur. Id quod capite sequ. III. multo plenius declaratur sex potissimum notabilibus: (1.) expositione quid permutritionis vocem intelligendum sit, electivam scilicet appositionem materiæ alicujus in corporis viventis substantiam, sive ad deperdi-

Digitized by Google

perditæ inſtaurationem, ſive in augmentum a natura præſtitutum. (2.) recenſione ſex omnino requiſitorum ad nutritionis negotium neceſſariorum; unde infertur, hoc lentis peragi gradibus. (3.) commemoratione totidem impedimentorum, quæ nutritioni rite faciendæ obicem ponant. (4.) negatione, ſanguinem immediate nutritionis materiam eſſe, quia non reſpondeat requiſitis paulo ante adductis: (& hac occaſione oſtenditur, ſanguinis maſſam eſſe particulis omnigenis multisque acribus & viſcoſis, imo valde confuſis conflatam, motu tamen ſat concitato perpetuo gaudentem.) (5.) applicatione eorundem nutritionis requiſitorum ad ſuccum nervoſum, ubi quibusdam ſimul objectionibus ſolutione obviam itur. (6.) oſtenſione modi, quo nutritionis opus peragi concipiatur, inſertis ſimul quibusdam objectionibus, quæ pariter reſponſione diluuntur. Atque hic clariſſimi Entii modus, quo olim corpori nutrimentum ingeri opinatus eſt, paucis proponitur, rationibusque refellitur. Cæterum capite IV ex diverticulo quaſi regreſſus fit ad conditiones cauſæ febrium intermittentium ſuperius allegatas, & fuſius docetur, eas ad unam omnes ſucco ſyſtematique nervoſo competere. Hinc capite V hypotheſeos partes ſingulæ ob oculos ponuntur. Et initio quidem aſſeritur, quod in cortice cerebri radices nervorum laxentur, idque vel propter poros ab aere occluſos, vel ob anomaliam aliquam, quæcunque tandem ſit, circa unum vel alterum ex cæteris non naturalibus, vel denique propter ſubitam aliquam (forſan & inexplicabilem) aliam occaſionem. Hoc facto contingere, ut in ampliatos ſic nervorum ſinus ex laudabili etiam ſanguine craſſior quam alioquin excernatur liquor, ſive materia incongrua, quæ mora, quam inibi trahit, variis de cauſis ſenſim exaltetur. Verum eam quoque ad aliquot horas, forſan & dies, ſine moleſtia per nervos & fibras progredi poſſe docetur, donec ad debitum plenitudinis & maturationis gradum evecta lancinare incipiat conceptacula, unde hæc in motus contractivos ad moleſtum hunc hoſpitem extrudendum ſeſe componentia rigorem inducant extemplo in univerſum ſyſtema nervorum propagandum. Atque hunc poſſe non ſtatim deſinere, quoniam lancinatio ſemel incepta brevi per totos ubivis fibrarum tractus diffundatur; hinc fieri, ut ubi ad earum extremitates pertigerit, has in corrugationes arctioresque contractiones adigere neceſſe habeat; hinc omnino diutule coerceri lancinan-

tem materiam, atque ſic rigorem aliquandiu perdurare. Quomodo vero erumpente poſtea in ſanguinem hac materia, febrilis accendatur æſtus; item quomodo illa per ſudores aliasque naturæ lege præſtitutas vias critice eliminetur: nec non qua ratione ob perſiſtentem corticalium cerebri glandularum atoniam novorum paroxyſmorum materia toties congeratur, donec in ordinem redacta fuerint omnia, fuſiore expoſitione traditur. Quemadmodum vero hactenus dicta hypotheſeos totius ſummam exhibent: ita ſtatim ſubnectuntur nonnullæ conſiderationes, quæ confirmandæ ſententiæ inſerviant. Mox capite VI. ſymptomata febrium eorumque fiendi ratio enucleantur. Ad tria vero potiſſimum genera revocantur, ita ut alia præluſoria audiant, alia exhorreſcentiæ, ac tandem alia incaleſcentiæ nomine inſigniantur. Prioris generis ſunt pandiculationes, oſcitationes, plurimarum quandoque corporis partium coarctationes, cutis aſperitas, ſcroti corrugatio &c. Secundæ claſſi annumeratur rigor ſeu horror cum magno frigoris ſenſu, qui a levioribus velitationibus ad immanes quandoque concuſſiones progrediens, in dorſo ut plurimum ſentiatur, pulſu interea ſolito tardiore, cum anhelitu difficili, hypochondriorum contractione, interdum vomitione &c. Tertio demum loco refertur calor brevi plerumque ad ingentem aſſurgens gradum, cum capitis dolore, deliriis, vomitionibus, diarrhœa, difficultate anhelitus, ſiti, moleſta univerſi corporis quaſi diſtenſione & laſſitudine &c. quæ omnia tandem ſuperveniente ut plurimum ſudore paulatim ſoleant diſparere. Præmiſſo autem hoc notabili, quod hactenus recenſita ſymptomata omnia non omnes febricitantes, ſed nunc hæc, nunc illa affligant, ad ætiologias ſingulorum reddendas devenitur, quibus non inanem operam adhibuiſſe clariſſimus Auctor videtur. Pergit deinde ad typorum expoſitionem, quos cap. VII. præfixis quibusdam prolegomenis evolvit. Hic autem conſtitutiones anni diverſæ enrate expenduntur, cum juxta illas variæ febrium ſpecies ſoleant occurrere. Ut paucula ſaltem hic ex plurimis attingamus; in vernali conſtitutione, quamvis multimoda corpuſcula ex Solis altius aſſurgentis actione excitentur, atque in aere volitent, quæ tamen in corpora noſtra maxime forſan notabilem influentiam tunc temporis exerceant, nitroſa eſſe judicantur. Atque in hac conſtitutione febres tertianas ut plurimum enaſci, pluribus evincitur. In auctumnali autem

Digitized by Google

tem acidas prævalere particulas (quarum figuram cum Philoſophis plurimis gladiolarem eſſe arbitratur celeberrimus Auctor) easque quartanis anſam præbere prolixe ediſſeritur. In hyemali crudas & heterogeneas particulas febribus quotidianis pabulum ſuggerere adſtruitur, quod earum extruſio non adeo tarde ut in modo memoratis conſtitutionibus, ſed citiſſime peragatur, intra nycthemeri ſcilicet ſpatium, imo quandoque multo citius, pro ratione ſcilicet quantitatis congeſtæ materiæ & hujus nervorumque dyſcraſiæ. Æſtiva conſtitutio febribus generandis intermittentibus fere inepta cenſetur. Cæterum rationes hinc inde inferuntur variorum phænomenorum, & imprimis curioſe indagatur, cur periodi febrium diverſi generis varient? item, quæ cauſa anomaliarum, quæ inter diverſos ægros ſentiuntur? unde regularis paroxyſmorum recurſus? cur nitroſæ particulæ alternis tantum diebus ſe exerant? cur acidæ nocendi vim non ante quartum diem obtineant? quæ cauſa irregularitatis qua in typis, qua in ſymptomatis? unde quintanæ, ſextanæ, octanæ febres? Hæc & alia plura doctiſſima explicatione demonſtrata non licet in compendio referre, ſed lectioni potius attentæ merito relinquimus. Ad caput VIII. nunc devenimus, in quo de curationis methodo, & ſpectantibus ad eam variis adminiſtrationibus agitur. Cum vero ex dictis hactenus liqueat, quod tres anni conſtitutiones ſint, in quibus variæ oberrare febrium intermittentium ſpecies obſerventur, quæ genio ab invicem ſat longe diſtent, hinc ſingulis ſua quoque methodus medendi adaptanda judicatur. Et quoniam inter has quædam omnes fere indiſcriminatim adminiſtrationes admittunt, operæ pretium fuerit has primo loco in genere percurrere, & deinde generalibus deſignatis medendi indicationibus ſingulas ſpecies illis accommodare. Itaque in quavis febre triplici huic ſcopo inſiſtendum: (1.) materiæ morbificæ organiſmi contemperationi, (2.) ſpirituum in ordinem reductioni, (3.) toni partium affectarum, præcipue cerebri corroborationi. Ad primum non tantum evacuationes cum generales, ut phlebotomia, vomitio, catharſis, diaphoreſis, diureſis, tum particulares, ut veſicatoria, ſputum moventia, & ſi quæ ſint aliæ, pertinere dicuntur; ſed & digeſtiva, & attemperantia, ut & forſan topica. Secundæ autem indicationi evacuantia ex accidenti putantur conducere, dum nimirum cauſas inordinatæ ſpirituum agitationis removeant: magis tamen

men immediate cum digeſtiva & attemperantia, tum opiata quandoque conferre perhibentur, ita ut maxima ex parte hæ duæ indicationes inter ſe conveniant: Tertia demum ſpecifica dicta potiſſimum deſideret. Hinc de phlebotomia varie diſquiritur, quæ in cujusvis fere febris principio celebranda, aliisque evacuationibus præmittenda, imo in ipſo paroxyſmo, dum calor maxime urit, adminiſtranda, atque pro re nata iteranda ſtatuitur. Mox vomitoria ac cathartica, vel potius lenientia tantum, horumque ante paroxyſmum adhibendi ratio opportunum, deinde diaphoretica ac diuretica memorantur; quæ omnia pro circumſtantiarum indigentia vocari in uſum queant. Inde ad alterantia deſcenditur duplici titulo, digeſtivorum ſcilicet & ſpecificorum, involuta. Illa deſcribuntur, quod partim ſanguinis aliorumve in corpore liquorum particulas placide comminuant & transponant, partim taliter hinc aptent, ut per urinæ vias leniter ſecedant, partim ſolidas partes molliter, imo imperceptibiliter, quo debitam contractionem ſubeant, vellicent, atque ſic tum liquorum craſin depravatam, tum partium tonum amiſſum corrigendo vim ſuam exerant. Exiſtimantur autem digeſtiva plerumque ſalinæ ſubſtantiæ eſſe, ac toto fere morbi decurſu uſurpanda: ſpecifica vero complexam obtinere naturam, nec ſalium aliorumque principiorum ratione energiam ſuam in febribus intermittentibus domandis prodere, ſed potius ratione craſis ſuæ & texturæ. Et hac occaſione de opiatorum quoque viribus, item de pericarpiorum (quale ex cortice Peruviano ſubtiliſſime pulveriſato & cum ſapone nigro ad conſiſtentiam emplaſmatis redacto memoratur pag. 207.) efficacia ſermo inſtituitur. Omnium vero in univerſum hactenus allatarum adminiſtrationum ætiologiæ hypotheſi efformatæ conformes erudite ſubnectuntur. Hinc capite IX. propoſita hactenus methodus medendi generalis ad varias febrium intermittentium ſpecies, quotidianas nimirum, tertianas & quartanas adaptatur. Ac primo loco in quotidianarum cura univerſim fere ſanguinis miſſio ſuadetur, quoniam in his magis heterogenea materia referta ſit ejus maſſa, unde majori cura de præcavenda efferveſcentia proſpiciendum. Deinde vomitoria vel ſale vitrioli, vel oxymelle ſquillitico, vel infuſo croci metallorum, vel alio quodam antimoniali propinanda, imo ſi usque perſtet vel redeat ventriculi oppreſſio, repetenda cenſentur. Quo facto ad digeſtiva accedendum,

Digitized by Google

dum, quo ſic & reprimatur ſanguinis orgaſmus, & pars materiæ morbificæ ab hiſce maturatæ per urinæ vias amandetur. Inter illa numerantur cremor tartari, ſal mirabile Glauberi, abſynthii, coralia, aliave alcalia vel ſeorſim data, vel acido alicui maritata &c. Quodſi hæc per 5. vel 6. paroxyſmorum decurſus incaſſum exhibita deprehendantur, tum opportune putantur ſpecifica in uſum vocari, (inter quæ præcellat cortex Peruvianus) quorum poſt evacuationes efficacia major ſe efferat. Ad tertianæ curationem quod attinet, ea cum priori in omnibus convenire dicitur, niſi quod majori copia & frequentius celebranda phlebotomia jubeatur; in quartana vero parcius, quod magis effœtus eo, quo invadere ſolet, anni tempore ſanguis deprehendatur. Vomitoriis deinde agendum, item digeſtivis alcalinis ſalibusque volatilibus ad acorem edomandum cura perficienda, iisque diutius immorandum ſuadetur. Quin decoctis amaris, quæ & huic intentioni ſatisfaciant, & craſin ſanguinis reſtituant, obſtinatius inſiſtendum. Quodſi poſt 6. vel 8. paroxyſmos febris adhuc perſtet duretque, ad certiſſimum illud ſpecificum, corticem Peruvianum, confugiendum eſſe. Atque de hoc caput X. idque ultimum tractat, ejus ſcilicet circa febres intermittentes ſiſtendas facultatem exponens, quæ quinque potiſſimum punctis patefieri perhibetur: (1.) conſideratione notorum corticis effectuum, quod nimirum juxta regulas exhibitus febriles paroxyſmos ſtatim arceat: quod ordinarie absque notabili evacuatione ſeu per vomitum, ſeu ſedem, ſeu urinam, ſeu ſudorem opem ferat: quod cum acidis vel auſteris propinatus majorem vim exerat: quod ab ejus uſu reſtituti citius vigorem priſtinum recuperent, quam qui ab exhibitis febrifugis aliis reconvaluerunt. (2.) Exploratione texturæ ipſius, quæ ſtricta eſſe aſſeritur, h.e. particulas ſalis, ſulphuris & ſpiritus (ſi quæ hujusmodi actu ſint, ex quibus concreta conſtent) tam arcte cum terreſtribus implexas eſſe, ut ægre extricabiles ſint. Quid quod & adeo ramoſæ ſint conſtituentes particulæ atque invicem implicatæ, ut nexuum iſtorum ſolutio non parum negotii faceſſat. (3.) Inveſtigatione ſcenæ operationis, ubi quatuor imprimis corporis regiones, quas cortex pertranſeat, perluſtrantur (α) via nimirum chyli a ventriculo usque ad vaſorum ſubclaviorum oſtiola, (β) venarum ſanguiferarum tractus, (γ) habitus corporis, & (δ) genus nervoſum. In ſingulis his locis quid ejus agant particulæ,

ticulæ, & quod non ſingulæ regiones ab illis eodem modo aut gradu, imo nec adæquate ad effectum, de quo ſermo eſt, producendum afficiantur, pluribus ediſſeritur. Hinc quæſtio, ah afficiant ſuccum nervoſum ac admittantur in nervoſi ſyſtematis tractus corticis particulæ, erudita affirmatione ſolvitur. Quod ut clarius innoteſcat, & ut operationis ratio adæquata in quarta regione ſive in cerebro & ſyſtemate nervoſo invenienda demonſtretur, quinque notabilia circa relativam medicamentorum actionem in genere præmittuntur. His vero mox ad corticis vim determinandam applicatis, objectioni de perpuſilla quantitate medicamenti, quæ in cerebrum deportetur, obviam itur, & ingenioſa ſubtilitate aſſeritur, perpauculas in tam exilia vaſa admiſſas particulas grandi effectui procreando pares eſſe poſſe. Imo ſi vel unica in ſingulos nervulos particula forſan penetret, ſat eſſe ad effectum, qui per totum eorum tractum ſentiatur, inducendum. (4.) Enucleatione modi agendi, qui a pag. 243. ad 246. traditur lectu maxime dignus. (5.) Denique ſolutione phænomenωn & obſervatorum juxta hypotheſin hactenus ſtabilitam, ubi variis quæſitis docta redditur reſponſio, e.g. cur præmatura corticis exhibitio vel irrita vel damnoſa ſit? cur ab uſu ejus morbus ſine evacuatione diſpareat? cur lecto affixi raro inde leventur? cur cathartica præpropere propinata paroxyſmos quandoque reducant? cur cum acidis aut amaris exhibitus cortex magis conſpicuos prodat effectus? &c.

His omnibus conſiderationes practicæ circa uſum chinæ ſubnectuntur. Et primo quidem experientia conſtare dicitur, quod evacuationes, maxime vero per vomitionem, corticis exhibitioni præmittendæ ſint, niſi hanc forte maturandam ſuadeant vel magna debilitas, vel urgentia ſymptomata. Ita enim tam elui ſaburram, quæ in primis viis, potiſſimum ventriculo, non raro hoſpitari ſoleat, & medicamenti vim peſſundet, quam laxiora ſanguinis recrementa exturbari. Vomitoria vero pro cujusvis euphoria & proclivitate variari, & vel infuſum croci metallorum, vel ſulphur antimonii, vel tartarum emeticum, item ſal vitrioli, oxymel ſquilliticum &c. porrigi poſſe. Ex purgantibus leniora tantum propinanda, ut decoctum amarum, mannam, infuſa rhabarbari, tamarindorum, caſſiæ, item pilulas tartareas ſtomachales. Deinde de modo exhibendi monetur, quod efficaciſſime in ſubſtantia (ſub pulveris ſcilicet, boli vel pilularum forma) jubeatur

tur cortex aſſumi, & quidem drachmæ pondere, quæ doſis tertia vel quarta qualibet hora iterari queat. Quodſi autem quis averſetur chinam hoc mõdo ingerendam, hauriri poſſe decoctum ipſius, ſed bene ſaturatum, addito vel vino in ſubtripla forſan vel ſubquadrupla proportione, vel aqua aliqua ſpirituoſa, ut aqua gentianæ compoſ. ſed in minori quantitate; imo admiſto interdum acido aliquo, nempe ſucco limonum, aurantiorum, ſpiritu vitrioli &c. vel ſale aliquo alcalino, ut tartari, abſynthii &c. In diarrhœam vero ubi pronus fuerit æger, par eſſe ut vel laudanum opiatum, vel ſtypticum aliquod una exhibeatur. Deinde poſt devictos paroxyſmos ad plures dies, duarum ſcilicet vel trium periodorum, quæ alias invadere conſueverint, decurſum continuandum eſſe medicamenti uſum, imo repetendum non ſine cauſa poſt decendium, ne ſcilicet defectu antidoti recrudeſcat morbus.

Cæterum hanc medicinam non ſolis febribus intermittentibus, ſed & affectibus chronicis plerisque, cum intermiſſione affligentibus, non raro cum exoptato ſucceſſu adhiberi obſervatum perhibetur. Hinc infertur, cauſam periodorum æque ac ipſorum morborum mineram in nervoſo genere reſidere. Id quod duplici hiſtoria confirmatur: una inſomnium inſolitum cum vivida idea poſt uſum corticis exortum refert: altera poſt chinæ exhibitionem convulſiones periodicas, inſtar tertianæ typum ſervantes, memorat. Utriusque vero ratio ex hypotheſeos hactenus expoſitæ fundamento eruitur, ex quo paſſim quoque variorum phænomenωn cauſæ redditæ leguntur. Sic pag. 69. cur emaciati non cito ad priſtinum habitum redeant, edocetur; item pag. ſequ. cur a febribus convaleſcentes urinam (quæ maximam partem ex materia nutritia conſtare aſſeritur pag. 71.) parce reddant? pag. 80. quomodo nutritio in paralyſi, deficientibus motu & ſenſu, peragatur, &c. &c.

Prodiit ſimul diſſertatiuncula elegans olim Anglico idiomate conſcripta, & nunc demum civitate Romana donata, de mechanica ratione periſtaltici inteſtinorum motus, qua oſtenditur fibras, quæ pro annularibus habentur, eſſe revera ſpirales.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ AUTORUM ECCLESIASTICORUM L. Ellies du Pin, Tomus III.

Coloniæ Agrippinæ, ſumtibus Huguetanorum A. 1693. in 4.

Conſtat Alphab. 3. plag. 6.

CUm præsens Bibliothecæ hujus Tomus nonnisi Autores Ecclesiasticos illos sistat, qui Seculo quinto ineunte claruerunt, & ante annũ 430 defuncti sunt, merito veretur Dupinius, ne Lector ob nimiam amplitudinem inutile futurum hoc opus censeat. Quamobrem in Præfatione monet, vel solos D. D. Chrysostomum, Hieronymum, ac Augustinum, qui inter adductos heic emineant, integrum volumen postulasse, cum tanta sit eorum nominis existimatio, ut exactam & fidelem scriptorum, quæ composuerint, epitomen nemini non gratissimam fore arbitratus sit. Inposterum tamen annos ac autores plures unicuique volumini se destinaturum pollicetur.

Et nunc quidem ab *Evagrio Pontico* orditur, & in *Polychronio* subsistit. *Illi* vitas Patrum vulgo adscribi refert, ex male intellecto loco aliquo Gennadii, qui tantum istud innuat, Evagrium ibidem laudari; quemadmodum & Lib. II. c. 27. vita ejus utique reperiatur. *Hujus* vero Commentariorum in Jobum & Ezechielem, in Catenis Græcis & apud Joannem Damascenum nonnulla extare fragmenta observat, si tamen ejusmodi testimoniis fides tuto adhibenda sit. Sed acta Sixti cum Polychronio apertæ falsitatis arguit. Ex iis, qui inter duos hosce collocantur, sequentes saltem referemus. In *Chrysostomo* maximam Homiliarum, quæ ipsi vulgo soleant attribui, partem ab aliis autoribus compositam observat; opus imperfectum in Matthæum agnoscit pro spurio, eo quod antiqua versione vulgata utatur, libros citet apocryphos, multasque opiniones cum aliis Chrysostomi doctrinis adversa fronte pugnantes contineat. Epistolam ad monachum Cæsarium a Chrysostomo scriptam utique fuisse censet, tametsi, cum primum a Bigotio ederetur, Censores Parisienses nonnulla in eadem desiderarint, ac ipse etiam Bigotius Præfationem suam refigere, & quæ ibi de hac Epistola scripserat, omittere coactus fuerit. Istos namque excusat Autor, & locum, qui adversari videbatur Transsubstantiationi, commoda expositione salvari posse autumat. Parum hæc conveniunt cum Natali Alexandro, qui verisimilius Joanni Jejunatori, vel Joanni Eleemosynario epistolam hanc acceptam ferri debere judicavit. Commentarium in Jeremiam a Chrysostomo scriptum negat, & illum, qui e bibliothecis quibusdam protractus nomen istud præ se fert, nullius facit pretii. Hoc autem nos vel ideo observandum duximus, quod Michaelem Chislerium inventa

venta hac Chryſoſtomi expoſitione, manus in cœlum tetendiſſe, Deoque & Prophetæ Jeremiæ gratias egiſſe pro theſauro hoc reperto, & eam Latine abs ſe redditam ſuis in Jeremiam Commentariis intertexuiſſe recordaremur. De cætero e ſcriptis Chryſoſtomi ſuper compluribus doctrinæ moralis capitibus judicia ejus prolixius excerpit, ac ſpecialem operum, quæ vel illius vere ſunt, vel quæ dubia ſaltem aut ſuppoſititia, catalogum ſubnectit. *Aſterium Amaſenum* autorem agnoſcere tres Homilias in Pſalm. 5. 6. 7. quas Cotelerius ſub ejus nomine vulgavit, quartamque in Pſalm. 4. quæ reperitur Tomo VII. Edit. Eton. Operum Chryſoſtomi, ad eundem pertinere vix ſibi perſuaderi patitur. *Gaudentio* vita Philaſtrii, ipſius in Epiſcopatu Brixiano anteceſſoris, quam Surius ad d. 18. Julii refert, adſcribitur. Sed Autor de ea adhuc dubitat, nec quicquam meminit de illius in Symbolum Athanaſii Commentariolo, ad quem in Italia ſua Sacra provocavit Ughellus. *Joanni Hieroſolymitano* non ſolum Tractatum de inſtitutione Monachorum, ſed alios etiam plures Bruxellis A. 1643. editos falſo adjudicari notat. De *Palladii* Hiſtoria Lauſiaca aliquam apponit cenſuram, licet multa in eadem utilia ſimul reperiri haud inficietur. Dialogi de vita Chryſoſtomi autorem ipſum eſſe, rationibus, quæ in utramque partem ventilantur, accurate ponderatis, vero exiſtimat ſimillimum. In recenſendis epiſtolarum *Hieronymi* argumentis prolixus valde eſt, ſicuti & mota de translatione ejus Bibliorum certamina non prætermittit. Tractatum in librum Jobi intercidiſſe notat, ſed Colomeſius tamen retulit, quod Hieronymianus in illum librum Commentarius MStus extet apud Marcum Meibomium, qui qualis ſit, ii, quibus commodum eſt, videant. Verſio Catalogi Scriptorum Eccleſiaſticorum utrum fuerit profecta a Sophronio, non determinat. Quæſtiones inſuper in Geneſin Hieronymi eſſe, haud ita confidenter negare ſuſtinet. Sed minus viciſſim dubitat, quin tractatus de nominibus regionum & urbium, quarum mentio fit in Actis Apoſtolorum; Commentarius item in Pſalmos, in Threnos, in Marcum, in univerſas Pauli epiſtolas, & alia opuſcula ipſi ſupponantur. Nec genuinam habet profeſſionem fidei ad Damaſum relatam; vitam quoque Hieronymi, quæ ab ejus diſcipulo, Euſebio, adornata creditur, una cum aliis id genus monumentis Auguſtino & Cyrillo tribui ſolitis, tanquam fabulas inſulſiſſimas exſibilat, ac poſt

recenſitas aliquot operum Hieronymi editiones, præclara tandem ſibi omnia pollicetur de nova iſta, quam Benedictinos Congregationis Bagaudarum Caſtri procurare cognoverit. *Sophronium* dum nominat, nihil affert de epiſtola ad Paulam & Euſtochium de aſſumtione Mariæ Virginis, quæ ab Eraſmo aliisque ſub ipſius nomine citatur. *Paulini* contra epiſtolas diligenter recenſet, & inter alia, quæ νοθείας ſuſpecta facit, ſex quoque libros de Martini vita numerari vult, ex operum illius editionibus Pariſienſem præcipue commendans, quam & nos in Actis hiſce Anno 1685. p. 482. ſeq. exhibuimus. Optat ſaltim, ut charta paulo nitidior & typi elegantiores in eadem fuiſſent adhibiti. *Oroſii* Hiſtoriam non inelegantem quidem, at certe parum accuratam, minusque ſecundum hiſtoriæ fidem conceptam dicit. Quæ de *Auguſtino* memorantur, plurima ſunt præ cæteris, cum vel tertiam hujus Tomi partem conſtituant. Nobis vero tanto majus otium heic naſcitur, quanto diutius in referendis ſingulorum operum contentis Noſter occupatus eſt. Ac Benedictinorum quidem editionem ſequendam ſibi præfixit, cujus ſeriem præcipuam nos in Actis Anno 1683. p. 1. ſeq. & Anno 1688. p. 619. ſeqq. delineavimus. Reliquos autores ut attingamus, neceſſe non eſt, cum iidem vel autoritate minore præditi, vel a Dupinio rebus notabilioribus minus illuſtrati fuerint.

Conciliorum per hos triginta annos habitorum, & ad modum in præcedentibus Tomis obſervatum heic deſcriptorum, alia in Donatiſtarum, alia in Cœleſtii Pelagiique, alia in Apiarii a Zozimo in communionem recepti cauſis agitata deprehenduntur. Concilii vero Epheſini Hiſtoriam ad partem hujus Tomi poſteriorem Autor rejicit; quemadmodum & doctrinam pariter ac diſciplinam Eccleſiaſticam ſeculi quinti hac vice, ob nondum abſolutos illorum temporum Scriptores, ſubnectere haud potuit.

SEBASTIANI SCHMIDII COMMENtarius ſuper illuſtriores Prophetias JESAIÆ, una cum Prælectionibus in IIX. priora Capita Libri JOSUÆ.

Hamburgi & Francofurti ex officina Gothofredi Liebernickels, 1693. in 4.

Conſtat 5. alphabetis cum 7. plagulis.

Vix

Digitized by Google

VIx annus abit, quo non unum vel alterum Commentarium Biblicum accuratione ſumma conſcriptum exquiſitiſſimus ille Scripturæ Sacræ interpres *Dn. D. Sebaſtianus Schmidius*, typorum beneficio publici juris fieri, promtiſſimis ad hoc editoribus indulgeat. Quæ cauſa eſt, cur, uti hactenus e libris *Hiſtoricis* Veteris Inſtrumenti, Commentarios ipſius in Librum Judicum de Anno 1684. in librum priorem Samuelis de anno 1687. atque poſteriorem de A. 1690. nec non ex *Propheticis* in Prophetiam Jeremiæ de Anno 1685. & Hoſeæ de Anno 1687. in uſus noſtros convertere nobis datum fuit; ita nunc meletemata ejus in *Prophetiam Jeſaiæ*, & *Hiſtoriam Joſuæ*, ſumma cum voluptate pervolvere liceat. In Libri Joſuæ quidem ſaltim octo priora Capita dedit annotationes, ſed eas uberrimas & longe doctiſſimas, in quibus tum cohærentiam unius verſiculi cum altero, tum omnium ſenſum accurato ſtudio explicaret, ac difficultates textuales, quales in Libris Hiſtoricis V. T. innumeræ habentur, examinatis præcipuorum Interpretum, *Maſii*, *Serarii*, *Abulenſis*, *Deodati* &c. ſententiis, dexterrime enodaret. *Eſaiam* vero integrum juſto commentario explicandum cenſuit. Hinc ſingula ejus capita primo Logice in partes particulasque ſuas reſolvit, deinde prolixioribus notis quorumvis verborum nexum & ſenſum genuinum monſtravit, collatis ſimul, quæ conſtans ejus commentandi ratio eſt, aliorum interpretationibus. Locos denique communes annectere hic omiſit, ad evitandam forte nimiam prolixitatẽ, tum ut oſtenderet ab Exegeta poriſmatum e textu ſufficienter explicato deductionem non ſemper neceſſario requiri, eamque a peritioribus facile ſuppleri poſſe. Cum autem paginæ huic menſi deſtinatæ non ſufficerent, ſi omnia inde excerpere vellemus, in quibus Exegeta ſolertiſſimus a tritiore via receſſit, paucis duntaxat exemplis Lectoris ὄρεξιν ad ipſos Commentarios inſpiciendos invitare juvabit.

Illuſtre Vaticinium Eſaiæ de partu Meſſiæ virgineo c. VII. 14. quo- f. 58.
ad prius membrum ſic περιδρέζει *Propterea, quia ſcilicet vos adeo non creditu Deo, nec Numen ejus ſummum reveremini, ut flagitioſiſſime etiam oblationem ſigni vobis factam, non attenta graviſſima Dei offenſione, repudietis; ipſe Dominus ex juſta ira & indignatione ſuper tantam malitiam veſtram dabit vobis ſignum, quo quidem, quod jam de liberatione Hieroſolymorum promiſit, non irritum reddat, ſed confirmet potius: interim tamen ſimul conſtituat ingentium malorum cumu-*

lum, quibus vestra nepotumque vestrorum malitia puniendæ erit. hac ratione experiamini, quid sit Dominum offendere consensu ipsius verbi ejus. Ex hac cohærentia apparere dicit, quod signum hi Domino datum, non ad liberationem tantum instantem Achasi Hierosolymorum, sed vel maxime ad tempora longinqua pertine ut mirum non sit, signum datum post aliquot secula implendum: c ipsa illa, quæ implenda signare debuerit, etiam non citius totum & timum complementum suum habitura fuerint. Atque hac ratio occurri præcipuæ Judæorum objectioni aliorumque dubitationi tumat.

f. 60. 61. Quid nomen *Immanuel* involvat, alias prolixius disput Theologi. Schmidius noster breviter se expedit: Nomen *Immanu* inquiens, notat unionem personalem inter humanam & divinam Christi naturam, ita tamen ut per pluralem *Immanu nobiscum*, fr ctus inde ad nos redundans connotetur. Scilicet in ipso est Deu cum humana natura personaliter unitus, humanæ vero ipsius natur unita est nostra, sive de nobis assumta, ut nos per eam Deo uni mur gratiose. Unde non dictum *Immo-El cum ipso Deus.*

f. 478. Ad locum vexatissimum c. LIII. 9. sic commentatur Schmid us: רשעים sunt *quivis impii*, h.e. omnes homines, quia omn sunt peccatores. עשיר *Dives* in vitio h. l. ponitur pro eo, qui fra de, dolo, vi, divitias suas corradit, quod colligere licet ex sequentib verbis, ubi de Christo in oppositione ad divites dicitur, quod חמס *vim non fecerit, nec dolus in ore ejus fuerit.* In קברו subaudiendu τὸ ב, sicut expressum est in במותיו, ubi τὸ ב non pro radicali, s pro servili accipitur, *in mortibus suis.* Pluralis autem acerbitatem mortis significat, inter multos maximosque dolores. τὸ את, ut acc sativum cum verbo נתן notare solet, ita h. l. relinqui debet. Et si nihil erit, quod coactum dici queat vel insolitum. Sed emphasi in verbo נתן positam esse putamus. Nimirum prout idem est ac *dare per æquivalentiam ex imputatione oriundam.* Quandoquidem *Christo omnium impiorum iniquitates imputatæ sunt: ideo dum ipse sepultus, idem est ac si omnes impii sepulti fuissent; dum morti sese dedit, idem fuit, ac si divites sese morti dedissent.* In mortem & sepultu turam vero Christi, optime imo unice quadrat verbum *dedit.* Nam in N. T. docemur, quod ipse se dederit pro nobis, animamque posuerit.

poſuerit. Hinc ratio ſubjicitur imputationem ſatis manifeſte indicans: Propterea quod ipſe non fecit vim, nec fuit dolus in ore ejus, q.d. *Ille per imputationem iſtud fecit, quod inde apparet, quia ipſe non habuit propria peccata: ergo neceſſario ipſi fuerunt imputata aliena. Alias non debuiſſet mori.*

In Cap. LXIII. difficilior eſt verſus tertius, ubi quæritur (1) *quodnam ſit torcular a Meſſia calcatum?* Reſpondet Schmidius, ſe cum aliis intelligere torcular iræ Divinæ (Apoc. XIX. 15.) per paſſionem Chriſti calcatum, addita hac ratione ex textu, quia eſt torcular, quod debuiſſent omnes populi calcare: alias non recte conquereretur Meſſias, quod nemo cum ipſo fuerit. Nam cum omnes ſub ira Dei ſint, debuiſſent ſane iram Dei expiare; ſed quia non potuerunt, ſolus Chriſtus relictus fuit. (2) *Quid ſit calcare populos?* Schmidio calcatio populorum eſt *meritum Meſſiæ* ad deſtruendum opus Diaboli in hominibus. Primo calcatur torcular iræ Dei, h.e. Deus reconciliatur; deinde vero per gratiam Dei reconciliati opus Diaboli in hominibus deſtruitur, convertendo ſcilicet ipſos a malo ad bonum. Quam quidem converſionem ſi reſpuunt per judicium verbi, judicantur tandem in extremo judicio, & calcantur in æterna condemnatione. (3) Quid ſit, quod dicitur, *& ſparſa eſt victoria eorum ſuper veſtes meas?* In Hebræo eſt נצחם, quod alii vertunt *victoriam*, alii *robur*. Commode videtur loco ejus poſitum Apoc. XIX. 13. αἵματι *ſanguine*. Robur enim hominis ſanguis eſt. Nec refert, inquit Schmidius, quod Chriſtus in paſſione, ſuo non hominum ſanguine, madefactus & conſperſus eſt. Ille namque ſanguis Chriſti ornato & Prophetico hocce ſtylo dicitur ſanguis ſeu robur populorum, quia pro populis, & loco ſanguinis ipſorum, effuſus eſt. Quare ſanguis, quo conſperſus eſt Meſſias, phyſice fuit ipſe Meſſiæ ſanguis, & *moraliter* ac juxta *imputationem* ſive *eſtimationem* eſt ſanguis populorum ſive omnium eorum, pro quibus effuſus eſt. Ita cum dicitur verſ. 6. *Et deſcendere feci in terram ſanguinem ipſorum*, etiam hoc de ſanguine Chriſti pro peccatoribus effuſo recte dici autumat, ſiquidem cum dignus eſſet ſanguis peccatorum, qui in terram defluereret, Chriſtus id in ſe recepit, & ut in horto Getſemane ſudor ſanguinis ejus effuſus fuit in terram, ſic in aliis quoque paſſionis locis. Id ergo idem fuit, ac ſi ipſi populi in ira conculcati, & ſanguis eorum in terram effuſus eſſet. f. 581. 582.

Phraſeo-

f. 617. Phraſeologia verſ. 24. Cap. LXVI. Schmidio reſpectum habere videtur ad *iter Sabbathi*. Nam in V. T. peracto cultu divino licebat Judæis exſpatiari, non tamen ultra iter Sabbathicum. Sic itaque hoc velle dicit præſentem Scripturam, quod in vita æterna, peracto Sabbathi ſui cultu, quaſi delectationis gratia exſpatiaturi ſint & viſuri condemnatos, h. e. in Vita æterna beati non tantum meditabuntur & cantabunt miſericordiam Dei erga ſe, ſed etiam juſtum ejus judicium in impiis.

f. 647. Hæc ex Commentario in Eſaiam excerpſiſſe ſufficiat. Idem præſtabimus quoad Annotationes in JOSUAM. v. g. Cap. II. 1. credit Schmidius זונה h. l. non publicum proſtibulum, ſed *pellicem* notare, olim viro, qui jam mortuus, ductam. Cujusmodi pellices honeſtæ feminæ civiliter eſſe potuerint & Theologice piæ, ſed quæ, viris eorum defunctis, ſine dote ac hereditate exeuntes, unde viverent, non habuerint, niſi propriam a parentibus forte hereditatem poſſiderent: qua deſtitutæ cum a novi matrimonii ſpe dejicerentur, diverſoria peregrinorum aperuerint, atque ſic vitam ſuam ſuſtentarint. Sic Rahab fuiſſe olim ait meretricem, Hebræis *civiliter* ſic dictam, quod legitima uxor cum dote & aliis ceremoniis ducta non eſſet: nunc autem cauponariam tantummodo exercebat. Unde & in N. T. nomen πόρνης gerat, quatenus legitimo matrimonio contradiſtinguitur.

f. 705. Cap. III. 13. vulgo videntur ſentire, quaſi aquæ erectæ fuerint inſtar columnæ aut muri alti. Sed magis probatur Schmidio, quod ſine fluxu *quietæ* ſubſtiterint, ſicut acervus rerum ſolidarum, quaſi *congelatæ* eſſent usque ad fontes. Simile tum erit, quod Pſal. XXXIII. 7. habetur: *qui colligit ſicut cumulum aquas maris*. Nam aquæ maris certe non ſtant, ut murus vel columna erecta, ſed quaſi res ſolida, quæ ſuis terminis propriis continetur, ut non diffluat & inundet. Quod additur v. 16. *elongando valde ab Adam*, hoc ſenſu exponit: *aquas ſuperiores ſubſtitiſſe & perſtitiſſe ut cumulum, ita tamen, ut prius elongatæ valde fuerint retrorſum ab Adam ſc. urbe, prope quam, vel e cujus regione ſtabat arca fœderis: ubi ita retrocesſit ab arca & coram arca quaſi refugit aqua, tum demum ſtetit*. Atque hanc eſſe dicit inſignem circumſtantiam miraculi Pſalm. CXIV. 3. 5. indicatam.

Quando

Quando Iſraelitæ Cap. IV. 9. dicuntur *erexiſſe lapides in medio Jordanis, ſub ſtatione pedum Sacerdotum*, monet Schmidius (1) Sacerdotes moviſſe paulum pedes ſuos loco & mox conſtitiſſe. Nam non prius rediiſſe aquas, quam Sacerdotes cum arca extra alveum egreſſi eſſent. (2) Sacerdotes ſtetiſſe prope ripam in alveo, non tamen in ripa in quam egrediendum, ſed ex qua ingrediendum. (3) Lapides erectos quoque eſſe prope ripam, ubi, ſi aqua Jordanis exigua fuit, videri potuerunt. (4) Magnos valde fuiſſe hos lapides, qui non a ſingulis, ſed pluribus viris portandi & erigendi fuerint, ut ſupra aquas aut ripam ſaltim eminerent. f. 724. 725.

Cap. VI. 20. contra Serarium contendit, quod *clangor tubarum* & *clamor populi*, neque *moraliter*, neque *inſtrumentaliter*, ad dejectionem murorum concurrerit, ſed fuerit *opus fidei*, quod promiſſionem habuerit dejiciendorum a Deo murorum Jerichuntinorum: quo opere Deus fidem Iſraelitarum probare voluerit, & probata, miraculum ediderit. Voluiſſe nempe Deum, ut Sacerdotes claſſicum canerent, & populus conclamaret ad invadendam urbem, cum nondum viderent muros dejectos, ut crederent, fore, quod non videbant, ſed promiſſum tantum erat: hac enim fide obtinuiſſe, ut muri, juxta promiſſionem, conciderent. Et hoc eſſe, quod Paulus expreſſe dicit Heb. XI. 30. *per fidem muri Jerichuntis conciderunt*. f. 833.

Cap. VII. 1. *ſolum* quidem *Achanem* furto ipſo peccaſſe docet, ſed *alios* quoque *Iſraelitas* negligentia & officii incuria: dum non quisque tantum pro ſe nihil de anathemate ſumere, ſed, ut alii etiam nihil ſumerent, obſervare debuerit. Inprimis vero decurionum, centurionum, aliorumque præfectorum bellicorum curæ hoc incubuiſſe, ut non permitterent quosvis diſcurrere, domos perluſtrare, & quid prædæ ibi eſſet, inquirere. Quare, ſi non certum, plane probabile ſaltim videri ait, filios Iſrael in negotio Achanis non fuiſſe prorſus innocentes & extra culpam communionis cum peccato Achanis; ut non ſit opus prolixe diſputare, num juſte Deus innocentibus Iſraelitis ſuccenſuerit, eosque mox turpi fuga & aliquorum cæde puniverit; donec firmiter probatum fuerit, filios Iſrael omnes in negotio Achanis innocentes fuiſſe. Etſi enim, quid Achan feciſſet, adeo ignorarint, ut ſorte divina opus fuerit, ignorantiam tamen culpabilem eſſe potuiſſe. f. 857.

f.914. Ib. v. 25. Duplici Achanem pœna, *lapidationis* & *combustionis* affectum fuisse scribit; imo triplici, si erectio acervi lapidum super cineribus, pro pœna habenda sit. Fundamentum in textu clarum, dum non tantum eos lapidarunt lapidibus ante combustionem, sed etiam post hanc combustionem, lapidum acervum injecerunt, & sic bis quasi lapidarunt.

ANDREÆ PUTEI, E SOCIETATE JESU, Perspectiva Pictorum & Architectorum. Pars prima.

Romæ apud I. I. Komarek 1693. in Folio. maj. Constat plagulis $54\frac{1}{2}$, quarum 103 facies iconismos exhibent.

ARs Perspectiva uti oculum, sensuum exteriorum sagacissimum ministrum solertissimum, mirabili cum voluptate decipit: ita iis cumprimis est necessaria, qui graphicæ operati, debitum cuique figuræ situm ac deformationem congruam tribuere; tum colores, lumen & umbras intensius remissiusve, prout res exigit, dispensare allaborant. Non alios vero felicius eo artis pervenire, quam qui singulos architecturæ ordines exacte delineare noverint, facile intelliget, qui munia & effectus Perspectivæ peritius introspexerit. Cum autem ab amœnissimi non minus quam utilissimi hujus studii exercitiis plurimos prohibeat librorum magistrorumque inopia, opticas projectiones a primis artis principiis ad omnimodam usque perfectionem plana explicataque ratione docentium: clarissimus *Autor*, longa multorum annorum exercitatione ad summam in hac arte facultatem provectus, voluntati commodoque curiosorum editione præsentis Operis consultum ire voluit; in quo opticas quorumvis ordinum delineationes, adhibita communi regula, sed ex qua omnia linearum occultarum offendicula sustulit, expeditissima methodo quam succinctissime perficere docet. Textus Operis duplici idiomate Latino & Italico, una facie junctis, constat; ordinum vero columnæ, earumque partes, desumtæ sunt ex architectura *Jacobi Barozzii*, qui sub patriæ suæ, *Vignolæ*, nomine notior est architectis; mensuris insuper & constructionibus, juxta scita *Palladii* & *Scamozzii* in gratiam suorum asseclarum, peculiari Tabula exhibitis. Præmissis autem sub initium paucissimis ad tyrones monitis, *Autor* instru-

ſtrumenta neceſſaria & fundamenta tradit Perſpectivæ : ordine deinde projectiones ſubjungit quadratorum, rectangulorum & circulorum; ſtylobatæ, ſcapi, baſium, capitulorum & coronicum ſingulorum ordinum; columnæ Etruſcæ; ædificiorum, Dorici, Jonici & Corinthiorum; ſpiralium columnarum; tabernaculi octangularis; ædificii quadrati & rotundi; theatri elegantis in templo *Farneſiano* quondam extructi; theatri ſcenici cum reticulationibus ejusdem. Hæc excipiunt projectiones horizontales mutulorum, ſtylobatæ, ſcapi, capituli, coronicis, ipſiusque columnæ Corinthiæ; ordinis ejusdem in laquearibus, ipſorumque laquearium ac teſtudinum; tholi duplicis; templi *Ludoviſiani* & architecturæ ejus in teſtudine. Claudit opus modus reticulationis in teſtudinibus uſurpandæ. Singulis vero projectionibus præmiſſa ſunt veſtigia, elevationes & præparationes aliæ, picturæ perficiendæ neceſſariæ. Pollicetur porro *Autor* novum Opus, in quo quascunque projectiones, regula ſibi familiari, & quæ communi, cui tamen innititur illa, longe ſit facilior & univerſalior, abſolvendas proponere inſtituit: quod ut publico quantocyus impertiatur, ex voto & re curioſorum eſſe oppido confidimus.

DE NATURALI RELIGIONE LIBER, Autore PETRO CHAUVIN.

Roterodami, apud Petrum van der Slaart, A. 1693. in 8.
Conſtat alphab. 1. & plag. 6.

INter noſtri temporis Irenicos, qui Lutheranos ad ineundam cum Reformatis ſocietatem provocarunt, ſuo merito numerandus etiam venit hic Autor, ut qui & ejus rei mentionem in Opere hoc injicit, inque eo ex inſtituto occupatus eſt, ut oſtendat, religionem ipſis naturæ ac rationis principiis inniti; ſive eam intra meræ naturæ cancellos intueamur, ſive genti Judæorum aut Chriſtianorum affixam videamus. Hanc vero ſimul eſſe pacatiſſimam ait, quæ doceat, ut homines inter ſe æterna unione reconcilientur, nationesque in unum corpus amice pedetentim coëant. Et quemadmodum tres veluti religionis partes conſtituit, *notitiam* nempe *Dei illiusque infinitæ eſſentiæ*; *cultum* dein *ſeu adorationem externam*; ac denique *inſtitutam inter homines ad divinum iſtud officium præſtandum conſociationem*: ita tribus Cap. 1.

quoque libris opus hoc absolvitur, ac singula secundum ordinem modo memoratum prolixe deducuntur.

Notitiam de Deo labefactari præ cæteris ait Autor a duplici hominum genere, videlicet Deistis, atque Atheis, & idcirco sub initium libri primi utrorumque examen præmittit. Cap. 2.3. Ac *Deistas* quidem neque Ethnicos videri velle autumat, cum inter Christianos degant, eorumque fidei se publice addicant, tametsi Gentilibus quodammodo deteriores sint; neque tamen nuncupandos Christianos, cum omnem plane religionem eliminent: quæ sane via sit ad Deum impetendum & de medio quasi tollendum. Quod uberius declarat, & simul ostendit, quam pestilens hæc Secta reipublicæ, ecclesiæ, ac sibi ipsi; quam vicissim necessaria & conducens homini Religio sit, præsertim Christiana, cui, quæ præter eam adhuc dum vigent, reliquæ, Judaica, Muhammedana, atque Ethnica, victas dare manus e propriis principiis cogantur. Cap. 4. *Atheismum* dum eradicandum docet, non satis certus est, utrum, qui apud veteres Athei fuerunt nuncupati, Diagoras, Protagoras, Theodorus, Lucianus, & similes, religionem omnem plane excusserint, an solum parvi penderint illius religionis lacinias, quæ Deos in lenones, furciferos, latrones, ac homicidas convertebat. Recentiores autem impugnari posse censet duplici genere argumentorum, quæ vel ex mente nostra, vel ex inspectione naturæ deducuntur. Priora illa exquisitissima omnino esse apud probos viros, rem vero titubantem atque infectam apud Atheos relinquere, cum ii mentem & cogitata alterius irridere soleant. Hinc magis stringentia facit, quæ ad posteriorem classem pertinent, & non creaturas modo singulas, sed consensum quoque insuper communem de DEO, non sine fructu in medium producunt. c. 5. 6. 7. 8. Quibus ita præmissis, ad ipsa Dei attributa demonstranda progreditur, quæque de illius *unitate*, *spiritualitate*, *justitia*, & *misericordia*, sepositis Scripturæ oraculis, ex ratione sola nobis constant, solicite explanat. c. 8. Imo addictis naturæ hominibus, modo ii juste ac secundum conscientiæ dictamen vivant, salutem tribuere æternam, (referimus hæc, ut omnia alia, ast examinanda Theologis relinquimus) minime veretur, gemino hanc rem exemplo probare annisus. Uno, quod ab antediluvianis petitum est, quorum cultus sponte manarit ex fonte rationis & conscientiæ, superaddita antiqua & primæva de Deo traditione, quæ fortean langueſcens

ad

ad posteros pervenerit, sed tamen & ipsa intra gremium rationis concludi, nec ab ea sejungi debeat; altero a colloquiis Jobi & amicorum, qui solam rationem rectam ut ducem videantur agnoscere, cum vixerint extra Judææ cancellos, nec illius quidem mentionem fecerint, nullum habuerint sermonem de Dei populo, de lege, de divinis promissis aut miraculis; id quod simul probet, tum istum Jobi librum fuisse compositum ante contracta Dei cum Israelitis fœdera, tum quoque nullum ei fuisse commercium cum Patriarchis, a quibus cognatione & loco dissitus Jobus fuerit. Ignorantiam vero Christi non magis damno futuram istiusmodi hominibus, quam aut olim Israelitis, qui Messiam pro suæ solum gentis liberatore habuerint, ac mortem ejus prorsus ignorarint, aut hodie nostris infantibus, qui ad primos vagitus de medio tollantur, & quorum salutem nullus inter Christianos in dubium vocare temere sustineat. c. 9. Postea *creationem* hujus mundi contemplatur, eamque ex natura satis constare, argumentis alias quoque non ignotis manifestum reddere laborat. c. 10. Nec leves in illius *conservatione* demonstranda rationes affert, ac ne minimas quidem abjectissimasque res a Dei cura eximendas esse ostendit. c. 11. Quantum vero speciatim ad hominum conservationem attinet, valde impugnat eorum opinionem, qui eandem continuam creationem, aut reproductionem nuncupant, & hæc incaute pariter ac superflue dicta sibi videri memorat. Tres autem causas morales conservati hucusque generis humani facit: *legem* nempe *naturalem*, cum cæteris hominibus ipsoque Numine nos intime consociantem; *leges politicas*, tantum non ubivis obtinentes; c. 12. & omnium maxime *religionem*, cujus timor cunctos, nisi plane stipites, incesserit & præoccuparit. *Gubernationem* deinde hominis ita considerat, ut primum de electionis ac reprobationis decreto mitius, quam cæteri, loquatur, ac inutilitatem gratiæ universalis a Camerone & Amyraldo introductæ ob oculos omnium constituat; Dei insuper sapientiam, justitiamque ac misericordiam haud parum lædi confiteatur, si ex aliorum mente vel electos immeritos reciperet, vel reprobos inauditos condemnaret; tandemque electos gratuito admitti in cœlum, impœnitentes autem sua improbitate infernum sibi parare concludit. Posthæc in termino vitæ nostræ naturalis nullum fixum decretum, imo nec absolutam prævisionem esse indicat. c. 13. Providentiæ Dei in regendis hominibus sex methodos constituit: *Conscien-* c. 14.

tiam, eamque tum ſuadentem, tum approbantem, tum reprobantem:
c. 15. *Temperamentum*, non ſingulorum modo hominum, ſed regnorum quoque ac populorum ipſorummet, utpote quod in religionem plerumque influat: *Philoſophiam*, quæ virtutem mentibus infuderit: *Superſtitionem*, cuſtodem quaſi religionis: *Gloriam*, rerum ſtrenue laudabiliterque gerendarum incitamentum: ac denique ipſam *Religionem*, in cujus profeſſione exteriori alii probi ſint, alii hypocritæ, alii ut vulgo audiant, indifferentes. Probum vero & improbum mutuo ſibi eſſe auxilio notat, ut ille confirmetur, hic convertatur, aut convincatur certe, ut in noviſſimo die condemnationis ſententiam ipſe ſibi
c. 16. pronunciet. Divinam circa peccata permiſſionem a decreto quodam æterno proficiſci negat; diſtinctionem inter actionis injuſtæ materiam & formam, quæ heic vulgo adhibetur, refellit; ipſam vero permiſſionem non otioſam rerum humanarum in pejus ruentium ſpectationem, ſed ſapientiſſimam occaſionis, loci, temporis, ac modi directionem facit, ita tamen, ut nuſpiam Deum ad peccatum concurrere modis omnibus inculcet.
c. 17.

Liber ſecundus materiam de Deo rite colendo pertractat; ubi ante omnia probandum ſibi ſumit Autor, quod Deus ubique honore
c. 1. debito afficiendus ſit, quodque vera pietas non in externis ceremoniis
c. 2. acquieſcere, ſed ab interiori omnisque hypocriſeos experte præſtantia commendare ſeſe debeat. Cum autem homines vulgo cauſentur, ſe libero arbitrio carere ad Deum ſponte & ſincere honorandum, & præterea Religionem ſuis gaudere myſteriis, quæ arduam eam & inacceſſam efficiant; ideo porro examinat, quid ſentiendum ſit de mentis noſtræ facultatibus, & poſtea Religionem eſſe prorſus naturalem atque rationi conſentaneam evincere conatur. *Intellectum & voluntatem* plurimos a multo tempore falſo inter ſe diſtinxiſſe notat, cum unam & eandem facultatem conſtituant, & voluntas intellectus complicatus nobisque ipſis admotus ſit, hic res generatim, illa vero privatim atque explicative intueatur, quod diſcrimen in ſe omnino pro nullo habendum veniat. *Liberum arbitrium* nihil aliud eſſe ait, quam
c. 3.
c. 4. privilegium naturale mentis noſtræ, quo libere omnia velimus aut nolimus; ab eoq; non ſolum coactionem, ſed & neceſſitatem qualemcunq; removeri, & ejus in nobis exiſtentiam, etiam quoad res cœleſtes aut divinas, non negandam; tametſi iſtud languidum ac remiſſum heic ſit,

gra-

gratiaque demum & auxilio divino intenſius in cœlum evehatur. Religionem vero naturæ amicam eſſe ubi docturus eſt, initium ſumit a *Judaica*, legemque non ſolum moralem, ſed etiam politicam ac ceremonialem ex ipſis naturæ principiis petitam aſſerit. De *morali* eo minus dubitat, quo magis ea cordibus hominum inſcripta ſit. *Politicam* e legis moralis edictis originem ſuam trahere affirmat, niſi, quod eam nonnullæ circumſtantiæ determinarint, dum Deus ſapientiſſime res ad proprios populi uſus adaptaverit, divortium v. g. tantum ob mores eorum concedens. In lege vero *ceremoniali*, utut ea naturali maxime contraria videatur, Deum quoque naturæ ſe accommodaſſe, aliquot exemplis illuſtrat, veluti cum prohibendo, ne matris lac cum agno ſuo concoqueretur, docuerit, populum debere abſtinere a crudelitate; cum per frequentes adeo ablutiones proſperæ Judæorum valetudini proſpexerit; cum eos per interdictum de non comedenda carne ſuilla, a variis graviſſimisque morbis præſervarit; cum naturæ ipſi quaſi teſtimonium indiderit, non ingratam fore ſupremo Numini ſacrificiorum oblationem, &c. Hanc tamen Religionem nondum usque quaque naturalem audet dicere, ſed potiori jure titulum hunc deberi *Chriſtianæ* pronunciat, ſive ſpectes illius *Autorem*, JEſum Chriſtum, qui humanitatem aſſumſerit, modumque loquendi & converſationem inter populares maxime naturalem fuerit amplexus, miraculaque in naturæ reſtaurationem adhibuerit; cum & Prophetiæ, quæ ipſi adſcribuntur, inſolitæ aut extra mortalium uſum poſitæ non ſint: ſeu examines *Præcepta*, quæ in Evangelio extant, naturalia utique, cum natura ſit fons ac principium omnium virtutum, quæ in genere humano uſu veniunt, Evangelium quoque naturam ipſam exhilaret & corroboret, vitamque mortalibus efficiat longævam: ſeu *Sacramenta* conſideres, adeo congrua & conſentanea populorum etiam Ethnicorum moribus, ut & apud iſtos quædam Baptiſmi & S. Cœnæ veſtigia deprehendantur. Nec obſtare cenſet huic opinioni *fidem*, quæ a nobis requiritur, cum ea certe ipſamet vel in morem aliarum gentium, vel in naturam ac rationem nos manu quaſi deducat; quoniam illa commendet omnium virtutum præcepta in Evangelio diſperſa, inculcet item minas atque pœnas, quæ naturaliter emanant ex virtutis violatione. *Gratiam*, animam noſtri Chriſtianiſmi, eminere quidem ſupra naturam, ſed eam tamen ſimul hanc marceſcentem excitare, fovere, ac refocillare; ut adeo Religio

c. 5.

c. 6.

c. 7.

gio nihil aliud, quam ratio exaltata commode vocanda sit. Et quamvis istud rationi contrarium videatur, quod bonis nostris nos privare, & egenis opem ferre, quod cruces & afflictiones patienter tolerare, quod inimicos diligere jubeamur; singula tamen hæc accuratius expensa
c. 8. cum natura amice conspirare monstrat. *Trinitatis* mysterium nihil facere ad hanc sententiam impugnandam, cum in omnibus scientiis quædam sint impervestigabilia; quamvis fortean huc illud quoque faciat, quod plurimi mysterium hoc enucleare & ad rationis trutinam admovere pro viribus anniſi fuerint. E quibus omnibus commodam ad convertendas gentes viam muniri posse confidit. Urget tandem,
c. 9. quod libera esse debeat Religio, & quod a cultu divino omnis imaginum usus removendus sit. Atque ita circa hanc Religionis partem, quantum satis est, se scripsisse arbitratur.

In libro tandem tertio mutua hominum Religionis quadam reverentia imbutorum officia delineat, *Φιλαυλίαν* ordinatam amoris erga Deum atque proximum causam regulamque constituens. Sed le-
c. 1.
c. 2. gem naturalem cordibus nostris a primo ortu inscriptam esse inficiatur, primumque *νομοδιδάσκαλον* facit animum cum suis facultatibus,
c. 3. quæ se nonnisi cum ætate matureſcente exerant, (qua occasione traditionem illam de septem Noachi præceptis fabulosam esse obiter declarat;) quemadmodum & peccatum originis non semel, sed pedetentim
c. 4. induci, nec istud mereri mortem æternam, contra Patres ac alios Theologos operose admodum contendit. Pergit dein ad societates, quas
c. 5. homines ad colendum Deum inierint, primum in patenti campo, dein-
c. 6. ceps in sacris ædibus, tecto tamen minus coopertis, ac ultimo in templis, qualia moderna sunt, convenientes; a quo postremo congressu imaginum originem derivat, cum sensus a cœlo abstracti per has intra templorum parietes suspensas magis subvenire sibi studuerint. Ex hoc autem societatis desiderio de damnis, quæ per *schismata* introducantur, plurimis evidens ferri posse ait judicium; & insuper, quam peri-
c. 7. culosus in divinis, moralibus, ac naturalibus sit *scepticismus*, designat;
c. 8. sinceritatem in conversatione serio requirit; Jesuitarum reservationes mentales explodit; de dissensionibus nonnullis inter Christianos ex-
c. 9. ortis conqueritur, viamque ac rationem, qua v. g. dissidium inter Græcos & Latinos de processione Spiritus S. nec minus disceptationes inter
c. 10. Lutheranos & Reformatos de variis fidei articulis sopiri, & inter fratres,

tres, quos vocat, dissentientes in Anglia pax confirmari & sanciri possit, per capita aliquot cum voto prosperi successus aperit, Religionis naturalis Symbolo ex antea dictis collecto totam hanc tractationem obsignans. c. II. 12.

DE ORIGINE ET CAUSIS FESTORUM solenniumque dierum, quos olim Judæi in terra Canaan, hodieque in exilio agitare consueverunt, Diatribe: Autore JOHANNE MEYERO, S. Theol. D. Ejusd Fac. & Heb. affiniumque Ling. Orient. in Academia Gelro-Zutph. Prof. Ordinar.

Amstelædami, apud Johannem Wolters, A. 1693. in 8.

Constat alphab. 1. & plag. 4.

QVi hactenus tot eruditorum Virorum calamos opere suo de *Legibus Hebræorum ritualibus* in se concitavit, *Jo. Spencerus*, novum nunc in clarissimo Autore nostro experitur adversarium, qui singulares illius sententias, speciatim de rationibus Festorum præcipuorum, quæ apud Judæos celebrari assolent, accuratiori indagine prosecutus est, eaque insimul adjunxit, quæ apud *Majemonidem* in *More Nebuchim* circa hanc materiam censura indigere ipsi visa sunt. Tametsi hæc minimam fere scripti partem constituant, in quo Autor præterea id agit, ut Festa illa, quæ vel Deum ipsum autorem agnovere, vel a Judæis instituta, ac partim hodie abrogata sunt, partim vero etiamnum vigent, enumeret, contexto eorundem in capite IV. catalogo; quem pressius dein sequendum sibi præfigit, singulorum historiam, originem & causas, non solum e sacris literis, sed aliis quoque Judæorum pariter ac reliquorum Doctorum testimoniis excutiens.

Priusquam vero ad id, quod rei caput est, se conferat, nonnulla præli-banda suscipit, quæ generatim ad tractationem istam pertinent; videlicet, quod unumquodq; præceptum divinũ Judaico datum populo, quoad singulas partes, membra, & circumstantias necessario certam aliquam causam habeat, non illam tamen, quam legibus ritualibus Spencerus asignarit, ut ea nimirum Israelitis idololatriæ peste corruptis medelam afferrent, sed longe alias, suo loco in subsequentibus expressas. Quamobrem & heic prolixe negat, quod sacrificiis illis varii generis, variisque legibus in Levitico definitis, ac operoso isti cultui ori-

ginem præbuerit vituli conflatio, cum ſacrificia ex Dei ipſius inſtitutione multo antiquiora ſint: quamvis propter graviſſimum illud peccatum ritus nonnullos, qui ſeculis prioribus majore libertate fuerant exerciti, nunc rigidius fuiſſe exactos, inficiari neutiquam ſuſtineat. Inſuper oſtendit, Deum in creatione hujus univerſi diem naturalem, τὸ νυχθήμερον ſeu ſpatium viginti quatuor horarum complectentem, inchoaſſe non ab ortu Solis, ſed ab ejus occaſu & veſpera; diem artificialem apud Judæos omnino in quatuor quadrantes fuiſſe diviſam; horarum diſtinctionem jam Moſis tempore obtinuiſſe; & circulum hebdomadarum, qui originem habeat ab illa ſingulari hebdomade, qua Deus ſex diebus hoc univerſum condidit, & ſeptimo quievit, a Labane ac cæteris Abrahami cognatis, etiam ante Jacobi profectionem in Ægyptum, fuiſſe obſervatum. Varias item affert diſceptationes de primo annorum exordio, ſitne iſtud referendum ad æquinoctium vernum, an ad autumnale? quis primus mundi annus reſpectu creationis fuerit? de Tekuphis ſive revolutionibus & cardinibus annorum a Samuele & Adda inventis; de Feſtorum translatione, quam non ſolum Talmudiſtarum & Doctorum Miſnæ, ſed etiam Prophetarum, Moſis & Aaronis temporibus uſitatam fuiſſe cenſet: atque ita demum, poſt exhibitum, quem ſupra nominavimus, Catalogum, ad origines & cauſas Feſtorum indagandas deſcendit, hunc præcipuum laborem ſuum fore obſervans, ut Spencerum circa rationes Feſtorum, quorum ipſe Deus autor fuit, Sabbathi ſcilicet, Novilunii, Paſchatis & Azymorum, Pentecoſtes, Clangoris tubarum, Expiationum, & Tabernaculorum, aberrantem redarguat.

Nimirum ubivis ille ad Gentiles ſolet provocare, Feſtaque etiam hæc ſolennia ideo a Deo apud Iſraelitas inſtituta eſſe arbitratur, quo iſtos a cultu idololatrico ad ſui honorem retraheret; quem in finem utrobique convenientiam haud obſcuram indicare allaboravit. Viciſſim vero Autor erudite demonſtrat, quantopere hæc talia abſint non a Scriptura modo ſacra, ſed veritate etiam aliunde cognita, & quod Judæorum inſtituta iſtas Gentilium ineptias plerumque longe anteceſſerint. Sabbathum jam ab Adamo ejusque poſteris celebratum fuiſſe docet, eo, quod Deus ipſe ſeptimo die ab operibus ſuis quieverit, & huic ea propter benedixerit; quæ verba Gen. II, 2. 3. occurrentia nonnulli quidem ad tempus datæ Mannæ referant, ſed duram valde πρό-

λεψιν,

Digitized by Google

λεψιν per hanc opinionem admittere cogantur. Et quamvis Sabbathi ſanctificationem per Moſen Iſraelitis injunctam deprehendamus, nondum tamen, quod ejus ævo demum eadem obtinuerit, exinde ſequi notat, cum ab ipſo ſolum reſtaurata, & ex ſententia Judæorum, fundamentum legis facta fuerit. Quando dein Spencerus Iſraelitas quieſcendo ſive otio indulgendo, compotando, & choreas ducendo, Sabbathi ſolennitates obiviſſe, nec Deum ſtatim ad ſeveriora pietatis officia populum vocaſſe contendit, unde receptus ille mos legem unoquoque Sabbatho prælegendi, ſub Esdra vel Nehemia tandem primordia ſua invenerit; ab Autore falſitatis itidem arguitur, cum gaudia nonniſi ſpiritualia tunc fuiſſe conſtet, & legis in Sabbatho prælectæ teſtimonium habeatur in ipſa Regum Hiſtoria, antiquiſſimique Magiſtri eam conſuetudinem a Moſe derivent. Similem in modum Neomenias a gentibus, ignaris quomodo ad Solis curſum tempus menſurare poſſent, ad Judæos deveniſſe; Paſcha inſtitutum fuiſſe in odium Ægyptiorum, agnumque mactatum, quod illi arietem maximo honore affecerint; circumſtantias quoque hujus Feſti alias ex eodem fonte promanaſſe, pernegat: eadem uſus diligentia in reliquis adverſus hunc Spencerum diſputationibus; quarum ſummam huc adponere ſupervacaneum fortaſſis fuerit, quandoquidem ex iis, quæ breviter a nobis jam commemorata ſunt, de cæteris haud difficulter ferri poterit judicium. Solennitate interim minore inſignia, aut prorſus abrogata Judæorum Feſta minime Autor noſter omittit; poſtremis etiam capitibus duobus de ratione anni Sabbathici ac Jubilæi fuſe diſſerit, & controverſias alioqui non ignotas, quæ circa utrumque agitantur, ventilat.

De cætero, ab eodem hoc Autore clariſſimo librum *Seder Olam*, in quo ornando is per tempus aliquod ſuum collocavit ſtudium, Eruditi propediem edendum expectant, poſtquam ipſe in Præfatione ad opus hactenus recenſitum Lectori iſtud intimare voluit.

ANNALIUM PADERBORNENSIUM Pars I. Opus poſthumum, Autore R. P. Nicolao Schaten, Soc. JESU.

Neuhuſii, ſumtibus Chriſtoph. Nagelii, 1693. in fol.

Conſtat alphab. $11\frac{1}{2}$.

Historiam Westfaliæ, quæ ab eodem hoc Autore adornata, & post illius obitum A. 1690. in lucem publicam emissa fuit, in Actis A. 1691, p. 321–324. memoravimus. Eam igitur nunc Opus isthoc excipit, quod, licet titulum Partis primæ *Annalium Paderbornensium* præfixum habeat, ita tamen conceptum esse deprehenditur, ut istud non immerito Westfalicæ Historiæ continuationem appellaveris; quandoquidem intra solos urbis aut Episcopatus Paderbornensis limites haud continetur, sed & ea insimul attingit, quæ Episcopatum Monasterienſem & Osnabrugensem, Corbejensem item Abbatiam, Principatumque Mindanum, ac Comitatus per Westfaliam diversos respiciunt. Quinimo Regum quoque, Imperatorumque Romano-Germanicorum gesta Autor fusius persequitur, nec ævi illius Pontifices omittit, tametsi in describendis horum actis paulo breviorem se exhibeat. Temporis autem, quod in Tomo hoc emensus fuit spatium, quatuor cum dimidio secula sub ambitu suo comprehendit, dum ab A. C. 772. usque ad 1227. narrationis filum protrahitur, relatisque ad annum 777. primis Ecclesiæ Paderbornensis incunabulis, fata postmodum ex instituto recensentur, quæ ista sub XXII. Episcopis experta fuerit. Et mox sane ad ingentem magnitudinem excrevit hic Episcopatus, ac præcipuam adeo diligentiam in id impendit Autor, ut confirmata passim illius privilegia, amplificatamque subinde diœcesin, & auctos mira aliorum liberalitate proventus, digno satis eveheret encomio; quem in finem integra ubivis monumenta, quæ illuc pertinent, producit, nec artes, quibus illa ad se traxerint Episcopi, dissimulat, præ cæteris palmam facile concedens Meinvverco, cujus acta manifeste edocent, quam multa a Principibus secularibus astu extorquere possint Clerici, dummodo semel eorundem animas sibi obstrinxerint. Idem fuit reliquorum jam per ista secula institutum, nemoque proin tantopere mirabitur, si tot exemplis aliis, Corbejensium præcipue ac Herivordensium, apud Autorem nostrum id confirmatum viderit. Hinc itidem manavit tanta multitudo monasteriorum in Westfalia, quorum accuratam satis cognitionem qui desiderant, per hos ipsos Annales non parum adjuvabuntur. Nec minorem celebratarum tunc in pluribus Germaniæ locis Synodorum notitiam haurire ex iisdem licebit; quemadmodum & Autor nonnunquam per occasionem ad exteros dilabitur, eorum imprimis a Gentilismo ad fidem Christianam conversionem memorans,

&,

Digitized by Google

&, quorum in ea promovenda celebretur ſtudium, exponens, indeque Anſcharii, Ebbonis, Gaudberti, apud Danos & Suecos; Adelberti apud Ruſſos; Ermenrici apud Bulgaros; Abſalonis Roſchildenſis & Bernonis Megapolitani Epiſcopi apud Rugiones; Bonifacii & Brunonis apud Pruſſos, aliorumque apud alios Evangelium, ſucceſſu licet diſpari, annunciantium memoriam conſervandam cenſuit. Ex hæreticis Godeſchalcum, Tanchelinum, atque Albigenſes nominat, Lutheranos etiam non alio fere, quam Hæreticorum, nomine indigitans, & acriter in eos invectus, quoties vel ſententiæ de Papa Anti-Chriſto, vel tributæ Principibus politicis externæ poteſtatis in Eccleſiaſtica, vel traditorum iis Monaſteriorum aliquam mentionem injicit. Ac uti partes Pontificum adverſus Imperatores ut plurimum tuendas in ſe ſuſcepit; ita maximopere poſt alios defendit Gregorium VII. Quod Fridericum Barbaroſſam pedibus calcarit Alexander III, id pro fabula Lutheri demum tempore conficta habendum eſſe docet. Originem Electorum Papæ unice deberi jactat, pluraque iſtius generis in Eccleſiæ Romano-Catholicæ favorem paſſim cum magna animi contentione interſerit. Quantum vero ad Imperatores attinet, non iſta modo ex eorundem Hiſtoria decerpit, quæ ad VVeſtfaliam & diœceſin Paderbornenſem propius ſpectare videbantur, ſed multa quoque ab his remotiora immiſcet, ut, quando varias eorum expeditiones, diſſidiaque domeſtica non minus ac externa, ſimultates inſuper aut amicitiam, quam illi cum Pontificibus coluerint, & cætera labore non ſupervacaneo deſignat, allegatis ubique ad marginem autoribus, a quibus ipſi ſingula ſuppeditata fuerunt. Exorſus a Carolo M. usque ad Fridericum II. progreditur, & ex illius quidem regimine non iſta heic diffuſe repetit, quæ jam in præcedenti Tomo, Hiſtoria nempe VVeſtfaliæ, expoſuerat, ſed pauca ſaltim alias omiſſa indigitans, majorem deinceps in ejus ſucceſſoribus induſtriam orbi erudito comprobat. De cætero, ſi qui Sanctorum apparitionibus & miraculis, ſeu per eorum reliquias, ſeu per virtutes alias patratis delectantur, promtam ii talium ſupellectilem & heic invenient, cum Autor in his a conſuetudine Romanenſibus Hiſtoriographis familiari alienum ſeſe gerere noluerit.

JOHANNIS SCULTETI ARMAMENTARIUM Chirurgicum &c. Studio Johannis Tilingii Brem. M. D.

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Bouteſteyn & Jordanum Luchtmans, 1693. in 8.

Conſtat plagulis 46. & figur. 85.

VIginti & unus anni lapſi ſunt, ex quo clariſſimus *Johannes Baptiſta a Lamsveerde* utiliſſimum *Johannis Sculteti Armamentarium Chirurgicum* inſigni cum inſtrumentorum, tum obſervationum chirurgicarum numero augendo, auctumque Amſtelodami edendo, de Chirurgiæ conſecraneis promeruit optime. Nec gratia minor *Tilingium* noſtrum nunc manere videtur, quod is celeberrimi, dum viveret, Nuckii ſuaſu, editionem præſentem, cum memoratæ exemplaria fere diſtracta eſſent omnia, non ſolum a ſphalmatis innumeris, illam quæ deturparant, liberare, ſed & *Auctario ſecundo, Obſervationes Chirurgicas viginti duas & Tabulas æneas tres* continente, locupletare voluerit. Autorem vero Obſervationes iſtæ, utpote in Latinum ex idiomate Belgico a Noſtro translatæ, ac a nobis in præſenti luſtrandæ, agnoſcunt *Petrum Hadriani F. Verduin*, Chirurgum Amſtelodamenſem peritiſſimum, plures ſuo tempore & proprias evulgaturum, ubi haſce, quas e ſchedis paternis depromſit, quarumque adjutor æque ac teſtis oculatus extitit, cum aliquo excipi applauſu intellexerit. *Obſ. 1.* carcinoma faciei ex levi & ridicula cauſa ſubortum, in operario diſſolutam vitam agente incurabile denunciatur. *Obſ. 2.* grave & inveteratum capitis vulnus deſcribitur, quo in ſiniſtrum licet cerebri ventriculum penetrante, affectus nihilominus ſenex hinc inde per urbem valuit obambulare, donec tandem e ſuperveniente affectu ſoporoſo defecerit. Abſceſſum abdominis, hepar ipſum una occupantem, nunc medelam admittere, nunc ſecus, *Obſ. 4. & 5.* confirmatur. *Obſ. 6.* labiorum infantis concretorum indigitatur ſeparatio. *Obſ. 7.* gangrænæ a frigore excitatæ curatio traditur. *Obſ. 9.* mamma ſcirrhoſo ulcere maximam partem obſeſſa producitur, ope acus & cultri falcati feliciter extirpata. *Obſ. 10.* eryſipelas œdematoſum infantis brachium occupans, & gangrænam minitans, innuitur ſublatum.

Obſ.

Obſ. 11. ingens Nodus in diverſas dextræ manus partes diſperſus inciſione curatus, inciſique materia ejusdem cum oculorum cryſtallino humore pelluciditatis & conſiſtentiæ fuiſſe, diutius autem aeri expoſita tenuior evaſiſſe, annotatur. Tumor dorſi circa ſcapulam ſiniſtram ſteatomate durior, aliusq; circa mammillam ſiniſtram ſcirrhum mentiens, non niſi aqua repleti, *Obſ. 12. & 16.* deteguntur. *Obſ. 14.* ſarcoma magnum, ſiniſtram recens nati infantis aurem fere integram occupans, feliciſſime ſectione remotum, & calculus *Obſ. 15.* itidem inciſionis adminiculo ex anteriori penis parte pueri quinquennis cum ſucceſſu extractus, commemorantur. *Obſ. 18.* in bronchocele materiam modo ſolidiorem, carnis ad inſtar glutinoſæ & fungoſæ, ægros jugulantem, modo molliorem ſeu fluidiorem, ſectione evacuandum, contineri monſtratur, ipſaque menſtrua per Bronchocelen ejusmodi apertam, imo per oculos & aures, effluxiſſe, donec peſſarium e radice Hellebori albi vaginæ uterinæ admotum fuerit, obſervatur. *Obſ. 19.* arteria temporalis cephalalgiæ cauſa tam in viro, quam in fœmina æque feliciter quidem ſecta recenſetur, diſpari tamen utrobique effectu; virum quippe, non fœminam, maximum inde doloris levamen ſenſiſſe. *Obſ. 20.* de notabili tonſillæ dextræ agitur excreſcentia, quæ magnitudinem ovi adæquans, quamvis bis fuerit præciſa, tertia tamen vice repullularit. *Obſ. 21.* protuberantia femoris carnoſa, oſſis carioſi occaſione enata & ſectione ſublata, ſiſtitur. *Obſ. 22.* denique lethalis utriusque mammillæ ſphacelus, ex ſubitanea menſium ſuppreſſione productus, indicatur. Tandem uti extirpatio ſcrophularum ingentium *Obſ. 3. 13. & 17.* ſtupendique inferioris maxillæ tumoris calloſi atque cartilaginoſi *Obſ. 8.* edocetur, ita *Tabulæ æneæ tres* totidem ægros, *Obſ. 3. 8. & 17.* memoratos, qua facie & ante, & poſt ſectionem apparuerint, repræſentant.

PAULI BARBETTE CHIRURGIA, Notis ac Obſervationibus rarioribus illuſtrata, ſecundum veræ Philoſophiæ fundamenta ac Recentiorum inventa, opera Johannis Muis, Med. Doct.

Amſtelodami apud Johannem Wolters, 1693. in 12.

Conſtat plagulis 25.

Quæ

QVæ Celeberrimi quondam Medici Amſtelodamenſis, *Pauli Barbette*, Opera Anatomico-Chirurgica, non minus ac Practica, quinquennio abhinc Clariſs. *Joh. Jacob. Mangeti* notis illuſtrata Genevæ prodierunt, ea ſola novis hic annotationibus exornata ſiſtit *Johannes Muis*, fama jamdum ex *Chirurgiæ rationalis Decadibus ſeptem & Podalirio redivivo* editis, inque *Actorum noſtrorum A. 4. p. 227. A. 6. p. 396. A. 9. p. 355. & A. 6. p. 399.* recenſitis notiſſimus. Ut vero prætereamus, quæ ex optimis Medicinæ & Chirurgiæ Scriptoribus ipſoque Mangeto adjecta deprehenduntur, eorum ſolum in præſenti nonnulla, quæ propriæ Autoris noſtri, quamprimum Obſervationum etiam Decadem octavam cum nona & decima ſperare jubentis, experientiæ debentur, nec in aliis ejus ſcriptis occurrunt, juvat commemorare. Scilicet fœmina quinquagenaria, menſtrua per nares & oculos ubertim ſingulis menſibus excernens, mox a vena in pede ſecta notatur levata. Duo quamvis robuſti homines ex paracenteſi abdominis brevi perierint, in fœmina tamen empyemate graviſſimo decumbente, thoracis paracenteſin adminiſtratam fuiſſe feliciſſime traditur. Febriculam & vomitum haud ſigna eſſe infallibilia fracturæ aut fiſſuræ cranii, nec ſemper trepani inferre neceſſitatem, exemplo tum ſexagenariæ in caput prolapſæ mox vomentis, hinc per duas ſeptimanas febricitantis, tum adoleſcentis ab equo delapſi & in fronte ſauciati, itidem vomentis, absque trepano ſolis diſcutientibus externis & febrifugis internis ſanatorum, comprobatur. Gangrænam aliquando a tumore oriri ſcirrhoſo, arteriam magnam in cavitate abdominis comprimente, ex diſſectione docetur cadaverum; in paralyſi vero gangrænam ſubinde non tam ob ſpirituum defectum enaſci, quam ob partis paralyticæ immobilitatem, qua tubuli a decubitu continuo aſſidue comprimantur, aſſeritur. Mentio Judæi fit, in corde licet vulnerati, quotidie tamen adhuc obambulantis, donec die ſexto ad plures abierit, inque examen anatomicum ceſſerit. Fœminæ, cui occaſione vulneris pollicis & ſubſequentis in carpo abſceſſus tota manus cum omnibus digitis contracta erat, balneum & linimentum emolliens profuiſſe indigitatur. Pili in porrigine capitis evulſi, & per microſcopium conſpecti, ſæpius animalcula quædam exhibere dicuntur. Unus teſticulus altero interdum major ſubinnuitur, ratione pinguedinis ſcroti fundum copioſius occupantis. Nec

p. 164.
p. 55.
p. 69.
p. 77.
p. 99.
p. 185.
p. 186.
p. 223.
p. 349.
p. 411.
p. 466.

ſilen-

Digitized by Google

ſilendum denique, a *Petro Hadriani Filio*, cujus obſervationes Sculteto adnexas modo luſtravimus, quarumque tertia & octava hic quoque communicatæ habentur, globulum aſſervari plumbeum, quem ſclopeti ictu circa os coccygis in veſicam immiſſum ipſemet ex hac eodem modo, quo exſcindi ſolet calculus, extraxerit. p. 103. p. 431. & 146.

VITA DI S. VENANZIO MARTIRE &c.

i. e.

Vita S. Venantii Martyris, deſcripta a Matthæo Paſcuccio, Congregationis S. Caroli Camerinenſis Presbytero.

Piſauri, apud Dominicum Gotti, 1693. in 4. alph. 1. pl. 25.

SIcut gens fere nulla eſt, quæ non civium ſuorum de Republica quondam bene meritorum nomen ab oblivione vindicare nitatur, eorumq; geſta heroica deprædicet: ita Romano-Catholici Sanctorum, quos colunt, memoriam pro virili tueri & propagare tanto magis ſuarum eſſe partium ducunt, quod ab iis inſuper protectionem perpetuam & quævis auxilia ſibi polliceri conſueverunt. Eadem cauſa doctiſſimũ *Paſcuccium* movit, ut, poſtquam jam antea *S. Anſovini* Confeſſoris & Epiſcopi Camerinenſis Hiſtoriam, nec non *B. Baptiſtæ Varanæ*, e monialium S. Claræ ordine Principisq; Camerinenſium Vitam (quæ Latino donata ſermone, Actis Sanctorum Bollando-Henſchenio-Papebrochianis, & Tomo quidem ultimo menſis Maji, inſerta eſt) edidiſſet, nunc *S. Venantii* Martyris Camerinenſis, quem hodieque Camertes Divum ſuum tutelarem venerantur, Vitam componeret atque publicaret. Major ad opus hoc ſuſcipiendum acceſſiſſe videtur ſtimulus, poſtquam Vir clariſſimus *Daniel Papebrochius e S. J.* in memoratis ſupra Actis Sanctorum ad d. 18. Maji, pag. 136. 144. ipſam Paſſionis S. Venantii hiſtoriam, e qua tanquam fonte profluxerint quæcunque de hoc Martyre traduntur, in dubium vocare veritus non fuiſſet. Itaque cum præcipuum Autoris noſtri inſtitutum fuerit, hiſtoriæ de communi hoc civium ſuorum Protectore fortiſſimoque quondam Chriſti athleta veritatem tueri, & ab objectionibus Papebrochianis vindicare; nos, miſſis quæ de S. Venantii, dira quæque a gentilibus propter Chriſtum perpeſſi, incredibili in ferendis cruciatibus

conſtantia, quæque de miraculis intercedente hoc Sancto divinitus patratis commemorantur, ea quæ illuc ſpectant, paucis attingemus.

Nititur nimirum Autor indubia, ac ab omnibus recepta, nunquamque interrupta traditione, tum urbis ipſius Camerini, tum cæterorum locorum, unde corpus Sancti translatum & quibus rurſus illatum fuit: cui quidem eam fidem in Eccleſia Romana habitam ſemper fuiſſe conſtat, ut exſtent hodieque Eccleſiæ bene multæ locaque ſacra alia S. Venantii memoriæ cultuique dicata, Papebrochio ipſo l. c. pag. 137 agnoſcente. Provocat porro Paſcuccius noſter ad quamplurima Lectionaria ac Breviaria, tum Eccleſiæ Cathedralis Camerinenſis tum inſignis illius Eccleſiæ Collegiatæ, quæ Sancto huic extra Camerini mœnia dedicata eſt. Ex quo factum, ut cum tum illic, tum alibi, cultus dudum ſumma cum veneratione S. Venantius fuiſſet, anno 1670 Romanus Pontifex *Clemens X.* qui Camerinenſem Epiſcopatum per annos 42 tenuerat, per totam eum Eccleſiam ſub ritu, ut vocant, ſemiduplici coli juſſerit. Denique producit Autor ipſa Martyrii hujus Acta, e manuſcripto codice membranaceo, Gothicis literis, & quidem ſecundum regulas a P. Mabillonio in illuſtri de Re Diplomatica opere conſtitutas, ante ſeptingentos, & quod excurrit annos exarato (qui penes illuſtriſſimum Dn. *Alexandrum Avium*, Patricium Camerinenſem, Piſaurenſium Epiſcopum aſſervatur) deſcripta. Ea vero ab æquis Lectoribus velut genuina ſuſceptum iri, non dubitat clariſſimus Editor, &, ſi quæ deſiderari in iis poſſe videantur, expendere jubet ſeculi, quo conſignata fuere & ex antiquioribus, ceu apparet, deprompta, barbariem, monetque ab eo ſeculo eam in ſingulis exactitudinem requiri non debere, quam præſtare hoc noſtrum poteſt doctis viris & oculatis criticis abundantiſſimum. Interim, quod caput rei eſt, demonſtrat, coronam martyrii S. Venantio A. C. 252. imperante Decio obtigiſſe. Cæterum, cum ut ſupra jam innuimus, Jeſuita Papebrochius Acta S. Venantii, qualia ad eum ex Italia transmiſſa fuerant, hisce quæ a Paſcuccio noſtro exhibentur, quoad ſubſtantiam ipſam gemina, velut apocrypha repudiaſſet, ad objecta ejus diluenda Autor accingitur.

Duo autem inprimis objecerat Papebrochius; primo maximam inter Acta hæc S. Venantii cum Actis S. Agapiti Martyris Prænestini conformitatem, ut veroſimile ſit, ex S. Agapiti Actis Venantiana hæc magna ex parte fuiſſe tranſumpta. Reſpondet Paſcuccius, Actorum S. Aga-

Digitized by Google

Agapiti & S. Venantii ſimilitudinem non ſufficere, ut hæc falſitatis convincantur: neque enim mirum eſſe, quod inter plurium Martyrum paſſiones conformitas deprehendatur, cum Gentiles pari ſæpe crudelitate ac tormentorum eodem genere in Chriſtianos ſævierint. Dein ſuſpecta Acta hæc reddita fuerant Papebrochio, quod ſub *Rege Antiocho* S. Venantius Camerini martyrium paſſus memoretur. Quis enim fuerit Antiochus iile Rex, qui Camertibus illo tempore imperitaverit, non facile eſt divinare. Reſpondet Noſter, Præfectum fuiſſe Prætorio, cujus jurisdictioni civitates ſuburbicariæ, inter quas & Camerinum cenſebatur, fuerint ſubjectæ. Regis vero nomine illi inditq non abſolutum quoddam ac independens imperium, ſed ſævum tantum ac violentum ejus regimen denotari. In aprico autem eſſe ait, quod Antiochi cognomen ævo Imperatorio haud inuſitatum Romanis fuerit: quanquam concedendum, ſtante Republica, quin & ſub primis Cæſaribus, nunquam a Romanorum familiis fuiſſe uſurpatum. Poſtquam vero Imperatores multos Græcorum civitate Romana donaſſent, cognomen quoque *Antiochi* a Romanis ipſis cœptum eſſe aſſumi. Adducuntur ex Inſcriptionibus Gruteri exempla, a clariſſimo *Noriſio* Autori noſtro ſubminiſtrata. Ita enim pag. 240. legitur *Cajo Clodio Antiocho*; pag. 545. *M. Aurelio Antiocho*; pag. 1077. *C. Tuccio Antiocho*; pag. 1152. *C. Sulpitio Antiocho*. Imo aliquando cognomen hoc paulo mutatum & ad fœminas tranſiiſſe, notatur. Sic pag. 614. legitur *Ulpia Antiochis*; pag. 689. *Julia Antiochis*; & pag. 825. conſpicitur Epitaphium a Flavio Capitone conjugi *Platoniæ Antiochidi* erectum. Inſignis inprimis eſt inſcriptio, quæ habetur pag. 421.

C. IVLIVS C. F. FAB.
ANTIOCHVS
PHILOPAPPVS
COS. FRATER ARVALIS
ALLECTVS INTER PRÆ-
TORIOS AB IMP. CÆSARE
NERVA TRAJANO OPTIMO
AUGUSTO GERMANICO
DACICO.

Ex cognomine hoc *Antiochi*, ut & altero *Philopappi*, cognoſci poſſe Autor docet, ex Græcia oriundum fuiſſe illum, qui civibus Romanis

manis, familiæ Juliæ ac tribui Fabiæ, nec non Prætoriis (ſic a Prætura, qua functi ſunt, vocatis) fuerit adſcriptus, & qui Conſulem præterea, quem nuncupant, Subſtitutum, Sacerdotemque collegii Arvalium egerit. Itaque minime mirandum, ſub Decio, qui elapſis inde ab obitu Trajani CXXXII annis faſces geſſit Imperii, vixiſſe Præſidum illius quendam, cui cognomen *Antiochi* fuit, ignorato gentilitio. Haud abſimili enim ratione in Faſtis poſteriori Cæſarum ævo conſcriptis, e. g. in ſubſcriptione Legum Codicis Juſtinianei, ſola Conſulum cognomina, familiæ nominibus maximam partem in occulto latentibus, deprehendi.

Ausführliche Berg-Information &c.

i. e.

Solida Informatio de Re Metallica recte tractanda &c. autore Abrahamo a Schönberg, Potentiſs. Electoris Saxonis Conſiliario, Capitaneo ſive Exarcho Metallicorum Supremo &c.

Lipſiæ apud Dav. Fleiſchern, & Dreſdæ apud M. G. Hübnern, 1693. in fol. plag. 96.

QVemadmodum illuſtris familia Schönbergiorum de univerſa Germania, imo & regionibus exteris, in toga & ſago bene mereri nunquam non ſategit: ita ſuarum inprimis partium eſſe duxit, patriam, in qua maxime ſemper floruit & hodieque floret, Miſniam omni conſilio, ſtudio atque ope adjuvare. Et profecto adjuvit eam ſtrenue, variis admota Reipublicæ partibus, & adhuc adjutum it in illuſtrioribus Regiminis Electoralis Saxonici Collegiis, cumprimis vero in re Metallica rite & ex uſu publico curanda. Centum jam & viginti anni lapſi ſunt, ex quo nonniſi ex illuſtri hac Schönbergica gente Metallicorum in his ditionibus Exarchi fuerunt conſtituti; quod meritis illius, probatæque documentis inſignibus dexteritati datum, nemo non agnoſcet. Sed aliorum propoſitum eſt, illuſtris hujus domus genealogiam, resque bello aut pace præclare geſtas, juſtis commentariis complecti. Nos unum nunc ex ea Virum laudamus, præſentis operis Autorem, Perilluſtrem Dn. Abrahamum a Schönberg, qui per triginta annos, & quod excurrit, ſub tribus Electoribus Saxoniæ, Præfecti Metallici, ſeu ut nunc vocant, Supremi Capitanei ampliſſimo munere

nere functus, præsidiis omnibus, quæ in hoc periculoso æque ac fructuoso negotio requiruntur, adeo instructus est, ut quantum antistat alios metallicæ operantes muneris dignitate, tantum quoque peritia præcellat. Et hactenus quidem demandato munere ita functus est, ut imperio suo subjectis, quamdiu per corporis constitutionem potuit, per abdita & arcta quæque terræ loca viam præiverit, cunctis in metallurgia occupatis operandi methodum præscripserit, curaveritque, ut universi atque singuli suarum satagerent partium. Nunc autem edito in lucem præsenti hoc Opere, instruere alios quoque voluit, quotquot volupe habent negotia metallica nosse: quibus proinde nos præcipua libri contenta paucis indicabimus.

Tergeminum perillustris Autoris institutum est. *Primum* enim *varia* illa *operarum genera*, quæ metallurgiæ adhibentur, ordine alphabetico describit, quidque laboris & studii a singulis exigatur, accurate enarrat. Quo ipso consultum it tum ipsis operariis, ut exacte, quid suarum proprie sit partium, intelligant, ne ubi quid negligentia peccatum aut labefactatum est, ad rationem reddendam accersiti excusatione ignorantiæ uti queant: tum iis etiam, qui sumptus ad metallifodinas erigendas atque conservandas, spe fructuum cum tempore percipiendorum conferunt, ut edoceantur, quibus & qua de causa expensæ erogentur, quamque multæ diversæque requirantur operæ, ut metalla inveniantur, effodiantur, tundantur, separentur, laventur, torreantur, urantur, liquentur, purificentur, in numismata flentur, signentur, aut ad quoscunque usus alios perficiantur. Multorum enim labore ac sudore opus est ad pecuniam e lapidibus metalliferis excitandam, quam prodiga sæpius manus & incauta nullo negotio consumit temereque dilapidat. Quæ si studiose expendant, qui sumptibus exhibitis metallurgica negotia promovent, futurum utique est, ut mitius & æquiore animo, quam multi harum rerum ignari facere consueverunt, de metallicis eorumque præfectis judicent, ubi spem lucri animo conceptam, si non eludi, at longius, quam putaverant, differri subinde experiantur.

Deinde id agit quoque Autor, ut forensia metallicorum negotia, litiumque dirimendarum rationem exponat. Tametsi enim olim forte ad hoc forum controversiæ non ita multæ fuerint delatæ, longeque verius de metallicorum, quam quondam de Romanorum Republica

dictum fuerit, ſtare eam antiqua virtute & fide: invaluit tamen paulatim hic etiam litigandi libido, ut neceſſe fuerit jus metallicum accuratius definiri, proceſſuumque, quos vocant, rationem ad technas molitionesque rabularum & vitilitigatorum infringendas præſcribi. Itaque, ut ſciret quisque, quænam cauſæ ad tribunal metallicorum proprie ſpectent, & penes quos jurisdictio ſit in controverſiis metallicis, (ubi notabile eſt Collegium Scabinorum metallicorum, quod penes ampliſſimum Senatum Freibergæ ultra trecentos jam & quinquaginta annos fuit) quo item modo in cauſis agendis decidendisque procedi ſoleat; accuratam Autor *Ordinationem proceſſus metallici*, digniſſimam omnino quæ vim legis publicæ in Electoratu minimum Saxonico nanciſcatur, ex Reſcriptis, Mandatis, & Conſtitutionibus Principum Electorumque Saxoniæ, novis perinde ac antiquis, nec non uſu receptis ab immemoriali tempore Conſuetudinibus compoſuit. Quam perluſtrandam ſibi merito judicabunt JCti quique, ut quantum inter Proceſſum juris Saxonici communem & metallicum interſit, cognoſcant. Sic enim, ut ſpeciminis loco nonnulla referamus, ab amicabili, quæ liti præmittitur, tractatione Advocati & Procuratores arcentur. Proceſſus ſummarius regulariter adhibetur. Scripta parti adverſæ communicanda, ut libelli, exceptiones, replicæ, duplicæ, ab initio in duplo exhiberi jubentur. Parti cauſam protrahenti, in eum eventum, ſi ſuccubuerit, 20 marcarum argenti cautio, & appellanti, ſi de appellationis temeritate conſtiterit, ejusdem ſummæ depoſitio injungi poteſt. Reconventio cum conventione, citra confuſionem tamen, pari paſſu ambulat. Quando concordiæ reducendæ ſpes inter partes defecit, & cauſam judiciariæ ventilationi ſubmitti viſum eſt, proximo poſt diem 14 die libellus ab actore exhibendus; probatio intra tres quaterdenas facienda, atque a tempore inſinuatæ atteſtationum copiæ, die octavo contra eam exceptio exhibenda eſt. Neque arreſtum, neque executio in partes metallicas indulgetur, niſi debitum ex metallica cauſa deſcendat. Conventiones circa partes metallicas ob læſionem ultra dimidium non reſcinduntur. Mercedi operariorum metallicorum in concurſu creditorum jus tacitæ hypothecæ & prælationis tribuitur, & metallifodinæ partesque metallicæ una cum earum proventibus, a bonorum confiſcatione, qualecunque commiſſum ſit crimen, eximuntur.

De-

Denique cum metallurgi perinde, ac opifices alii, propriis utantur suæ artis terminis, quibus res eas ac negotia exprimunt, quæ nemo nisi eorum vocabulorum peritus capere potest, *Lexicon* etiam adornare Autor celeberrimus voluit, quo alphabetico ordine, quid quaque voce metallurgi significent innuantque, exponitur. Tametsi enim multos artis hujus terminos in operibus suis, maxime Beermanno, jam olim *Agricola*, multos etiam sed in inferioris præcipue Saxoniæ metallifodinis receptos *Fachsius*, plures *G. Junghansius* edito Vocabulario Germanico, plurimos verbi Divini Minister apud Freibergenses hodieque clarissimus *M. And. Beyerus* in suo Christiano Metallico & Metallico Christiano (dem Christlichen Bergmann und Bergmannischen Christen) dudum explicuerint: perfectum tamen nunc demum id genus Dictionarium *Schönbergio* nostro debemus, e quo linguam metallicorum discere cuivis erit in proclivi.

AD ILL. ATQUE EXC. DN. JO. CASPARUM DE LOOS, Serenissimi Ducis Saxo-Weissenfels. Supremum Mareschallum & Consiliarium intimum &c. Epistola CHRISTFRIEDI WÆCHTLERI D.

Dresdæ apud Christoph. Mattheſium 1693. in fol. Plag. 3.

DE consilio DEI circa discrimen ciborum Judaicorum ex Levit. XI. & Deut. XIV. pauca dicturus Autor consultissimus, primo omnium textum Johanneum, Apoc. XIII, 8. de agno ab origine mundi occiso, adversus interpunctionem a Cl. Diecmanno non ita pridem approbatam tuetur, & ne hic subesse novitas quædam videatur, post Theologos nostrates remittit lectorem ad Dav. Pareum, Castellionem, Socinum, Smalcium, Em. Sa, Bezam, Junium, Piscatorem, Petrum Molinæum & Philipp. Mullerum. Mox circa rei ipsius arcem loca Origenis, Tertulliani, Novatiani contra Speneerum non ita pridem defunctum vindicat; exponit etiam verba Taciti Hist. IV, 60. ex antiquitate Judaica, promittitq; sibi plura a Christiano Wormio, Dano. Ea etiam occasione Arnobium adversus Heraldi censuram defendit, & de observatione Jo.

Wa-

Waeyeni pariter atque Petri van Hoeke circa hereditatem mundi vulgentium, loco terræ Canaan, in novo fœdere, uti volunt, promissæ, quædam annotat. Inquirit deinceps in fundamenta Spencerii præsentis argumenti primaria ac ferme singula, allato etiam sensu textus Paulini 1. Tim. IV, 1. & Petrinæ visionis Act. X, 13. seqq. Inde ad Grotium transgressus, laudat interpretationem Gallicanam libri ejus de Jure Belli ac Pacis ab Antonio Courtino editam. Dein Porphyrio præferendum ait Aristotelem circa distinctionem animalium a Mose primo omnium delineatam: expenditque quæ in hanc rem a Jo. Æmiliano, ac nostris temporibus a Joh. Conrado Peyero aliisque ad indagandam naturam ruminantium fuerunt allata. Ubi innuit, locum Jamblichi περὶ τῦ ἱερῦ ἀνθρώπυ de victima humana hactenus minus commode intelligi, de Mysteriis sect. 5. c. 27. Ad diversa enim nos ducere capita duo, quæ sequuntur. Jam potissimum contra Spenceri hypotheses argumentum esse dicit hoc, quod sacramenta etiam novi fœderis in tanta luce similes Dæmonis fraudes, quales prisca in ista nocte temporum, passa sint. Hinc ratio fastidii Ægyptiorum in pastores pecuarios, & metus lapidationis, si in oculis ipsorum sacrificarent Hebræi, Exod. 5, 3. & 46, 35. paulo secus quam vulgo tangitur, laudato Samuele Basnagio, & non semel injecta mentione recentissimi Commentarii in Genesin Johannis Clerici. Pythagoræ mens porro circa abstinentiam, sive ab animalibus sive a fabis etiam, juxta Gellii & Menagii tramites investigatur, posita thesi primaria: ea animalia a DEO in cibos concessa, quæ antea fuerant in usu sacrificiorum munda. His accessisse quædam alia, sed ut conveniant suo modo cum iisdem. Jam lepores & cuniculos & camelos accenseri equidem ruminantibus, sed cum discrimine. De ungularum contextura fissuraque rem esse paulo abstrusiorem, neque adhuc dum elaboratam. Pauca etiam circa discrimen piscium, avium, & reptilium occurrere. Locum dubium esse apud Galenum libro 6. de administr. anat. & τὸ ὀυ mutasse sedem. Dubium quoque esse, an Chæremon iste, cujus contemptim admodum meminit Strabo libro XVII, idem sit cum altero Chæremone, quem in rebus Ægyptiorum laudant Josephus, Porphyrius, Origenes. Pro negante sententia afferri posse non pauca, contra Conringium & Vossium. Rursus in allegando alio Josephi loco contra Appionem l. II. de odio Hebræorum in exte-

ros

ros, Spencerus Noſtro videtur non parum fallere. Atque in quæſtione a Chriſtiano Wormio agitata, an Philoſophi veteres in Judæam potius quam Ægyptum commigrarint, ſubeſſe adhuc quædam, paulo uberius ſuo loco excutienda exiſtimat.

Anmerckungen von dem Ritterlichen Johanniter-Orden/ und deſſen abſonderlicher Beſchaffenheit in dem Herren-Meiſterthum deſſelben in der Marck/ Sachſen/ Pommern und Wendland; ſampt vorhergehenden General-reflexionen über die Ritterliche Kreutz-orden insgeſampt/ durch D. Johann Chriſtoph Beckman.

id eſt:

DE EQVESTRI JOHANNITICO ORdine, ejusque ſingulari in Baiulivatu per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam ſtatu ac ratione Commentarius; præmiſſa tractatione de Equeſtribus Cruciatis Ordinibus in genere; auctore D. Jo. Chriſtophoro Becmanno.

Francofurti ad Oderam, typis Jo. Cöpſelii, anno 1693. in fol. Plag. 39.

POſtquam Chriſtiana religio a Barbaris tantum non oppreſſa, ac plurimæ ejus priſcæ in Oriente & ad Meridiem ſedes a Saracenis occupatæ eſſent, animos nonnulli ex Occidente ceperunt earum recuperandarum, ſuſceptæque ſunt expeditiones, quibus ſtudium iſtud erat unicum, ut armis Terram Sanctam vindicarent; quod Chriſtiano nomine prorſus indignum videretur, eas regiones, quas Chriſtus ejusque Apoſtoli & ſecuti eos ſancti Viri incoluiſſent, a Chriſtianorum hoſtibus poſſideri. Hæ expeditiones quia ob Chriſti Salvatoris crucifixi gloriam aſſerendam, & Barbaris eripiendas Chriſtianas in Oriente regiones ſuſcipiebantur, *cruciatæ* dictæ, Equites item *cruciati* nominati fuerunt, militumque veſtibus crucis ſignum adſutum ac teſſera militiæ veluti conſtitutum eſt. Vid. Bœcleri Diſs. de Paſſagiis in Volum. Diſ-

ſert. Acad. App. p. 22. 23. Prima hujus militiæ laus Godofredo Bulliono debetur, qui ſub finem undecimi ſeculi Hieroſolymas occupavit: cujus inſtitutum ſecuti alii, turmas & ordines inſtruxerunt, ſecuritatis Chriſtianorum adverſus infideles ſtudioſi. Neque quidquam eſt in conſiliis bellicis ævi iſtius frequentius, quam laudata militiæ adverſus Chriſtiani nominis hoſtes ſanctitas, gloria, utilitas, in tuendis finibus, cuſtodienda reipublicæ Chriſtianæ pace ac ſecuritate, in vindicando jure, in proferendis limitibus, & quæ ſunt hujus generis cetera. Huic ardori & ſancto gloriæ ſtudio originem debent in Palæſtina *ordo S. Johannis, Marianus Teutonicus*, & *Templariorum*; in Hiſpania *ordo S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ* & *Monteſiæ*; in Luſitania *ordo Chriſti, Aviſii*; in Sabaudia *ordo S. Mauritii* & *S. Lazari*; in Toſcana *ordo S. Stephani*; in Italia *ordo S. Georgii*, & alibi alii; qui omnes eccleſiaſtica autoritate ſuffulti, monachorum ordines ea etiam ex parte imitati fuerunt, ut votis apud eos ſolennibus ſe conſtringerent: de quibus legendus Andreas Mendo ſcriptor Hiſpanus, in *Diſquiſitionibus de Ordinibus militaribus*.

Inter omnes hos ordines *Johanniticus* velut inter ignes Luna minores effulget; de quo Autor doctiſſimus in hac commentatione prolixius & diſtinctius ſibi agendum vel eam ob cauſam exiſtimavit, quod caput ejus & dominans Magiſter, *Baiulivus, Baillivus* (Herrn Meiſter) dictus, non ita pridem (die nimirum 22. Febr. 1693.) electus eſt Sereniſſimus Marchio Brandenburgicus Carolus Philippus, Potentiſſimi Electoris, qui in Imperio hodie Marchionatui & pluribus provinciis fortiter & feliciter moderatur, celſiſſimus Frater, cujus electionem capite V. §. 10. enarrat, occaſione tam inſigni ad conſcribendum hunc commentarium incitatus. Originem Johannitici hujus ordinis e ſeculo undecimo accerſit, eamque mercatoribus nonnullis Amalphitanis, qui cum Saracenis commercia coluerunt, deberi tradit: iſtos enim permiſſu Ægyptiorum Califharum anno 1048. monaſterium vel ædem S. Mariæ Latinorum extruxiſſe, xenodochia conſtituiſſe, indeq; *Hoſpitalarios*, & ab exædificato Oratorio in honorem S. Johannis Baptiſtæ, *Johannitas* dictos fuiſſe. Primum iſtius ſocietatis Rectorem *Gerhardum* quendam extitiſſe, quo demortuo *Raimundus di Podio* electus & Magiſter Hoſpitalis appellatus fuerit, qui vota caſtitatis, paupertatis & obedientiæ injunxerit militibus, iisque

nigrum

nigrum pallium & octangularem crucem dederit geſtandam, omnesque in equites, armigeros & ſervientes diſpeſcuerit. Ordinis incrementa, fortiter geſta, & adverſa quæ ei obtigerunt, late dein explicat. Inter quæ maxime memorabilis eſt expugnatio inſulæ Rhodi, quam duce Falcone Villareto Magno Ordinis Magiſtro A. 1309. in poteſtatem ſuam redegerunt cum aliis adjacentibus inſulis; quas omnes ita opere & impenſis munitas reddiderunt, ut quicquid in mari Chriſtianis reſtabat, integrum conſervarint, iisque omnibus qui Hieroſolymam proficiſcebantur defendendis pares fuerint, Turcorum etiam claſſem anno 1312 & 1480 profligarint; donec anno 1522 Solimannus magna vi navium & militum coacta inſulam adortus, nullo Principum Chriſtianorum in ſummo diſcrimine ſuppetias ferente, eam occupavit, univerſumque Johannitarum ordinem, qui per ducentos & duodecim annos Rhodum incoluerat, ea expulit. Is in Cretam inſulam, inde Viterbum & in alias Italiæ regiones, poſt Nicæam urbem Duci Sabaudiæ ſubjectam, ac tandem Syracuſas delatus, mox Caroli V. Cæſaris munificentia pro habitationis perpetuæ loco *Melitam* d. 24. Mart. A. 1530 accepit, ut ex viciniori hac inſula, tanquam ex ſpecula, quid molirentur hoſtes exploraret, eorumque deprædationes in Mari mediterraneo compeſceret, urbem autem Tripolim e regione ſitam propriis viribus defenderet. Igitur ſicut antea ab inſula Rhodo *Rhodienſes equites*, ab hac *Melitenſes* vocati fuerunt, nomenque cum inſula adhuc tenent & contra Barbaros fortiter tuentur. De iis & eorum ordine pluribus diſſerunt Thomas Boſius & Joh. Franc. Abela Mutinenſis in *hiſtoria Equitum Melitenſium*, Herr. Pantaleon *de Ord. Johannitarum*, Th. Fazellus in *Hiſtoria Sicula*, Pirrus *in Notit. Melitenſ.* Chriſt. Oſterhauſen in ſcripto Germanico *de Notitia equeſtris Ordinis S. Johannis*, Burch. Niederſted in *Malta veteri & nova.* Ordo iſte octo diſtinguitur Nationibus, quas illi *Linguas* appellant, quarum quævis iterum in ſuos diſpeſcuntur Prioratus. Et nominantur hæ Linguæ: Provincialis, Alvernica, Francica, Itala, Arragonica, Anglica, Luſitanica, Germanica. Prioratus ejus numerantur quatuor & viginti: Commendæ ſexcentæ octoginta quinque. Ita autem vocantur prædia, domus & fundi Ordinis, quibus præſunt Prioribus ſubjecti Commendatores; ex eo dicti, quod quum Equites bonis maximis augerentur, emeritos milites & bello feſſos paſſim in pro-

vincias ablegarent, qui iſtis prædiis imperarent, ſeu, ut iſto ævo loquebantur, commendarent. De his commendis aliquot, nec ignobiles, partes Turcarum vi & Regum ac Principum Chriſtianorũ quorundam avaritia Ordini abreptas fuiſſe obſervat p. 31. Statuta Ordinis ex Megiſeri *Deliciis equeſtr.* & Autore *Archontologiæ Cosmicæ* recenſet p. 33. 34. copioſius petenda ex Joh. Baptiſtæ Rondinelli *Statutis Hoſpitalis Hieruſalem*, Boſio, Oſterhauſio, Balduino, & aliis. Magnorum ordinis Magiſtrorum ſeriem inde usque ab anno 1118 & primo rectore; qui Gerhardus fuit, (nam magni Magiſtri *il gran Maeſtro* titulum primus uſurpavit anno 1179 Rogerius de Moulins) usque ad hodiernum Vignacourtium p. 36. ſeqq. texit. Munia & dignitates equitum p. 41. ſeq. recenſet, eorumque numerum ad tria millia excreviſſe p. 43. annotat. De Prioratu Germaniæ, cujus antiſtes *Ordinis S. Johannis Baptiſtæ Hieroſolymitani ſupremus per Germaniam Magiſter* audit, & ſedem Heidersheimii in Brisgoia habet, cap. III. agit, Confirmationemque Friderici Haſſiæ Landgravii Cardinalis in hac dignitate ab Imperatore glorioſiſſimo Leopoldo A. 1662. factam p. 45. recitat, & nomina Priorum p. 55. ſeqq. enumerat, e quibus hodie Hermannus de Wachtendonck Eques Weſtphalus ampliſſimo huic muneri præeſt.

Tandem ad Baliviatum ſeu Baiulivatum Marchiæ delatus, quæ maxime inſignis pars eſt Prioratus Germanici; prolixius de ejus juribus & facultatibus commentandum ſibi exiſtimavit, in cap. IV. & V. Ad linguam Germanicam Ordinis Johannitici præfecturam hanc pertinere, & Prioratui Germanico accenſendam eſſe, inde probat, quod hodienum quotannis in recognitionem Magiſterii ſupremi certa pecuniæ ſumma Melitenſibus præſtetur. Opes ejus donationi Pontificiæ ex facultatibus Templariorum, poſtquam ii extincti ſunt, aliorum item, Regum Poloniæ, Electorum Brandenburgicorum, Ducum Pomeraniæ, Brunſvicenſium & Megapolitanorum munificentiæ acceptas eſſe ferendas; coemiſſe etiam Ordinem multa prædia e propriis facultatibus tradit. In quam rem diplomata Pontificia Clementis V. p. 65, 69. profert. Trium generum bona & fundos ab ipſis poſſideri p. 69. docet: præfecturas, commendas, & feuda. *Præfecturas* domaniorũ naturam habere & ad fiſcum Baiulivi pertinere, easque ſex numerari: Sonnenburgum, Rampiziam, Grunbergam, Collinum, Schenkendorfium & Fridlandiam. *Commendas* cenſeri Lagow, Schievelbein, Lietzen,

Digitized by Google

Lietzen, VVerben, VVittersheim, Supplinburg, Nemerow, Mirow, VVildenbruch, Zachan, Krakau, Stargard, Gartow : quarum tamen ſeptem poſteriores partim avulſæ Megapolitanis Ducibus Succisque ceſſerint, partim ad feuda Ordinis fuerint relatæ. *Feudis* accenſeri eas urbes prædiave, in quæ ab Ordine divendita ſolum is dominium directum habet reliquum, & enumerantur p. 80. Oneribus Melitenſium Ordini extra ordinem præſtandis Baiulivatus hic certis legibus ſe ſubduxit, per transactionem quæ *Heimbachiana* vocatur, ubi inter Conradum Braunsbergiũ Priorem Germaniæ & Bernhardum Schulenburgium Bailliviatus Brandenburgici Domini-Magiſtrum anno 1382 ſuper hac re conventum eſt, quæ p. 81. exhibetur, & ejus confirmationes a ſummo Rhodienſium Magiſtro Joh. Ferdinando de Heredia, Pontifice Paulo II, & Electore Brand. Friderico II, p. 82. 84. 87. recitantur. Patrocinium Ordini præſtant Potentiſſimi Brandenburgici Electores, quibus cum dignitate Electorali & Marchionatu ſplendidiſſimum hoc munus a Sigismundo Imp. A. 1415 collatum fuit, cum jam antea tutelam Ordinis Serenisſimi Marchiones geſſiſſent; ut e pactis VValdemari Electoris cum Paulo Mutinenſi anno 1318 ſancitis manifeſtum eſt, quorum tabulas profert p. 92. ſeq. & Oſterhauſium (qui Electores Brandenburgicos ex diſſidio Conventus & Commendatorum ſuum captantes commodum, jus præſentandi Baillivos ſibi arrogaſſe, & paulatim plenam poteſtatem de commendis pro lubitu diſponendi cepiſſe, Baiulivatum etiam quibuscunque volebant contuliſſe tradit) p. 94. ſeq. refellit. De Baiulivorum, Baiulorum, ſeu Baillivorum (Herr-Meiſter/ Herren-Meiſter) nomine, dignitate, munere, electione, inveſtitura, juribus, ſede, & aliis ad ipſos ſpectantibus cap. V. agit Autor. Ad hanc dignitatem, inde usque ab anno 1569, non niſi Comites & Principes lectos fuiſſe, p. 98. annotat. Electionem autem a Fratribus ſeu Commendatoribus peragi, jus nominandi & præſentandi exercente Electore Brandenburgico, obſervat, ac ſolennia electionis & inveſtituræ deſcribit. Poteſtatem & functiones ejus p. 104 indicat; & ſedem antea Lagoviæ, Supplinburgi & Gartoviæ fuiſſe, hodie Sonnenburgi haberi, arce ejus a nuper defuncto Baiulivo Jo. Mauritio Principe Naſſovio venuſte extructa. In iſtius templo tabula exſtat nomina Baillivorum continens, qui ab anno 1303 Ordini præfuerunt, quæ inde deſcripta p. 107. ſeq. leguntur. Electionis nuper de-

functi Principis a VValdeck Georgii Friderici anno 1689. d. 9. Aprilis factæ historiam p. 108. narrat, hodierni etiam Magistri Ser. Marchionis Caroli Philippi solennia electionis d. 23. Febr. 1693. feliciter institutæ, & investituræ d. 24. Febr. peractæ p. 113. seq. describit. De equitibus Ordinis hujus sive Bailliviatus, cap. VI. agit, eorum requisita & munia, ad quæ dum creantur, adstringuntur, recensens. Voto castitatis dum se alligant, matrimonia non excludi, sed castitatem maritalem intelligi, p. 119 docet. Cur expeditiones adversus Turcam hodie non suscipiantur amplius cum Rhodiensibus, p. 120. causas exponit. Ritus investituræ eorum, & solennia quibus in equites creantur, trina gladii percussione, additis vocibus, *Præstat eques servo* (besser Ritter als Knecht) & juramento præstito; insigne item, quod cruce candida octangulari constat, aliasq; ceremonias describit p. 122. integrumque Commentarium recensione eorum, qui ab anno 1652. ad hunc usque diem, & ad postrema solennia d. 24. Mart. anni hujus celebrata, in equestrem hunc Johannitarum Ordinem recepti fuerunt, claudit.

DESIDERII ERASMI COLLOQVIA Familiaria. Petrus Rabus Roterod. recensuit, & notas perpetuas addidit.

Roterodami apud Regn. Leers, 1693. in 8.
Alph. 1. pl. 13.

Libri notissimi, multoticsque typis descripti, nova editio hæc indicanda omnino fuit, quam clarissimo Bibliothecæ Europææ (*Boekzaal van Europe*) autori Petro Rabo debemus. Hic enim, uti jam ante decennium Erasmi Colloquia in civium suorum gratiam Belgico sermone expressa edidit: ita nunc adolescentibus, quibus diligens Colloquiorum horum lectio commendari merito solet, & filio inprimis suo unico, *Guilielmo Rabo*, septenni sed optimæ spei puerulo, cui opus hoc dedicavit, consulturus, perpetuis ea notis a se illustrata exhibuit; ut inoffenso pede progredi deinceps in lectione utilissimi libri possint. Accessit Colloquiis lepidus Thaliæ & Barbariei conflictus; quod opusculum Rabus Erasmo civi suo vindicat, nunquam licet antea cum Colloquiis editum.

Corri-

Corrigenda in Schediasmate G. G. L. Septembr. 1693.

Pag. 391. lin. 9. pro T F lege T G. lin. 17. pro: *in eodem plano horizontaliter*, lege: *in eodem plano horizontali normaliter.*

In Figuris eodem pertinentibus *fig. 1.* abeſt arcus 3 AF centro 3B, radio 3B 3A deſcriptus & rectæ 3B 4B 4A occurrens in F.

Rectæ 1A 1B, 2A 2B, 3A 3B, 4A 4B, debent lineam BB tangere, & quæ ex 2A educitur, non debet tendere ad 1B ſed ad 2B.

In fig. 3. debet cylinder ſolidus FE pertingere usque ad lineam E (E)

E NOVIS LITERARIIS id unum nunc indicamus, in illuſtri Jenenſi Academia clariſſimum Virum *M. Johannem Erneſtum Gerhardum*, graviſſimi quondam in ea Univerſitate Theologi *JOHANNIS GERHARDI* nepotem, in eo occupatum nunc eſſe, ut Epiſtolas Theologicas ad beatum Avum hunc ſuum ſcriptas, aut quas ipſe ad alios ſcripſit, colligat, collectasque typorum beneficio publici juris faciat. Quod inſtitutum omnibus utique qui norunt, quantam ejusmodi epiſtolæ lucem Hiſtoriæ eccleſiaſticæ afferant, & magni illius Eccleſiæ noſtræ Theologi memoriam, ut par eſt, venerantur, probandum, ipſe nuper in Epiſtola ad viros eruditos typis exſcripta aperuit, eosque ad communicandas ſecum, ſi quas a B. Gerhardo ſcriptas literas poſſideant, aut indicandas ſaltem, ſi quas in ſcriniis bibliothecarum latentes norint, humaniſſime invitavit. Literas vero aut Jenam mitti ad ſemet cupit, aut ſi commodum hoc non ſit, vel Hamburgum ad Theologum minime incelebrem *Danielem Severinum Scultetum*, vel Francofurtum ad *Joh. Georgium Walderum*, vel Noribergam ad *Georgium Andream Enderum*, vel Lipſiam denique ad *Ottonem Menckenium* Moralium Profeſſorem publicum dirigi. Nos ut inſtitutum ex voto ſuccedat, merito optamus.

LIBRI NOVI.

D. Friderici Ulrici Calixti, de vario hominis ſtatu eidemque connata legem exacte implendi impotentia Tractatus Theologicus, comple-

complectens inter alia, pro Philoſophia & Philoſophis Apologiam. Helmſtad. 1693. 4.

Adami Rechenbergi Lineamenta Philoſophiæ Civilis. Lipſiæ 1693. 12.

Henrici Hulſii de Vallibus Prophetarum ſacris Liber unus. Lugd. Bat. 1693. 4.

Ejusdem Verba Ithiel, Ucbal & Lemoel, ſeu in Ultima Paræmiaſtæ Salomonis Commentarius Propheticus. Lugd. Bat. 1693. 4.

De Vita & Moribus Epicuri: autore Jacobo Rondello. Amſtel. 1693. 12.

Inveſtigatio momentorum, quibus gravia tendunt deorſum, autore Jo. Franciſco Vannio, e S. J. Romæ 1693. 8.

Johannis Faes Chriſtus incœnatus. Bremæ 1693. 8.

Jacobi Koelman Diſputatio de feſtis diebus in Eccleſiis Reformatis celebrari ſolitis. Trajecti ad Rhenum 1693. 4.

Delicia Poetarum Danorum, collectore Friderico Roſtgaard. Lugd. Bat. 1693. 12.

De betooverde Weereld van D. Balthaſar Bekker, onderſogt en vvederlegt door Johannes vander Waeyen. Te Franeker, 1693. 4.

Les Memoires du Duc de Rohan. A Amſterd. 1693. 12.

Memoires de la Vie de Frederic Maurice de la Tour d' Auvergne Duc de Bouillon. A Amſterd. 1693. 12

Entretiens de Morale. A Paris 1693. 12.

Nouvelle Pratique d' Arithmetique, par le Sr. Monier de Clairecombe. A Amſterdam 1693. 12.

Hiſtoire du Cardinal Ximenés, par Meſſire Eſprit Flechier, Eveque de Niſmes. A Amſterdam, 1693. 12.

Hiſtoire de Henri II. par Mr. Varillas. A Amſterd. 1693. in 12.

Hiſtoire de François II. par Mr. Varillas. A Amſterdam 1693. 12.

Traité des Moyens de rendre les Rivieres navigables. A Paris 1693.

Nederlands Adviisboek inhoudende verſcheide Conſultatien van Regtsgeleerden in Nederland, by een verzameld door Mr. Izaak van den Berg. t' Amſterdam 1693. 4.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris, Anno M DC XCIII.

JOHANNIS FAES, STADENSIUM AD S. VVilhadi Paſtoris Primarii, CHRISTUS INCOENATUS.

Bremæ, typis Hermanni Braueri, 1693. in 8.
Conſtat 1. alphab.

CUrioſa eſt ac minus agitata in vulgaribus libellis Controverſia: *Utrum Chriſtus ſacroſanctam Euchariſtiam rite a ſe inſtitutam una cum ſuis diſcipulis præſentibus in cœna noviſſima uſurpaverit?* Et eam plerique e Noſtris ita definiunt, quod Chriſtum ſuiipſius hoſpitem fuiſſe, probari nequeat; ſi tamen tunc eundem ediſſe & bibiſſe conſtaret, non alio certe loco actus hos habendos addunt, quam quod illi prægustationem ac præbibitionem conſecratoriam exhibuerint. Multis itaque argumentis pro negativa ſententia pariter depugnat heic Clariſſimus Autor, cujus eruditionem e libris de *Feſto Corporis Chriſti*, de *Chriſti Vulneribus*, de *Jubileis Pontificum Romanorum*, ſcriptisque aliis in lucem publicam ab eo emiſſis Docti pridem cognoverunt.

Statim autem in Proœmio de variis, quæ in Articulo de Euchariſtia moveri conſtat, diſſidiis conqueritur, ac inſuper non aliorum modo hac de re allegat teſtimonia, ſed etiam productas toties concordiæ pacisque conditiones memorat, & tandem in cenſum quæſtionum ad diſciplinam & ædificationem Chriſtianiſmi parum conducentium præſentem quoq; refert, cujus tamen affirmativa cum ſuos patronos & olim & nunc invenerit, eandem paulo curatius expendere non inconſultum arbitratus eſt.

Et opinionis quidem de *Chriſto cœnato* originem indagaturus,
Cap. I. ſcripta primo Græcorum Patrum conſulit, quid vel ex iis alii in hoc negotio exſculpſerint, vel ipſe inibi extare deprehenderit, indigitans. In hanc ergo claſſem effata illa reponit, quæ in Jacobi Liturgia, & Baſilii M. Anaphora, Eccleſiaſticaque Dionyſii Areopagitæ Hierarchia, nec non apud Gregorium Nazianzenum & Chryſoſtomum, ſententiam affirmativam tueri videntur; quemadmodum e Patribus Eccleſiæ
c. II. Latinæ Hieronymum, Auguſtinum, Euſebium Emeſenum, Heſychium Hieroſolymitanum, Iſidorum Hiſpalenſem, una cum Gloſſa ordinaria, & nonnullis e Gloſſa Corporis Canonici verſiculis adducit.
c. III. Poſtea progreſſus ad Autores ſequiores, Pontificiorum, qui magnum inter aſſerentes numerum conficiunt, ſuffragia e Thoma de Aquino, Scholaſticisque & aliis Doctoribus quamplurimis depromit. E No-
c. IV. ſtratibus Lutherum ipſum, & qui eundem fuerit ſecutus, B. Henricum Müllerum, Profeſſorem olim Roſtochienſem, nominat. Danielem vero Claſenium & Georgium Calixtum his adjungere non ſuſtinet, cum neuter affirmativæ ſententiæ expreſſis adeo verbis ſubſcripſerit.
c. V. Sed Calvinianorum paulo plures huc trahit, Paræum puta, Piſcatorem, Guil. Bucanum, Zachar. Urſinum, Antonium Thyſium, Gisb. Voetium, Sam. Mareſium, atque alios, allatis in medium verbis ſingulorum propriis, quæ & non raro, ad mentem illorum clarius percipiendam, prolixe interpretatur.

Ulterius, quid uniuscujusque Religionis ſocios ad hanc de Chri-
c. VI. ſto cœnato ſententiam amplectendam moverit, diſtincte edocet. Quantum enim ad Pontificios, haud incertis conjecturis aſſequi ſe poſſe dicit, eos in gratiam ſacrificii ſui Miſſatici hæc talia defendere, & exemplo Chriſti comprobare velle morem illum, juxta quem Sacerdotes panem & vinum ſibi ipſis porrigant. Aliam tamen, ab hac ſi diſceſſeris, cauſam præterea ſubeſſe exiſtimat, ut nimirum vulgati ſui Interpretis autoritatem vindicent, qui Luc. XXII, 20. verba illa: *μετὰ τὸ δειπνῆσαι*, per hæc: *poſtquam cœnavit*, transtulit. Hæc igitur cum ſpeciem præ ſe ferant, ac ſi Chriſtus ipſe cœnam proprie & ſtricte adeoque *καθ' ἐξοχὴν* ſic dictam uſurparit, non potuiſſe eos infert, quin de rationibus ſententiam hanc roborantibus ſolicite cogitaverint. Tametſi enim aliqui hæc verba de abſoluta agni Paſchalis comeſtione capiant; eos tamen, qui ita ſentiunt, hiſtoriæ veritati ac ſeriei vim

Digitized by Google

vim manifeſtam facere obſervat, cum illa teſtetur, panem & vinum in eodem epulo ſanctiori fuiſſe conſecrata: ut adeo panem in convivio priori & legali, poculum vero in euchariſtico demum conſecratum eſſe, commentum ſit. Interim nec iſtud negat, quod hoc ipſo velint declarare Pontificii, quanti placita ac monumenta ſanctorum Patrum æſtiment, ea nimirum tradentes, quæ jam ipſorum ævo fuerint recepta, ut hoc deinceps pacto doctrinam noſtram novitatis queant eo confidentius arguere. Quod autem in eam opinionem ſimiliter deſcenderit Lutherus, id forſan adſcribendum eſſe cenſet ejus erga SS. Patres reverentiæ: tametſi vero magis congruum videatur, quod in his Scholaſticos ſeeutus ſit, prout paſſim quoque alibi in ejus ſcriptis Theologiæ ab iis depravatæ veſtigia obſervare adhuc liceat, quæ tamen fraudi eſſe Luthero haud poſſint, cum ſedulo poſtmodum Lectores de falſis eliminandis admonuerit. Quid? quod per hoc placitum Miſſam ſolitariam iverit oppugnatum, oſtendendo, quantum ab inſtituto Chriſti recedant conſecrantes ſeu conficientes Sacrificuli, dum ille panem atque vinum conſecratum equidem acceperit, ſed minime tamen ſolus, verum diſcipulis ſuis pariter edendum ac bibendum dederit. Et eos igitur decere, ut ſolitariam iſtam ſumtionem, mandato & exemplo deſtitutam, iterum aboleant. Piis denique Mülleri manibus eo citius ignoſcendum reputat, quanto minus ipſe illius opinionis autor ſed imitator ſaltem ſit, & eo in loco, ubi iſtam attingat, (in Poſtillis nempe Germanicis, quæ Catena Evangelica appellantur,) pium potius rhetorem quam accuratum diſputatorem agere inſtituerit. Apud Reformatos duplicem memorati hactenus aſſerti uſum ſperari addit, quorum alter inſerviat oppugnandæ Pontificiorum transſubſtantiationi, quando equidem Diſcipulis præſentibus in oculos incurriſſe dicant, Chriſtum edendo panem bibendoque vinum, eundem numero, qui ante fuit, permanſiſſe, nec tantillum fuiſſe in eo immutatum. Quinimo cum nequaquam ſemetipſum, ſed panem duntaxat ac vinum, ex illorum ſententia, ederit & biberit, manifeſto ſatis conſtare, non dari ullam, quam Pontificii urgent, transſubſtantiationem, nec inſuper realem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſymbolis panis & vini præſentiam quærendam; in cujus remotione ſecundum Reformatorum finem heic conſiſtere, Autor concludit.

c. VII.

c. VIII.

Atque his ita deductis, rationes poſtmodum enumerat, quæ

c. IX. pro Christo cœnato in medium afferri consueverunt. *Prima* ex eo decerpitur, quod Christus in ultima cœna, antequam Discipulis calicem propinaverit, eundem sanctificasse & sanctificatum gustasse legatur; cujus probatio Jacobi & Basilii M. autoritate nititur. *Secunda* respicit ad consuetudinem, juxta quam olim paterfamilias, æque in conviviis aliis ac epulo Paschali, panem ita fregerit, ut eo quoque vesceretur ipsemet, calicem dein sic distribuerit, ut ex illo primus ipse prægustaret. *Tertia* ab esu agni Paschalis veteris pacti, qui Christo a nemine abjudicetur, ad esum agni Paschalis novi fœderis argumentatur. *Quarta* ex Baptismi Sacramento, quod Dominus susceperit, sacrosanctæ etiam Eucharistiæ assumtionem probat. *Quinta* hæc est: Christum eo modo accepisse panem & vinum, quo ea Discipulos accipere jusserit. *Sexta*: Paschatos eandem, quam Eucharistiæ, esse significationem; Servatorem igitur, cum Pascha comederit, sacrosanctam quoque Eucharistiam usurpasse. *Septima*: quod Christus post cœnam se non amplius bibiturum de germine vitis dixerit. *Octava* autoritate Pauli in tertium cœlum rapti, & hanc sententiam ibi edocti nititur. *Nona* accersitur a fractione panis, quæ cum actuali manducatione ex usu sermonis antiqui conjuncta fuisse deprehendatur. *Decima* ex eo desumitur, quod Christus dixerit: Hoc est corpus meum, *quod pro vobis frangitur*. Fractione enim mortis corpus Christi ad salutarem animarum fractionem, h. e. cibum, fuisse præparatum, id quod Christus non solum verbis, sed & ipsa actione seu manducatione manifestum reddiderit. *Undecima* provocat ad Apoc. III, 20. ubi Christus ad fideles ingressurus & cum ipsis cœnaturus dicitur. *Duodecima* obtendit, quod Christus Eucharistia uti vel ideo debuerit, ut Sacramentum hoc sanctificaret atque consecraret. *Decima tertia* præsidium quærit in historia Cœnæ apud Lucam cap. XXIV 30. commemoratæ, quam Christus omnino simul cum Discipulis usurparit. *Decima quarta* in Patrum suffragio conquiescit, ac *Decima quinta* deniq; usum & praxin hujus opinionis extollit, quod nimirum ad expugnandam & Missam solitariam & transsubstantiationem, & realem corporis ac sanguinis Dominici in cœna præsentiam vel maxime conducat.

Prius vero quam Autor horum argumentorum nervos incidere aggrediatur, multa illa graviaque momenta edisserit, quæ pro negan-

da

Digitized by Google

da quæſtione valide urgeri poſſunt. Ac *primum* inter ea locum ob- c. X.
tinet Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſilentium, qui tantum abeſt, ut quicquam hac de re conſignarint, ut potius, id quod *ſecundæ* rationis vicem occupat, iſtud modo retulerint, Chriſtum non ſibi ipſi, ſed ſuis Diſcipulis panem atque vinum exhibuiſſe. *Porro*, quæ adverſam par- c. XI.
tem in ſuam rem convertere ſuperius notaverat, verba: *Dico vobis me non bibiturum ex fructu vitis, usque quo regnum Dei venerit*, ex Luc. XXII, 18. in ſubſidium potius contrarium deflectit. Equidem ſeductum a Theod. Beza Buxtorfium aſſeruiſſe dicit, quod in Syriaco textu dictum iſthoc non reperiatur, ſed viciſſim alios conſtanter iſtud ibi legere obſervat, prout & in Græcis codicibus nemo ullam heic lacunam deprehenderit. Hoc autem de πότηριον non euchariſtico & ſacramentali novi fœderis, ſed de legali & paſchali venire intelligendum, & ante S. cœnam dictum fuiſſe, perquam erudite probat. *Quartum* argumentum deſumit a natura alicujus teſtamenti, quæ, ut in uſum teſtatoris illud ſanciatur, non admittat; cum nemo mentis compos & prudens ſemetipſum heredem inſtituere conſueverit, ſed alterum. Inde nec ſecus Autori pronunciandum videtur circa Euchariſtiam, ad quam ipſimet adverſarii vocem Teſtamenti accommodent. Quæ argumenta uti e Scriptura hactenus petita fuerunt, ita & adjunctum habent unum atque alterum, quod Autor a ſana ratione mutuatus eſt. Videlicet (1) Chriſtum uſurpaſſe panem & vi- c. XII.
num in ſacroſanctæ Euchariſtiæ uſum aut conſecratum aut non conſecratum. Si conſecratum, ipſummet ediſſe corpus ſuum, & bibiſſe ſuum ſanguinem, quod conſequens abſurdi nequaquam expers ſit. Si vero non conſecratum, nec eum Euchariſtia uſum fuiſſe firmiter concludit. (2) Cum nihil poſſit eſſe in ſeipſo, nec Chriſtum potuiſſe S. Cœnam capere, cum is ſub utraque ſpecie Sacramenti totus ſit. (3) Nullam apparere cauſam, quare iſti actus ſuſcipi debuerint, quandoquidem fines hujus Sacramenti unionem cum Chriſto, fidei confirmationem, augmentum gratiæ ſanctificantis, remiſſionemque peccatorum, ac beatæ mortis pignus, & arrhabonem reſurrectionis ſtatuere ſoleamus, quorum nihil ad Chriſtum accommodari queat. Ac licet in Baptiſmo quoque effectus non uni ſint, quorum optimus mundi Redemptor haud indigeat, & is nihilominus eundem ſuſceperit; reſpondendum tamen, ipſum illius facti optimum ſe offerre interpre-

tem, dum dixerit: οὕτω πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην, quæ δικαιοσύνη ſub ambitu ſuo τὸ πρέπον perſonæ, & τὸ καθῆκον
c. XIII. muneris complectatur. Et ut ab autoritatibus ſe minime deſtitutum oſtendat, tot celeberrimorum Patrum meminit, qui vel altum de Chriſto cœnato in ſcriptis ſuis foveant ſilentium, vel negativam ſententiam calculo ſuo manifeſte adjuvent. Imo ex ipſis adverſariis, ex parte quidem Reformatorum Jo. Cameronem, ex parte vero Pontificiorum Jeſuitam Bailium ſecum plane ſentientes introducit, & tanto nunc expeditius contrariorum argumentorum cumulum ſubvertit.

c. XVI. Ad rationem namque *primam* reſpondet, ex ſolo calice guſtato nondum probari Euchariſtiæ uſum, cum illa actu hoc non abſolvatur; quinimo ne bibitionis quidem hujus ullum in Scriptura veſtigium occurrere. Ad *ſecundam*: Chriſtum omnes Judæorum ritus, inprimis ſequiorum ætatum, ſuos haud feciſſe. Ad *tertiam*: quod nulla ſit inter antecedens & conſequens connexio, inſuperque, ſi quis forte typum inter agnum Paſchalem V. & N. T. urgeat, ita inverti poſſit argumentum, ut dicamus: Quemadmodum agnus paſchalis veteris pacti ſemetipſum non comedit, ita nec ſemetipſum Chriſtus in noviſſima cœna. Ad *quartam*: Sacramentum Baptiſmi ab Euchariſtia diſtinctum eſſe, & quidem realiter, ac rationem utrobique diverſam occurrere, cum elementum aquæ, utpote Baptiſmi materia, Chriſto fuerit extrinſecum, & ab illius ſubſtantia ſeparatum, adeoque citra abſurdi notam ab eo ſuſcipi potuerit, & reapſe ſuſceptum etiam legatur. Sed
c. XV. longe aliam Euchariſtiæ reſpectu Chriſti eſſe indolem. Ad *quintam*: non eo fine ac modo Chriſtum accepiſſe panem atque vinum, quo illa Diſcipulis accipienda tradiderit; ſed notari ſolum apud Evangeliſtas apprehenſionem & ſumtionem in manus, conſecrandi & a benedictione fractioneque Diſcipulis porrigendi gratia. Ad *ſextam*: quatuor, ſi argumentum exin ſtruatur, terminos vitioſe admodum formari, & in Majori vocem Paſchatos ſenſu Eccleſiaſtico, in Minori contra ſenſu Scripturæ ſumi. Ad *ſeptimam*: ſe modo oſtendiſſe, quomodo hæc verba capienda ſint, ex abundanti tamen explicationem ſuperius allatam heic magis roborat. Ad *octavam*: Paulum ipſum refragari, cum ſe in cœlo tertio ἄρρητα ῥήματα audiviſſe ſcripſerit, & nihil penitus de cœnato Chriſto uſpiam docuerit. Ad *nonam*: fractionem a manducatione utique poſſe ſeparari; id quod e variis Scripturæ locis

decla-

declarat. Ad *decimam:* ideo, quod Chriſtus dixerit: hoc corpus meum eſt, quod *pro vobis* frangitur, non cenſendum, ipſum comediſſe. Ad *undecimam:* a cœna gratioſa & myſtica ad cœnam Sacramentalem non valere conſequentiam, nec probari ab adverſariis, quod iſtam hæc præciſe reſpexerit. Ad *duodecimam*: Sacramenti cujusdam conſecrandi cauſam non videri eſum, ſed ſolam divinam ordinationem ac determinationem a communi & vulgari uſu ad finem ſupernaturalem. Quid? quod per pias preces, devotum contactum, & alio non uno modo pariter conſecrari queat. Ad *decimam tertiam:* quod Chriſtus cum Emauntinis vulgariter ſolum cœnaverit, ab aliis jam pridem fuiſſe demonſtratum. Ad *decimam quartam:* Patrum ſuffragia nec ubivis admittenda, nec in negotio præſenti gaudere robore firmiſſimo; præſertim cum ex allegatis teſtimoniis ea inprimis, quæ Jacobo & Baſilio M. tribuuntur, maximopere vacillent, non ſecus, ac illius Liturgia hujusque Anaphora valde dubiæ autoritatis ſint. Ad *ultimam:* non ea ſemper eſſe amplectenda, quæ quomodocunque ad evertendam ἑτεροδοξίαν faciant, niſi cum Scriptura Sacra probe conveniant. Heic vero illa, quæ nolint adverſarii concedere, firmari amplius oſtendit. c. XVII.

Non ullum enim ex ſententia abs ſe improbata lucrum ad quenquam afferentium redundare docet. Non certe ad *Pontificios*, quorum Miſſa ſolitaria nihilominus invertatur, tametſi Chriſtum in cœna ſacra ediſſe ac bibiſſe admittas; quandoquidem non ſolus ipſe hoc fecerit, ſed ſuis Diſcipulis præſentibus, non otioſis ſpectatoribus, ſed convivis, quibus, ut acciperent, ederent, ac biberent, mandarit. Nec ad *Lutheranos* atque *Reformatos*, qui gladium potius ſubminiſtrent Pontificiis, quo ipſos jugulent, objiciendo, quemadmodum Chriſtus cœnatus fuerit, ſic pari modo cœnare ſuos Miſſifices. Transſubſtantiationis defenſores non multum reformidare iſthanc conſequentiam: Chriſtus in noviſſima Cœna ipſe cœnatus eſt, non ergo datur transſubſtantiatio. Et certiora nobis ac ſolidiora in promtu eſſe, quibus monſtrum hoc feliciter debellare valeamus. Nec ſolide Reformatos ex hoc fundamento impugnare Lutheranos, qui veram, realem, ac ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacroſancta Euchariſtia præſentiam defendunt. Non enim poſſe concedi, quod Chriſtus Euchariſtiam uſurparit, niſi iſta ſimul acceperit, cum ipſe ea c. XVIII.

ſub

ſub pane & vino communicantibus exhibitum iri ſit pollicitus. Ad hæc ſententiam affirmativam multas Reformatorum hypotheſes evertere, v. g. dum doceant, bonum ſignatum in ſacramentali perceptione eſſe Jeſum Chriſtum θεάνθρωπον, quatenus eſt panis vitæ & cibus animarum fidelium. Hanc igitur penitus corruere, aut iſtud abſonum exinde ſequi demonſtrat, quod Chriſtus eo modo in pane & poculo euchariſtico ſeſe ederit, ac biberit; quod anima Chriſti ſeipſo ut cibo & potu animarum indiguerit, & quæ ſunt alia iſtius generis ἀσύστατα.

De cætero, cum *Philippus Johannes Tilemannus*, dictus *Schenck*, Theologus Marpurgenſis, novam plane excogitaverit ſententiam, *quod* nempe *Paſtor S. Cœnam adminiſtrans ac porrigens aliis, non poſſit, juxta Chriſti exemplum, Apoſtolorum, ac veteris Eccleſiæ praxin, ab ejusdem participatione abſtinere;* & ad eam confirmandam plurimas pro Chriſto cœnato rationes ex ſupra memoratis urſerit, quas hactenus non ſolum enumeravit Autor, ſed refutavit etiam cum cæteris; hinc Methodi rationem poſtulare exiſtimat, ut id, cujus gratia placito priori Tilemannus adſtipuletur, penitius examinet. Præcipue autem hoc in ipſo taxat, quod verba illa: τοῦτο ποιεῖτε, ad Miniſtros quoque ſacris illis operantes ita extendat, ut ad exemplum Chriſti ab iis eſum potumque inter adminiſtrandum ſemper requiri arbitretur. Inde hanc ſequelam pluribus impugnat, & quod oblatio, quam vocat Tilemannus, cum communione nec pro neceſſaria nec pro antiquis cognita haberi debeat, oſtendit. Eum in finem rationes ipſius fuſe admodum examinat, diſpicitque, utrum v. g. totus populus lege ac conſuetudine eccleſiaſtica ad percipiendam cœnam obligatus olim fuerit? & an ſequatur hinc, Paſtores cœnam adminiſtrantes una cum cœtu ſemper communicaſſe? Itemque an hujus rei fide non indigna paſſim extent teſtimonia? Utrum oblatio, quæ eſt ſine communione, humanæ mentis inconſtantiæ, Satanæ inſidiis contra Eccleſiam continuis, quotidianoque malorum in deterius ruentium impetui, ac novitatis aviditati imputanda ſit? Utrum ex hac ſit metuendum ſcandalum? & num per eandem unio ac dilectio inter Eccleſiæ miniſtrum atque auditores tollatur? &c. Sat multas enim rationes Tilemannus coacervavit, nimiumque proin excreſceret hæc ipſa relatio, ſi Autorem noſtrum eas reſolvendum preſſiori pede inſequi ſuſciperemus.

c. XIIX—XXII.

Juvat

Juvat potius ſubnectere epicriſin, quam de quæſtione principali in Capite ultimo Autor aperit, ubi eam denuo ſpinoſam atque otioſam nuncupat, ac idcirco eos, qui opinionem de Chriſto cœnato in vulgus diſſeminent, aut citra judiciũ temere defendant, ſeria admonitione in viam revocandos, & ſi corrigi noluerint, condignis pœnis ſubjiciendos eſſe docet. Quamvis enim in primitiva Eccleſia in Patribus ea tolerata fuerit, non tamen hodieq; eam tolerari poſſe admittit, cum pertinacia defenſionis hujuscemodi damna longe plurima minetur, quæ, niſi quis principiis mature obſiſtat, facili dein negotio in nervum erumpant, & vix unquam radicitus iterum extirpentur. c. XXIII.

PRUDENTIÆ CIVILIS RABBINICÆ Specimen,

ſive

R. Iſaaci Abarbanelis Diſſertatio de Principatu Abimelechi Obſervationibus illuſtrata, Autore Jo. Franciſco Buddæo, Gymnaſ. Coburg. P. P.

Jenæ ſumtibus Johannis Bielckii, 1693. in 12.

Conſtat plagul. 14.

CUm multis per vitæ conditionem Hebræorum evolvere ſcripta haud liceat, non male de publico mereri videntur, qui eadem civitate Latina donant, ac notis ſuis illuſtrant. Quorum haud incelebrium Virorum veſtigia ſecuturus Clariſſimus Autor, ex Commentario doctiſſimi Judæorum Abarbanelis in cap. IX. Judicum, quod res geſtas Abimelechi nobis proponit, obſervatu digniſſima excerpere, eaque Latinis verbis exprimere & notis ſuis illuſtrare conſtituit. Ipſe libellus decem abſolvitur capitibus. In quorum I. oſtendit, Abarbanelem contra communem opinionem negare Baal Berith Dei cujusdam aut Numinis proprium fuiſſe nomen, ac ſtatuere, Judæos idolum illud pro internuncio quodam inter ſe ac verum Deum habuiſſe: nec diſplicere adeo ſibi hanc Abarbanelis ſententiam, quo minus autem prorſus eidem ſubſcribat, accentuum prohibere ordinem. Cap. II. ex Abarbanele notat, Abimelechum, quod ex matre minoris dignitatis ſuſce-

ptus eſſet, ſibi obſtaculo fore, quo minus cum reliquis fratribus eodem ſuccedendi jure frui poſſet, credidiſſe; & nullus ambigit, ubi per hæreditatem ad regnum aditus pateat, legitimis æque ac nothis eandem eſſe ſuccedendi facultatem, modo illorum potior habeatur ratio: aſt ubi populi ſuffragiis regia deferatur dignitas, vix eſſe, ut eandem ſibi cum reliquis fortunam polliceantur, quorum hac labe commaculata ſit nativitas. Obſervat item, non ſemel ſpurios illegitimosque magnorum Principum filios diras concitaſſe turbas. Vocem פילגש ſecundum quosdam Judæos notare ait concubinam ſine legitimis ſponſalibus & ſine dotis ſcriptione, juxta alios vero concubinam ductam per legitima ſponſalia absque dotis aſſignatione, horumque ſententiam veritati magis accedere. Cap. III. demonſtrat, ſanguinis propinquitatem rebellioni a Sichemitis prætextam fuiſſe: אנשים ריקים ופחזים juxta Kimchium eſſe ejusmodi inutilia terræ pondera, qui nullã certam ſedem habent, ſed agros ſilvasq; pererrant, ex rapto vivere ſueti: ſceleri exſequendo anſam ſuppeditaſſe conventum congreſſumque ſolennem fratrum, aut juſta parenti perſolventium, aut de futuro rerum ſtatu regnique adminiſtratione, conſilia capientium: imo metu quodam ad iſtam occaſionem accipiendam impelli potuiſſe Abimelechum, non ignarum, aut omnes fratres tollendos, aut nullum: non licere inſontium cæde ſuæ proſpicere ſecuritati: tyrannis nihil uſitatius ſolenniusque eſſe, quam æmulorum exſtirpatione ſuam firmare potentiam. Cap. IV. docet, cæde perpetrata Abimelechum comitia celebraſſe: locum conſecrationis fuiſſe planitiem ſtatuis quibusdam condecoratam: Gothorum Sueorumque Reges antiquitus, in prato quodam Moraengh dicto, regni ſui ſumſiſſe auſpicia: in urbibus celebrioribus Reges & eligi & recepto more conſecrari: vocem regnandi de Abimelecho uſurpatam in lata accipiendam eſſe ſignificatione, cum Saul dignitatem regiam proprie talem in populo Iſraelitico primus obtinuerit: Machiavellum nomine Principis non juſtum pium-que Regem, ſed injuſtum regni alieni invaſorem delineare: ſic & Abarbanelem per שררת ſeu Principatum, quem Abimelecho tribuit, injuſtam violentamque dominationem intelligere: Auguſtum ſub mitiori Principis voce poteſtatem ac autoritatem regiam uſurpaſſe: ante Auguſtum homen illud Principis eidem inſtituto non fuiſſe accommodatum, ſed primum quemque & quandoque præcipuum ſigni-

ſignificare : Regem & Judicem unctione potiſſimum juxta Abarbanelem differre : falli Hobbeſium aſſerentem, a Moſe ad Reges usque ſummam in Gente Iſraelitica poteſtatem fuiſſe penes ſummos Sacerdotes : errare Bertramum ſtatuentem tempore belli Judices autoritate maxime valuiſſe, ſed poſt dimiſſos milites, privatos vixiſſe : antiquiſſimis jam temporibus uſitatum fuiſſe, ut unctione vel unguenti affuſione communi ſorte aliquid eximeretur, & veneratio ac reverentia quædam illi conciliaretur : Saulum inter Reges unguento primum delibutum fuiſſe : vocabulum χρίσαι ſeu ungere, quod LXX Interpretes in translatione verſiculi 6. Cap. IX. Judicum adhibuerunt, generalius accipiendum eſſe, ut idem ſignificet ac conſecrare. Cap. V. declarat, a Jothamo Sichemitas non viros Sichem, ſed בעלי שכם, dominos Sichem eſſe vocatos, ut indicaret eosdem dominium civitatis in familiam Gideonis jam translatum ſibi male arrogaſſe : jura ſubditorum a Thoma Hobbeſio merito coarctata : plerisque non tantum Orientis, ſed totius Orbis populis receptam conſuetudinem, apologis atque involucris artificioſe tegendi veritatem, ſuam feciſſe Jothamum : ab Abarbanele recte notari R. Salom. Jarchi, quod per oleam Athnielem filium Kenas, per ficum Deboram Prophetiſſam, per vitem Gideonem intelligat ; cum ab Athniele pariter ac Debora & Gideone nunquam petierint Iſraelitæ, ut Regni habenas capeſſerent, nec illi unquam delatum ſibi dominium recuſarint, quod tamen parabola innuat, ſed actu Principatum tenuerint in gente Iſraelitica : ipſum autem Abarbanelem cenſere, quod ſcopus Jothami ſit apologo hoc demonſtrare, conveniens eſſe, ut primo quidem regnum aliquod deferatur honoratioribus, & ex illuſtri familia oriundis ; quod ſi vero ex clara ſtirpe nemo reperiatur, cui ſumma rerum committi poſſit, tum demum divitis in electione habendam eſſe rationem ; quod ſi denique nec homo illuſtris familiæ nec dives adſit, dum demum ſuadere rationem, ut eligant hominem, qui gratum ſe acceptumque populo præſtare poſſit, omnesque hilari & benigno recipiat vultu propter egregias virtutes ſuas, ſive etiam quod ipſe hilari indole præditus ſit perque temperamentum ſuum in alios perbenigna. Cap. VI. de characteribus quibus mores affectusque hominum manifeſtantur, diſſerit, & utrum naturæ an vero fortunæ in mutandis hominum moribus major ſit efficacia, diſquirit. Cap. VII. Tyran-

nos, quos Jotham in apologo ſub eleganti ſpinæ imagine repræſentavit, magna Reipubl. damna inferre, omnibus hominibus, maxime virtute, divitiis & autoritate florentibus invidere, atque ſemper ſuſpicaces eſſe declarat. Cap. VIII. de variis modis ad ſummam rerum adſpirandi, affectatione imperii, civilium honorum recuſatione, imperandi moleſtia, & regni abdicatione, diſcurſus haud inutiles movet. Cap. IX. poſtquam ex Abarbanele adduxiſſet, cur oleum Deo hominibusque in pretio eſſe dicatur, item ex eodem olei uſum quadruplicem, in lampadum præparatione, ungendis Sacerdotibus, Regibus & vaſis ſacris obſervaſſet, nec non errores populi Iſraelitici politicos ex illo propoſuiſſet; de mutationibus Rerumpublicarum verba facit, earumque cauſas non ab aſtris aut fato quodam inevitabili aut numeris derivandas, ſed in ipſis hominibus quærendas eſſe oſtendit, & arcanam Numinis diſpenſationem circa easdem merito veneratur. Dein occaſione vaticinii a Jothamo propoſiti, de divinationibus politicis digreſſionem jucundam inſtituit, ac vaticiniis de Rerumpublicarum fatis nec temere credendum, nec facile tamen eadem negligenda eſſe judicat, & ab iisdem magnum Rebuspublicis periculum quandoque imminere probat. Cap. X. Abimelechi tyrannidem, Sichemitarum contra eundem odium ac ſeditionem, Gaalis orationem ad concitandos inconditæ plebis animos compoſitam, illiusque in rebellione partes primas, regionis Sichemiticæ devaſtationem & ſubditorum rebellium cædem, denique Abimelechi temeritatem, impudentiam & αὐθοχειρίαν graphice depingit.

DISPUTATIO THEOLOGICA DE FEſtis diebus in Eccleſiis Reformatis celebrari ſolitis.

Autore Jacobo Koelman.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Antonii Schouten.

A. 1693. in 4.

Conſtat 8. plagul.

Iſtud in præſenti Diſſertatione agendum ſuſcepit Autor, (qui ſe liberalium artium Magiſtrum, ac Philoſophiæ Doctorem, novique Teſtamenti Miniſtrum appellat,) ut Feſta illa omnia, quæcunque præter

ter diem Dominicum in Eccleſiis Reformatis hodieque celebrari ſolent, ſine mora tollenda & abolenda eſſe probet. Quod ipſum ubi p. 3.
oſtendere aggreditur, tres ante omnia ſententias commemorat, in quas Theologi Reformati circa dies feſtos eorumque obſervationem abire deprehendantur. *Primam* facit eorum, qui dies illos tanquam 4. 5.
Eccleſiæ utiles, legitimosque, & divino Numini acceptos retineri poſſe cenſent. *Secundam* ab iis mutuatur, qui hanc Feſtorum inſtitutionem oneroſam & ſimplicitati Evangelicæ parum congruam eſſe 6.
haud eunt quidem inficias, at nihilo ſecius eorum celebrationem qualemqualem nec pro inviſa Deo, nec pro illicita reputant. *Tertiam* 7. 8.
denique a Theologis Scotis & Anglis, qui Non-Conformiſtæ dicti, in Synodo Edenburgi A. 1566 habita mordicus defenſam, & poſt illos a Puritanis & Genevenſibus aliisque toties repetitam fuiſſe refert, ut nempe omnis indictio, impoſitio, & obſervatio feſtorum dierum ſub Novo Teſtamento, tanquam repudianda & illegitima pronuncietur. Atque iſthanc ſolam verbo Dei conformem, & a ſe uberius defendendam eſſe Autor exiſtimat, in formando ſtatu controverſiæ variis 9. 10.
uſus quæſtionibus, quarum ſolutiones eo tendunt, ut in Novo Teſtamento, præter Dominicum, alios quosdam dies feſtos proprie ita dictos, & quotannis ſtato tempore recurrentes dari, aut ab Eccleſia inſtitui poſſe neget; ac viciſſim aſſerat, quod Feſta omnia in Papatu olim ſolenniori cultui deſtinata, initio reformationis plane aboleri debuiſſent, & hodie abolenda ſint, nullusque verbi Miniſter ea de re convictus in conſcientia Eccleſiarum moribus ſe conformare teneatur, ſed ſuos potius auditores de eorum nullitate inſtruere, ac, quantum valet, in ſynodis conventibusque eccleſiaſticis abrogationem promovere debeat: quemadmodum nec membra Eccleſiæ diebus illis feſtis licite poſſint frequentare templa ad conciones audiendas, & ceſſare ab occupationibus ſecularibus. Interim tamen hoc largitur Eccleſiæ, etiam particulari vel nationali, ut Jejunii dies aut Euchariſticos extraordinarios pro re nata indicat, dummodo ad eorum repetitionem fixam atque annuam poſteros haud obliget.

Hæc igitur prolixe confirmare Autor in ſubſequentibus annititur, ſedecim in medium producens argumenta, quæ nos benevoli Lectoris judicio ſummatim exhibebimus. Ac primo quidem ſoli 11.
Deo competere ait poteſtatem feſtos dies anniverſarios inſtituendi;

quod vel exinde ſatis pateat, dum Jerobeamus ob eandem temere ſibi
12. arrogatam 1. Reg. XII. 32. 33 legatur reprehenſus. Docet dein, quod hac ratione ad ſtatuta Dei circa cultum ejus aliquid addatur, lædaturque adeo ipſius interdictum, quo, ut nuspiam hoc fieret, in lege
13. ſua caverit. Cum porro de celebrandis in Novo Teſtamento Feſtis nullum penitus mandatum Scriptura nobis ſuggerat, hinc manifeſtum eſſe vult, quod tale inſtitutum vel maxime pro vetito habendum ſit.
14. Subſtantiam autem mentemque præcepti primi (ſeu, ex diſtinctione Calvinianis uſitata, quam & ipſe ſequitur, ſecundi) hoc ab omnibus exigere, ut ne Deus colatur ullo modo alio, quam quem in verbo ſuo præſcripſerit. Ejusmodi conſtitutionem haud abſimilem videri hypocritarum & Phariſæorum traditionibus, jure a Chriſto repudiatis: e-
16–20. andem multis modis contrariari præcepto de Sabbathi ſanctificatione, dum non ſolum autoritatem Dei legislatoriam imitetur, ſed & inſuper conceſſam in præcepto illo libertatem laborandi ſex diebus diminuat ac tollat, ipſamque Sabbathi ſanctificationem aliquatenus impediat, abſtrahendo homines ab ordinariis negotiis, quorum cumulus deinceps magis aggravatus a præparatione ad Dominicæ diei ſacra rite celebranda eos arceat; prout & illi, qui Feſta diligenter obſervant, negligentius plerumque & contemtim circa diem Dominicam
21. verſari conſueverint. Adhæc præſcriptionem talem cum libertate
22. per Chriſtum nobis parta non conſiſtere, ac repugnare variis Scripturæ dictis, ut puta Rom. XIV, 5. 6. Gal. IV, 10. 11. Col. II, 16, exemplo
23–29 item Apoſtolorum, & ſimplici Eccleſiæ Apoſtolicæ praxi; cum certe ab Eccleſia ad apoſtaſiam contendente vel jam tum apoſtatica hæc primum introducta ſint. Quem in finem, a quo tempore præcipua Feſta ortum ſuum trahant, oſtendit, ac in primitiva Eccleſia Paſchatos & Pentecoſtes Feſtum cum Judæis quidem fatetur adhuc fuiſſe cele-
26–27. bratum, ſed ſaltim ideo, ut Synagoga Judaica cum honore poſſet ſepeliri: eos autem, qui idem adhuc hodie requirant, non immerito Judæis aſſimilari, quin imo parum abeſſe a Gentilibus, cum Feſtum Nativitatis eorum Saturnalia, Feſtumque Circumciſionis Calendas
28–29–30. Januarias apud eos celebrari ſolitas exceperit. Quamobrem primi & optimæ notæ Reformatores Feſta hæc & alia conſilio deliberato rejecerint, Waldenſes nimirum ac Fratres Bohemi, quibus Reformatores Genevenſes, Scotosque & Belgas adjungit, Luthero etiam noſtro votum

votum pro iis abrogandis tribuens : quandoquidem illi probe obſervarint, hanc rem, minime neceſſariam ad religionem & divinum cultum, ſapere nihilominus conformitatem cum Papiſtis idololatris, qui ea ad multiplicem ſuperſtitionem abutantur, & occaſionem pariter Reformatis ad abuſum ſuppeditarint, qui jam tantopere apud eos invaluerit, ut multi feſtis ſaltem diebus ſacra uti Synaxi deſiderent. Unde tanto magis iſtud deplorandum veniat, quod hæc Feſtorum obſervatio ſevere injungatur, & velut neceſſaria obtrudatur, cum tamen tot lites atque perſecutiones in Eccleſia pepererit ; quod non ſolum ex controverſia de Paſchate inter Aſiaticos & Romanos agitata, ſed etiam e variis turbis per introducta Feſta in Belgio commotis probari ac tandem multo cum verborum apparatu queritur, quod ita obdurari & confirmari Pontificios in erroribus, offendi ac vulnerari fideles firmiores, retineri in opinione & praxi ſuperſtitioſa infirmos, aliosque eo allici, & moveri complures ad eam obſervationem, quam conſcientia ipſorum abominetur, ac miris adeo modis ſcandalum ubique præberi videamus. Quæ ſingula pluribus τῶν ὁμοψήφων teſtimoniis dilucidat, removetque deinc objectiones, quas ſuæ ſententiæ imprimis adverſari judicavit.

31–39.

40–41.

42–43.

44–47.

Ita enim v. g. productis ex 1. Cor. V. commatibus 7. & 8. neutiquam Paſchatos anniverſarium Feſtum ſtabiliri, ſed Chriſtianos ſaltem moneri ait, ut vitam agant in puritate & ſinceritate, ſeque illibatos a nequitiæ fermento conſervent. Nec quicquam probare cenſet Judæorum conſuetudinem, juxta quam per annum varios dies feſtos in numerato habuerint, cum Chriſtus ab iſto jugo nosmet liberaverit. Poſſe quidem Eccleſiam prudenter aliquid determinare circa adiaphora, ſed hæc in iſtorum cenſum nequaquam eſſe referenda. Non valere heic vulgatam regulam : tollatur abuſus Feſtorum, uſusque maneat ; cum uſus ab abuſu non poſſit divelli. Nec gratitudinis requirere officium, ut ad hunc modum publica beneficia publice agnoſcantur, & vel ſemel quotannis grandia illa myſteria proponantur populo ; quoniam id per annum integrum præſtare ſemper liceat. Imo nec metuendum, ut Miniſter verbi receptis in his canonibus ſe opponens, tanquam ἄτακτος & ἀυθάδης condemnetur, ſiquidem Eccleſiaſticas τάξεις nemo obſervare neceſſe habeat, niſi fundamentum ſuæ autoritatis ex Scriptura hæ probaverint. Ut ſcrupulos ali-

48.

49.

51.

52.

55.

60.

os nunc taceamus, quos Autor ſimili conatu Lectoribus eximere allaboravit.

Non poſſumus autem, quin ſuperaddamus adhuc corollarium, quo tractationem ſuam integram obſignat, quodque verbis his ab eo conceptum eſt: *Uſus formularum, tum precum, tum adminiſtrationis Baptiſmi, S. Cœnæ, &c. (prout inter Reformatos obtinet & præcipitur,) illicitus, Deoque inviſus eſt, atque animabus Miniſtrorum verbi, & præſertim Eccleſiæ Chriſti adprime noxius.* Videlicet latere heic exiſtimamus mentem non adeo diverſam ab iſta, quam circa materiam Feſtorum abunde hactenus aperuit. Sed ſuper illa re ſocienni, quos offendere videtur, potius cum eo tranſigant.

OPUSCULORUM AD HISTORIAM AC Philologiam ſacram ſpectantium Faſciculus II. & III.

Roterodami apud Petrum van der Slaart, 1693. in 8. Alph. 3.

DE inſtituto Collectoris Opuſculorum horum, quæ quod in officinis librariis dudum diſparuiſſent, denuo typis deſcribi operæ viſum fuit pretium, in Actis A. 1692. pag. 343. diximus. Nihil ergo ſupereſt, quam ut eorum, quæ ſecundo hoc & tertio faſciculo collecta ſiſtuntur, argumenta Benevolo Lectori indicemus. *Faſciculo* nempe *ſecundo* exhibentur: *Johannis Hopkinſoni* Deſcriptio Paradiſi: *Hermanni Conringii* de Nummis Hebræorum, de Republica Hebræorum & de initio anni Sabbathici Tractatus: & *Stanislai Grſepſii* de Siclo & Talento Hebræorum. Faſciculo *tertio* continentur: Diatriba *Johannis Vorſtii* de Adagiis Novi Teſtamenti: *E. Merilli* Notæ Philologicæ in Paſſionem Chriſti: *Wiſſenbachii* Notæ Nomico-Philologicæ in Paſſionem Chriſti: & denique *Joh. Vorſtii* Exercitationum Δεμάτιον, nempe de temporibus, quibus Medi ac Babylonii ab Aſſyriis defecerunt; de 70 annis captivitatis Hebræorum; de tempore, quo templum Hieroſolymitanum inſtauratum fuit; de voce Seſach, quæ Jer. XXV. 26. & LI. 41. legitur; de expugnatione Babylonis a Cyro facta, & de LXX hebdomadibus annorum apud Danielem cap. IX.

DEVI-

DEVISES ET EMBLEMES ANCIENnes & modernes &c.

i. e.

Symbola & Emblemata, antiqua ac recentiora, collecta ſtudio Danielis de la Feuille.

Amſtel. 1692. in 4. Plag. 13. cum tab. æn. 51.

FArraginem hîc habes, Lector Benevole, omnis generis emblematum, figuris æneis non inelegantibus expreſſorum, explicatione non Gallico ſolum, ſed & Latino, Hiſpanico, Italico, Anglico, Belgico & Germanico idiomate, ex adverſo adjuncta. Plura dici non attinet. Selectum enim emblematum cujusque ingenio merito relinquimus.

ERICI MAURITII DISSERTATIONES & Opuſcula de ſelectis Juris publici, feudalis & privati argumentis.

Francofurti ad Mœnum, apud Chriſtoph. Olfen, 1692. in 4.

Conſtant alphab. 7. & plag. 9.

MAgnum inter Jureconſultos Germaniæ nomen eſt *Mauritii* noſtri, qui cum in Academiis celeberrimis, Heidelbergenſi, Tubingenſi & Kilonienſi, Anteceſſoris munere functus ſummo cum decore fuiſſet, anno 1672 inter ſupremi Imperii Romano-Germanici tribunalis, cui Spira Nemetum ſedem illo tempore præbebat, Aſſeſſores allectus, Wetzlariæ, quo auguſtum hoc judicium, poſt Spiram hoſtili furore exciſam, migraverat, pridie Idus Octobris A. 1691. e vivis exceſſit. Hujus Viri ſcripta, maximam partem jam olim diverſis in locis edita, uno nunc volumine complecti, omniumq; uſui exponere voluit vir conſultiſſimus Johannes Nicolaus Hertius, in Academia Haſſo-Gieſſena Anteceſſor amplisſimus; cui quin eo nomine plurimum Respublica literaria debeat, nulli ambigimus. Nos vero nudo nunc opuſculorum recenſu videmur nobis defungi poſſe, quod præter no-

tas in Auguſtiſſimi Imperatoris Capitulationem, & Nomenclatorem Scriptorum Feudalium, quæ nunc demum prodierunt, reliqua omnia dudum publici juris facta fuere. Index ergo Opuſculorum & Diſſertationum, quæ hoc volumine exhibentur, hic eſt: *De Principiis Juris Publici, Germanici inprimis; de Libris Juris communis, horumque uſu; de Imperii Receſſibus; de S. R. Germanici Imperii Matricula; de Origine Electorum & Comitiis Electoralibus; de Nobilitate, inprimis Germanica; Introductio ad Praxin Forenſem, antehac Conſiliis Kilonienſibus præmiſſa; de S. Caſ. Maj. & Imperii Judicio Aulico; de Jure intervention is; de Seculariſatione bonorum eccleſiaſticorum; de Citatione, quam vocant, ad Reaſſumendum; de Judicio Rothvvilenſi; de Poteſtate Principis, Lege Regia & Jurisdictione; Nomenclator Scriptorum Juris Feudalis; Poſitionum Juris Feudalis Decades XVI; Annotationes in Capitulationem Leopoldi Imp. Aug. de Vitæ defenſionis favore; de Duellis; de Denunciatione Sagarum; de Abolitione; de Æſtimatione*; denique *Poſitiones Juris Controverſæ inaugurales.*

INSTITUTIONES JURIS NATURÆ ET GENTIUM, ad Methodum H. Grotii conſcriptæ a Philippo Reinhardo Vitriario, JCto & Antecceſſore.

Lugd. Bat. apud J. Luchtmans 1692. in 8. alph. 1. pl. 15.

HUGO GROTIUS ENUCLEATUS.

Sedini apud J. A. Plenerum, 1693. in 12. plag. 17.

NOn immerito jungimus duos hosce libros, cum uterque Grotiani de Jure Belli & Pacis Operis Compendium exhibeat. Et prior quidem a celeberrimo *Vitriario* in Sereniſſimi Marchionis Brandenburgici Dn. CHRISTIANI LUDOVICI gratiam adornatus, methodo procedit erotematica, & ſubinde ex Illuſtris *Pufendorfii* præclaro de Jure Naturæ & Gentium Opere Grotii dogmata ſupplet aut emendat: poſterior quondam a *Johanne Schefero* in Academia Upſalienſi in uſus Celſiſſimi Comitis Dn. GUSTAVI ADOLPHI DE LA GARDIE concinnatus, & nunc demum a Viro clariſſimo *Dethlevo Marco Frieſen* publici juris factus, ſuccinctis theſibus doctrinam Grotianam complectitur. Plura ut dicamus, neceſſe non eſt, cum argumentum ipſum librorum latere neminem poſſit.

INDEX AUCTORUM

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

AAlſtii *(Iohannis) Annotationes contra Balt. Bekkerum* 313
Aldhelmi *Epiſcopi Scireburnenſis Liber de Virginitate* 289
Allixii *(Petri) Hiſtoria Eccleſiaſtica de priſcis Albigenſium Eccleſiis.* 169
Ariſteæ *Hiſtoria LXX. Interpretum.* 144
Bedæ *(Venerabilis) Opera quædam Theologica nunc primum edita.* 289
Bentley *(Richardi) Refutatio Atheiſmi.* 392
Bocharti *(Samuelis) Opera omnia.* 97
Burſcough *(Roberti) Tractatus de Regimine Eccleſiaſtico.* 156
Chauvin *(Petri) de Naturali Religione Liber.* 499
Edwards *(Johannis) Diſquiſitio de quatuor notabilibus Novi Teſtamenti locis.* 49
Egberti *Archiepiſcopi Eboracenſis Dialogus de Eccleſiaſtica Inſtitutione.* 289
Faes *(Johannis) Chriſtus incœnatus.* 529
Ferrarii *(Bernhardi) de Ritu Sacrarum Eccleſiæ veteris Concionum.* 154
Grævii *(Joh. Georgii) Præfatio in librum Ferrarii de Concionibus veteris Eccleſiæ.* 155
Von der Hardt *(Hermanni) Diſcurſus XII, quibus difficiliora Pentateuchi loca ſunt illuſtrata.* 464
Van Hoeke *(Petri) Commentarius Analyticus in Epiſtolam ad Hebræos.* 413
Koelman *(Jacobi) De feſtis diebus in Eccleſiis Reformatis celebrari ſolitis.* 549

Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii *de Mortibus Persecutorum liber, cum notis variorum.* 124

Meyeri (*Johannis*) *Diatriba de origine & causis Festorum Judaicorum.* 505

Milbourne (*Lucæ*) *Mysteria Religionis vindicata, seu Filiatio, Deitas & Satisfactio Servatoris nostri asserta.* 233

Mori (*Henrici*) *Dissertationes in varios Scripturæ textus.* 429

D' Oropega (*Didaci*) *Confutatio libelli anonymi contra Dn. Archiepiscopum Mechlinensem evulgati.* 130

Otrokocsi (*Francisci Foris*) *Pacis Consilium ad Fratres Protestantes* 456

Pascuccii (*Matthæi*) *Vita S. Venantii Martyris.* 513

Du Pin (*L. Elies*) *Nova Bibliotheca Autorum Ecclesiasticorum.*
Tomus I. 77
Tomus II. 458
Tomus III. 489

Quick (*Johannis*) *Synodicon in Gallia Reformata, seu Acta, Decisiones ac Canones Conciliorum Nationalium Ecclesiarum Reformatarum in Gallia.* 23

Raji (*Johannis*) *Discursus Miscellanei de Dissolutione seu Mutationibus Mundi.* 14

Rappolti (*Friderici*) *Opera Theologica.* 286 (284)

A Schelstrate (*Emanuelis*) *Antiquitatis Ecclesiasticæ illustratæ Tomus I. Chronologicus.* 195

Sherlock (*Wilhelmi*) *Discursus de Judicio extremo.* 264 (262)

Schmidii (*Sebastiani*) *Commentarius super Esaiam, & priora capita IIX. Libri Josuæ.* 492

Simancæ (*Jacobi*) *Episcopi Zamorensis Opera* 165

Simonis (*Richardi*) *Historia Critica præcipuorum Commentatorum in Novum Testamentum.* 107

Van Till (*Salomonis*) *Veterum, inprimis Hebræorum, Poetica & Musica, tam vocalis quam instrumentalis.* 69

Veielii (*Eliæ*) *Historia & necessitas Reformationis Evangelicæ, ex scriptis Dn. Georgii Principis Anhaltini asserta.* 85

Wächtleri (*Christfriedi*) *Epistola de Sabbato* 35
Epistola de Discrimine Ciborum apud Judæos. 519

Van

Digitized by Google

Van der Waeyen *(Johannis) Varia Sacra.* 361

II. Juridici.

Cunæi *(Petri) Responsum in causa postliminii.* 312
Hartung *(Johannis Christophori) Metaphysica Juridica.* 333
Leibnitzii *(Gothofredi Guilielmi) Codex Juris Gentium.* 141. 370
A Limborgh *(Philippi) Historia Inquisitionis Romanæ.* 323
Mauritii *(Erici) Opuscula de selectis Juris Publici, Feudalis & Privati argumentis.* 545
Patru *(Oliverii) Orationes Forenses.* 177
Placcii *(Vincentii) de Jurisconsulto perfecto, sive Interpretatione Legum in genere Liber singularis. Item Musæ Juridicæ.* 380
A Schönberg *(Abrahami) Ordinatio Processus Metallici.* 518
Simancæ *(Jacobi) Opera.* 165
Ziegleri *(Casparis) Commentarius ad Processus Saxonici Ordinationem.* 337
Tractatus de Successione Conjugum, seu Portione superstitis Conjugis statutaria. 339

III. Medici ac Physici.

Barbette *(Pauli) Chirurgia.* 511
Bonanni *(Philippi) Observationes circa Viventia, quæ in non viventibus reperiuntur.* 437
Boyle *(Roberti) Experimenta & Observationes Physicæ.* 181
Capita generalia Historiæ Naturalis 258 (256)
Historia generalis Aeris. 300
Bulstrode *(Whitelocke) Tentamen defendendi Pythagoram quoad doctrinam de Metempsychosi.* 5
De la Charriere *(Josephi) novæ Operationes Chirurgicæ.* 269 (267)
Cole *(Guilielmi) novæ hypotheseos ad explicanda Febrium symptomata excogitata Hypotyposis.* 481
De Coutures *Notæ in Lucretium Gallice redditum.* 356
König *(Emanuelis) Thesaurus Remediorum e triplici Regno.* 271 (269)
A Lanckisch *(Godofredi) Epistola de Partu quodam Cæsareo notabili.* 229
De Lanis *(Francisci Tertii) Magisterii Naturæ & Artis Tomus III.* 145

Leibnitzii *(Godofredi Guilielmi) Protogæa.* 40
Lucretii *Opera Gallice reddita.* 356
Merry *Modus quo peragitur circulatio ſanguinis in fœtu.* 231
Le Mortii *(Jacobi) Idea actionis corporum, motum inteſtinum, præſertim Fermentationem delineans.* 402
Morton *(Richardi) Exercitationes de Morbis univerſalibus acutis.* 150
Muis *(Johannis) Obſervationes in Chirurgiam Pauli Barbette.* 511
Muykens *(Theodori) Collectanea Chymica Leydenſia, Maetſiana, Marggraviana &c.* 113
Nuck *(Antonii) Operationes & Experimenta chirurgica.* 140
Plukenetii *(Leonardi) Phytographiæ Pars III* 311
Raji *(Johannis) Diſcurſus Miſcellanei de Diſſolutione ſeu mutationibus Mundi.* 14
Schelhammeri *(Günth. Chriſtophori) Diſſertatio de genuina Febres curandi Methodo.* 37
A Schönberg *(Abrahami) Informatio ſolida de Re Metallica rectè tractanda.* 516
Sculteti *(Johannis) Armamentarium Chirurgicum.* 510
Solingen *(Cornelii) Manuales Chirurgiæ operationes &c.* 341
Tilingii *(Johannis) Armamentarium Chirurgicum Sculteti.* 510
Verheyen *(Philippi) Corporis humani Anatomia.* 433

IV. Mathematici.

Anonymi *Neptunus Gallicus, ſeu Atlas novus mapparum nauticarum.* 478
Bernoullii *(Jacobi) Curvæ Diacauſticæ, earum Relatio ad Evolutas &c.* 244
Solutio Problematis Fraterni. 257 (255)
Bernoullii *(Johannis) Solutio problematis Carteſio quondam propoſiti.* 234
Campani *(Matthæi) Nova Experimenta Phyſico-Mechanica.* 186
Caſſini *(Joh. Dominici) de Solaribus Hypotheſibus & Refractionibus Epiſtolæ III.* 184
Theoria Cometæ A. 1664 185

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio Conjunctionis cujuſdam Satellitum Saturni cum ſtella quadam fixa. 407
G. C. Eimmarti *Eclipſis Solis die 23. Jun. 1693 obſervata.* 447
Halley(*Edmundi*) *Diſſ. Aſtron. de viſibili conjunctione inferiorum Planetarum cum Jove.* 59
Dn. Marchionis Hoſpitalii *Solutio Problematis a Joh. Bernoullio propoſiti.* 398
Chriſtiani Hugenii *Zeelemii Toparchæ de Problemate Bernoulliano.* 475
Leibnitzii (*Gothofredi Guilielmi*) *Additio ad Solutionem Ænigmatis Florentini.* 42
Supplementum Geometriæ Practicæ, ſeu Methodus generaliſſima per ſeries infinitas. 178
De Problemate Bernoulliano. 313
Supplementum Geometriæ Dimenſoriæ, ſeu generaliſſima omnium Tetragoniſmorum effectio per motum: tum multiplex conſtructio Lineæ ex data Tangentium conditione. 385 477. 527
Luyts (*Johannis*) *Introductio ad Geographiam.* 213
De Mezzavachis (*Flaminii*) *Libellus de Terræ Motu.* 184
Molineuſii (*Wilhelmi*) *Dioptrica nova.* 1
Montanarii (*Geminiani*) *Diſſertatio de Cometa A. 1664.* 185
Putei (*Andreæ*) *Perſpectiva Pictorum & Architectorum.* 498
Roberti (*Gaudentii*) *Miſcellanea Italica Phyſico-Mathematica.* 184
Torricelli (*Evangeliſtæ*) *de Sphæra & Solidis ſphæralibus Libri II.* 184
Weigelii (*Erhardi*) *Philoſophia Mathematica.* 216

V. Hiſtorici, Geographici, Genealogici.

Anonymi Hiſtoria Principum Arauſionenſium e Domo Naſſovica. 43
Anonymi Hiſtoria Wilhelmi III. Magnæ Britanniæ Regis. 44
Anonymi Itinerarium Gallicum & Italicum. 353
Actoni (*Wilhelmi*) *Itinerarium Italicum.* 356
Ammiani *Marcellini Rerum geſtarum libri XVIII.* 241

Ari-

AUTORUM.

Ariſteæ *Hiſtoria LXX. Interpretum.* 144
Bailleti *Vita Carteſii in compendium redacta.* 130
Bauldri (*Pauli*) *Lactantius de Mortibus Perſecutorum.* 124
Becmanni (*Joh. Chriſtophori*) *Commentarius de Equeſtri Johannitico Ordine.* 521
Chevalier (*Nicolai*) *Hiſtoria Wilhelmi III. R. M. Brit. numiſmatibus illuſtrata.* 93
De la Croix *Geographia Univerſalis.* 114
Dodwelli (*Henrici*) *Prælectiones Academicæ in Schola Hiſtorices Camdeniana.* 158
Gibſoni (*Edmundi*) *Chronicon Saxonicum.* 186
De la Houſſaie (*Ameloti*) *Notæ Hiſtoricæ & Politicæ in Tacitum.* 360
Imhofii (*Jacobi Wilhelmi*) *Notitia S. R. Germanici Imperii Procerum* 260. (258)
L. Cæc. Firmiani Lactantii *liber de Mortibus Perſecutorum, cum variorum notis.* 124
A Limborg (*Philippi*) *Hiſtoria Inquiſitionis.* 323
Luyts (*Johannis*) *Introductio ad Geographiam novam & veterem.* 213
Ludolphi (*Jobi*) *Appendix ad Hiſtoriam Æthiopicam.* 280
Mandoſii (*Proſperi*) *Bibliothecæ Romanæ Volumen II.* 307
Ottonis (*Jacobi*) *Inſtitutiones Rerum Germanicarum Nov-antiquarum Beati Rhenani illuſtratæ.* 357
Rhenani (*Beati*) *Inſtitutiones Rerum Germanicarum Nov-antiquarum.* 357
Rubei (*Octavii*) *Memoriæ Brixienſes.* 209
Rycalti (*Pauli*) *Hiſtoria ſtatus præſentis Eccleſiæ Græcæ & Armenicæ* 6
Schaten (*Nicolai*) *Annales Paderbornenſes.* 507
A Schelſtrate (*Emanuelis*) *Opus Chronologicum.* 195
Tacitus *cum notis Ameloti de la Houſſaie.* 360
Temple *Commentarii de his, quæ acta ſunt ab A. 1672. usque ad pacem A. 1679. ſancitam.* 32
Tenzelii (*Polycarpi*) *ſelecta Numiſmata.* 103
Tillemontii *Hiſtoria Romanorum Imperatorum.* 188
De Wilde (*Jacobi*) *ſelecta Numiſmata antiqua.* 122

VI. Mi-

VI. Miscellanei.

Anonymi Sylloge Carminum selectissimorum a Poetis Gallis conditorum, cum vitæ eorundem Historia. 105
Anacreontis *Opera, cum versione Gallica & notis Dn. de Longepierre.* 13
Begeri (*Laurentii*) *Spicilegium Antiquitatis, sive variarum ex Antiquitate elegantiarum fasciculi V.* 119
Buddæi (*Joh. Francisci*) *Schediasma de origine Cardinalitiæ dignitatis.* 205
Prudentia Civilis Rabbinica specimen. 537
Burnetii (*Thomæ*) *Archæologiæ Philosophicæ.* 272 (270) 291
Cellarii (*Christophori*) *Notæ in Plinii Epistolas & Panegyricum.* 162
Notæ in Petri Cunæi Orationes & opuscula alia. 312
M. T. Ciceronis *Opera ex recensione Jac. Gronovii.* 136
Jo. Cinelli *Calvoli Bibliotheca volans.* 235
Cunæi (*Petri*) *Orationes & opuscula Latina alia, cum notis Christoph. Cellarii.* 312
Erasmi (*Desiderii*) *Colloquia cum notis P. Rabi.* 526
Ernesti (*Jac. Danielis*) *Apanthismata, sive selectiores flores &c.* 259 (257)
De la Feuille (*Danielis*) *Symbola & Emblemata, antiqua & recentiora.* 545
Frencelii (*Abrahami*) *Origines Linguæ Sorabicæ.* 304
Garuffii (*Josephi Malatestæ*) *Lucerna Lapidaria.* 346
Gronovii (*Jacobi*) *Opera M. T. Ciceronis.* 136
Ammianus Marcellinus. 241
Hartung (*Joh. Christoph.*) *Metaphysica Juridica.* 333
Hilleri (*Matthæi*) *de Arcanis Kethib & Keri libri II.* 425
Lehmanni (*Georgii*) *Nihil, Aliquid, & Omnia Theologorum.* 345
Leibnitii (*Godofredi Guilielmi*) *Codex Juris Gentium Diplomaticus.* 370
Longapetræi *Notæ in Anacreontis opera, cum versione eorum Gallica.* 13
Menagii (*Ægidii*) *Miscellanea.* 167
Morhofii (*Danielis Georgii*) *Collegium Epistolicum.* 164

Morhofii (*Danielis Georgii*) *Commentatio de Disciplina Argutiarum.* 399
Omeisii (*Magni Danielis*) *Ethica Pythagorica.* 452
Patru (*Oliverii*) *Opera varia.* 177
Titi Petronii *Arbitri Satyricon.* 89
C. Plinii *Cecilii Secundi Epistolæ & Panegyricus, ex recensione Christophori Cellarii.* 162
Rabi (*Petri*) *Græcæ, Latinæ & Belgicæ Amœnitates.* 364
Notæ in Colloquia Erasmi. 526
Rubei (*Octavii*) *Memoriæ Brixienses. Opus Historicum & Symbolicum.* 209
Sapphus *Opera cum versione Gallica & notis Longepetrai.* 13
Schefferi (*Job.*) *Hugo Grotius enucleatus.* 546
Tenzelii (*Polycarpi*) *Selecta Numismata.* 193
Thomasii (*Christiani*) *Historia Sapientiæ & Stultitiæ.* 358
(*Jacobi*) *Dissertationes LXIII. varii argumenti.* 427
Van Till (*Salomonis*) *Veterum, inprimis vero Ebræorum, Poetice & Musica.* 69
Variorum *Opuscula Philologica.* 544
Vitriarii (*Phil. Reinhardi*) *Institutiones Juris Naturæ & Gentium.* 546
Wagenseilii (*Job. Christoph.*) *Dissertatio Epistolica ad Jo. Fechtium.* 222
Weigelii (*Erhardi*) *Philosophia Mathematica, Theologia naturalis, Artis inveniendi prima stamina.* 216
Weisii (*Christiani*) *Orator parrhesia & civilitate se commendans.* 87
VVerenfelsii (*Samuelis*) *Dissertatio de Logomachiis Eruditorum.* 53
De VVilde (*Jacobi*) *Selecta Numismata antiqua.* 122
VVormii (*Christiani*) *De corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem vestigiis.* 443

(o)

IN-

INDEX RERUM NOTABILIORUM in hoc volumine obviarum.

ABbuiſſac *Saracenorum Princeps.* 374
Abgari *Regis Edeſſeni epiſtola ad Chriſtum ſitne genuina?* 82
Abelardi (*Petri*) *Vita.* 359
Abimelechi *Hiſtoria illuſtrata.* 537 ſqq.
Ablancurtius *notatus.* 361
Abſolomi *capilli* 101
Academiæ *Florentinæ.* 238
In Achanis *delicto non ab omni culpa alieni fuerunt Iſraelitæ reliqui* 497
Acida *ſalia quænam?* 405
Acidulæ *artificiales.* 182
Ackhiſar, *Thyatyra vetus.* 8
Ab acore *quomodo liquores fermentescentes præſerventur?* 406
cereviſiam præſervans pulvis. 406
Acta *Diurna urbis Romæ.* 161
S. Euſtachii ſpuria. 191
S. Pontii Martyris num genuina? 199
Actionis *cura Oratori habenda.* 88
Actio *corporum quid?* 403
Actionis *corporum differentia & principium.* 403. 405
Adamantes *hodierni non tanta ſunt duritie, quanta veteres.* 181
plerique vix triplo ſpecie graviores aqua 181
plerumque, quoad figuram, ſex planis comprehenduntur. 181
ut facile diſcindi poſſint. 182
alii rubro, alii aureo colore. 182
Martialibus particulis referti. 182
Adoptiones *Romanorum Imperatorum.* 160
Adriæ, *regni novi inſtitutio.* 374
Advocatus *neq; in bona cauſa fallaciis uti debet.* 338
Ægyptii *Moſen coluerunt.* 103
in quibus ſcientiis excelluerint? 275
Ægyptiorum *hieroglyphica inexplicabilia.* 275
ritus num Ebræi in ſacra ſua transumpſerint? 362. 445
In Ægyptum *olim cur profecti Græci?* 446
Ælius *Spartianus quorum Imperatorum vitas compoſuerit?* 159
Æneæ *adventus in Italiam.* 102
Ænigmatis *Florentini ſoluti correctio.* 42
Æquinoctium *perenne ante diluvium.* 293
Aer *quid conferat ad fermentationem?* 406
Aeris *Operationes diverſæ unde?* 404
natura quomodo indaganda? 300. ſqq.
particulæ trium generum. 302

ſal quale? 302
elaſtici productio vel extricatio. 302
In Aerem *ex corporibus cœleſtibus ſpiritus influit, plantis & animalibus vitam impertiens.* 5
Æræ *vulgaris in anno nativitatis Chriſti error.* 195. ſq.
Æſtimationis *natura.* 220
Æther *ſpirituoſiſſimum mundi ſal.* 402
num humiditati obnoxius? 302
Æthiopica *Hiſtoria.* 280
Affectus *omnes num tollendi?* 454
ſoporoſus quando lethalis? 510
Affectuum *prædominantium index mirandus.* 354
regendorum ars. 455
Agobardus *Romæ damnatus, Lugduni in Galliâ pro ſancto cultus.* 170
Ala *templi Hieroſ. quænam, in qua Chriſtus a Dæmone collocatus?* 466
Albigenſes *Waldenſibus antiquiores.* 172. 324
in Hiſpania. 176
Albigenſium *hiſtoria & vindiciæ.* 169
antiqui doctores orthodoxi. 169. ſq.
a Manichæiſmo abſolutio. 169. ſq.
eccleſiæ a Romana independentes. 171
cauſa quantas calamitates ſuſtinuerit Raimundus Toloſatum Comes. 175
olim duo genera. 324
Albis *equis præcedere, proverbium unde?* 212
Alchymiſticis *metaphoris involuta Theologia.* 345
Albizii (*Antonii*) *ad veritatem Evangelicam converſio & elogium.* 86
Alcalium *volatilium & fixorum ſalium differentia.* 404. 405
Alcorani *editiones promiſſæ.* 100
codex Maſorethicis notis inſtructus. 101
S. Alexander *quando martyrium paſſus?* 198
Alexander III. *num Fridericum Barbaroſſam pedibus conculcarit?* 509
Alexander (*Natalis*) *notatus.* 197
Alexandri VII. *Pontificis decreta varia.* 165
Alexandri (*Natalis*) *Hiſtoria Eccl. ſeculæ XV. & XVI. damnata.* 167
Allium *remedium adverſus ſingultum.* 150
Alphabetum *univerſale a Jobo Ludolfo promiſſum.* 286. (284).
Altare *ſuffitus ubi?* 419
Amalec *non regis cujusdam, ſed gentis nomen.* 103
Ambroſius *num autor libri de ſacramentis?* 461
Ammiani *Marcellini elogium & variæ editiones.* 241. ſqq.
Amor *Dei qualis ad pœnitentiam requiratur?* 132. ſqq.
qualis debeatur proximo? 431
Amoris *erga Deum & proximum regula.* 504
De Amphilochii *ſcriptis judicium.* 461

Ad Amuleta *num Judæi sanguine Christianorum utantur?* 226
Amyraldus *(Moses) refutatus.* 100
Anacletus & *Cletus diversi Pontifices.* 198
Anastasius *Bibliothecarius num Libri Pontificalis autor?* 203
Anastomoses *sanguiferorum vasorum in fœtu.* 231
Anatomia *cur a partibus similaribus incipienda?* 433
Angeli *num cogitationes hominum cognoscant?* 320
num tenuibus corporibus gaudeant? 321
legis vindices. 415
Angelorum *in corpora operationes assertæ.* 316.320
scientia qualis? 319
non servi, sed conservi sunt fideles Novi Testamenti. 415
cultus origo. 428
Anglo-Saxonum *cum Britannis bella.* 187
De Animalium *ortu sententia Lucretii confutata.* 396
Animæ *existentia probata.* 394
immortalitas asserta. 317
in corpus quales operationes? 321
Animarum *post mortem status.* 84. 266. (264) 359. 463
Juxta Anni *tempora diversa, diversæ febrium species unde?* 484. sq.
Anni *Romani veteris ratio.* 161
Annuli *ex auro & argento conflati & in aquam fortem conjecti singulare phænomenon.* 149
Annus *Nativitatis Dominicæ genuinus.* 195. sq.
Per Anti-Christum *num Caligula aut Simon Magus intellectus?* 102
Antimonii *Mercurius.* 147. 183
Antimonium *diaphoreticum præstans febrifugum.* 153
Antipathiæ & *Sympathiæ motus.* 147
Antiochi *cognomen a Romanis susceptum.* 515
Antiochus, *sub quo S. Venantius passus est, quis fuerit?* 515
Antonii Güntheri, *Comitis Schwartzburgici elogium.* 193
S. Antonius *num autor Sermonum, qui illi tribui solent?* 460
Ἀποκατάστασις *quid Petro Act. III. 21.* 291
De Apollinario *judicium.* 461
Apollonii *Tyanæi vita.* 189
Apostolicæ *Constitutiones fictæ.* 82
Apostolicorum *hæresis.* 326
Apostolicum *Symbolum num ab Apostolis ipsis compositum?* 82
Apostolorum *Liturgiæ pseudepigraphæ.* 82
praxis non semper infert præceptum. 421
Apotheosis *Christi a Tiberio tentata.* 197
Ἄφεσις *peccatorum quo sensu locum habuerit in V. T.* 419
Aqua *spiritualis in deserto.* 472

quomodo faciat ad fermentationem? 406
lapillum, qui oculus mundi vocatur, diaphanum reddit. 182
deſtillata quantum ſalis armoniaci ſolvat? 183
num omnium rerum principium? 276.ſq.
Aqua *pulli in cholera copioſe uniceque bibenda.* 153
Aquæ *num aliquando terram inundatura?* 16
affluxus in littore Sumatræ inuſitatus. 184
In Aquam fortem *conjecti annuli ex auro & argento conflati ſingulare phænomenon.* 149
Aquam *quæ particulæ conſtituant?* 402
Aquarum *collectio quomodo facta a Deo?* 22
De Aquis *ſupracæleſtibus ſententia Burnetii.* 295
Arabum *Philoſophia.* 274
Aranea *magna ex aure militis cujusdam exempta.* 342
Arauſionenſium *Principum Hiſtoria.* 43
Arbitrium *hominis liberum quale?* 502
Arborum *in Jamaica ingens magnitudo.* 184
Arcani *diſciplina inculcata.* 199.ſeq.
Archæologiæ *Philoſophicæ Burnetii.* 272 (270)
Archilogiſtica *quid?* 221
Archimetria *quid?* 221
Architectorum *Perſpectiva.* 498
Argutiarum *diſciplina.* 399.401
Ariminenſia *antiqua monumenta illuſtrata.* 347
Ariſtoteles *explicatus.* 401
Ariſtotelis *Phyſiologia exploſa.* 279
Arithmetica *quid tractet?* 221
Armenica *Eccleſia qualis hodie?* 6
Nicæni concilii decreta probat 12
Eutychianiſmi male accuſatur. 13
a confeſſione fidei, qualem Nointelius commentus eſt, aliena. 13
Armenis *lepus horrori* 12
Arnſtadienſe *nummophylacium.* 193
Artemiſiæ *numiſma.* 194
Arteria *temporalis in cephalalgia non eodem ſemper effectu incidituir.* 511
Arteriarum *carotidum exortus verus.* 436
Aſinini *capitis cultus unde Chriſtianis & Judæis objectus?* 228.446
Aſſimilationis *motus.* 145.146
Aſteriſmi *ex inſignibus Principum Europæorum formati.* 221
Aſtrologiæ *vanitas.* 395
In Aſtronomia *inſignem uſum præſtant conjunctiones planetarum cum fixis.* 408. 412
Aſtronomis *num dioptræ teleſcopicæ adhibendæ?* 3
Aſtrorum *in hæc inferiora influxus.* 303
De Athanaſio *judicium.* 419
Atheorum *confutatio.* 392.ſqq. 265 (263) 500
ſtul-

Digitized by Google

ſtultitia. 393
Atho *in monte viginti cœnobia.* 9
Atlas *novus mapparũ nauticarum.* 478
Atomorum *concurſu fortuito num homines producti?* 396
Atrophia *ex cranio diffracto.* 182
Attractio *electrica.* 147
Attritio *ex metu gehennæ num ad pœnitentiam ſufficiat?* 132.166.167
In Avem *deſinentes Sirenes.* 213
Auguſtæ *Hiſtoriæ Scriptores.* 159
Ex Aure *militis cujusdam quomodo exempta aranea?* 342
Aurei Velleris *Ordo Equeſtris.* 261 (259)
Per Aures *effluxus quandoque menſium* 511
Auris *ſarcoma amputatum.* 511
Auri *tinctura.* 183
calx ſingularis. 183
Ex Auro *& argento conflati annuli in aquam fortem conjecti phænomenon.* 149
Cum Auro *incaleſcens Mercurius.* 183
Aurum *ſolvens ſpiritus.* 182
Azazel *Levit. XVI. quid?* 361.ſqq.

B.

Baal Berith *num Numinis cujusdam nomen proprium?* 537
Babelis *ortus & prima fata.* 468
Baccalaureos *creandi vetuſtus ritus.* 429
Bacchanaliorum *laſcivia a Senatu Romano coercita.* 138
ludi ſcenici gemma expreſſi. 120
Baco *(Rogerus) opticorum vitrorum autor.* 3
Bajulivatus *Ordinis Johannitici per Marchiam Brandenburgicam.* 524
Balneum *emolliens in contracta manu proficuum.* 512
Balſamicæ *vernicis deſcriptio.* 403
Balſamici *ſpiritus deſcriptio.* 403
Baluzii *(Stephani) elogium.* 125
Baptiſmi *veſtigia apud Gentiles.* 503
Johannis & Chriſti differentia. 417
Baptiſmo *ſacrilego num præceptũ Chriſti impleatur?* 134
Ad Baptiſmum *apud Georgianos nonniſi octennes admittuntur.* 9
Baptiſmus *duplex Conſtantini M. explosus.* 459
Baptizandi *Judæos, Mahumedanos &c. formulæ Reformatis in Gallia uſitatæ.* 31
Baptizati ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *quinam?* 52. 102
Barbarica *Philoſophia a Noacho derivata.* 280
Barnabæ *epiſtola num genuina?* 82
Baronius *notatus.* 197. 198.199.201.126.
Baroſcopium *ſtaticum.* 303
De Baſilio M. *judicium.* 462
Batavorum *Societas Indica Chriſtianæ religionis propagandæ ſtudioſa.* 279(281)
Beckerus *(Balthaſar) refutatus.* 313.ſqq.
Bedæ *Venerabilis operum variæ editiones.* 289
Beguinorum *ſecta.* 326
Bellimarinus *Rex Maurorum.* 374

Beren-

Berengarius *hæreticus a Berengario Abelardi discipulo diversus.* 359
Bernoullianum *problema.* 235
solutum. 255. 398. 475
Bertramus *notatus.* 539
De Bibliorum *versione septuaginta virali veterum testimonia.* 144
Bibliotheca *autorum ecclesiasticorum.* 458
Slavica. 304
Bitumen *Sodomiticum, condimentum sacrificiorum.* 474
Bocharti (*Samuelis*) *elogium & vita.* 97 98. 104
Boves *in fœderibus mactandi mos.* 210
Boyle (*Roberti*) *institutum contra Atheismum & Deismum.* 392
Brachmanum *de creatione & interitu universi dogma.* 300
In Brandenburgica *Marchia Bajulivatus Ordinis Johannitici.* 524
Britannorum *cum Anglo-Saxonibus bella.* 187
Brixiæ *natales & antiquitates.* 209
Brixienſia *marmora.* 209
Brocardi (*Jacobi*) *Commentarius in Geneſin damnatus.* 30
Per Bronchocelem *apertam effluxus menſium.* 511
Bronchoceles *materia diverſa.* 511
Bruſſii (*Petri*) *dogmata.* 172
Bruta *num ſentiant?* 394
Burggraviatus *Noribergenſis.* 118

C.

De Cabala *Judaica judicium Burnetii.* 274
Cæſari (*C. Julio*) *aſſerti libri de Bello Gallico & Civili.* 104
Cæſarea *ſectio, fœtu mortuo, & matre ſuperſtite, feliciter celebrata.* 229
num in iis adminiſtranda, quibus uteri vagina angustata, internumve os cartilaginoſum? 343
Ad Cæſarium *monachum epiſtola num Chryſoſtomi?* 490
Cæſarius *num autor quatuor dialogorum?* 462
Cahier (*Petrus*) *aſſertor publicorum lupanarium.* 31
Caligula *num Anti-Chriſtus?* 102
Calculi *maximi quomodo e veſica eximi queant?* 343
differentialis Leibnitiani præſtantia. 476
Calculus *ex anteriori penis parte exciſus.* 511
Calor *quomodo producatur?* 405
ad fermentationem quid faciat? 406
febrim conſtituit. 38
Calx *auri ſingularis.* 183
Camertium *divus tutelaris S. Venantius.* 513. ſeq.
Campanarum *ſub Turcico Imperio uſus rarus.* 12
Cancri *exſtirpatio.* 269
Canon *Judæorum & veterum Chriſtianorum.* 81
Canonizatio *Sanctorum apud Græcos rara.* 9

Ex

Ex Capillo *humano serpentes num producantur?* 149
Vide Coma.
Capite *aperto alibi, alibi operto peracta sacra.* 52
Capitis *vulneri superveniens affectus soporosus lethalis.* 510
vulnus inveteratum in cerebri ventriculum sinistrum penetrans. 510
Carnibus *cur abstinuerit Pythagoras?* 6, 520
Carotidum *arteriarum exortus verus.* 436
Cardinalitiæ *dignitatis origo.* 205
Cardinalium *munus & prærogativa.* 206
Carmen *elegans Nicolai Fouqueti.* 365
aureum Pythagoræ illustratum. 455
Cartesianorum *Ovalium constructio problematis generalioris casus tantum simplicior.* 248
Philosophia num a logomachiis vacua? 55
Cartesii *lineæ mechanicæ in geometriam recipiendæ.* 386. 477
vita. 130
problematis solutio. 234
Cartesio *male attributi Balth. Beckeri errores.* 314. sqq.
Cartesius *notatus.* 396. 217.
Caruncula *meatus urinarii quomodo absumenda?* 343
Cassiodorus *emendatus.* 199
Castratio *testiculi quando locum habeat?* 268
Casus *& fortuna quid?* 306
Catalogi *antiqui Romanorum Pontificum.* 202
Catastrophe *finalis mundi probata.* 15
Categoricus *index inveniendis argutiis subsidium.* 401
Catenæ *Græcorum Patrum in Novum Testamentum.* 108, 110
S. Catharinæ *legenda.* 428
Caustica *infinitarum curvarum caustica est.* 247
Celeritas *navis ad quam non, cæteris paribus, est in ratione subduplicata subtensæ veli.* 251
quo casu sit subtrigecupla velocitatis ipsius venti? 252
Cellæ *veterum sacræ.* 161
Centrum *mundi num terra?* 294
In Cephalalgia *non pari semper effectu arteria temporalis inciditur.* 511
In Cerebri *cortice qua ratione laxari queant radices nervorum?* 483
ventriculum sinistrum penetrans vulnus capitis inveteratum. 510
Cerebrum *& systema nervosum sedes febrium intermittentium.* 482
in plenilunio intumescens. 182
Cerevisiæ *fæces nec acidæ, nec alcalinæ.* 405
ab aciditate præservandæ remedium. 406
Chæremon *apud Strabonem quis?* 520
Chaldæorum *Philosophia.* 273. sq.

Chamæmeli *flores, insigne febrifugũ.* 153
Chami *delictum & pœna.* 468
Chaos *quid fuerit?* .22
Ethnicis omnibus agnitum. 291
Charta *oleo vitrioli imbuta & exsiccata insigniter adstringit.* 343
Chii *a Cretensibus orti.* 119
Chiliasmo *Patrum plerique addicti fuerunt.* 84
China Chinæ *qua ratione febribus medeatur?* 152
adversus febres remedium tutissimum. 153. 487
ipsum succum nerveum afficit. 488
quomodo in febribus intermittentibus exhibenda? 488.seq.
affectibus chronicis plerisque cum intermissione affligentibus medetur. 489
Chinæ Chinæ *exhibitioni præmittenda evacuantia.* 488
effectus & textura. 487
Chirurgi *requisita.* 341
In Cholera *aqua pulli adhibenda* 153
Chowagia *honoris apud Armenios nomen.* 283(281)
Christi *vitæ chronotaxis.* 195
annus nativitatis. 195
annus passionis. 197. sq.
apotheosis a Tiberio tentata. 197
Divinitas asserta. 233
incarnatio necessaria fuit. 233
futurum judicium. 268(266)
Christiana *religio per vim non propaganda.* 323
vel maxime rationi & naturæ congrua. 503
Christianæ *fœminæ Muhammedanis nubere a Turcis prohibentur.* 11
Christiani *Judæorum nomine, & vice versa, a gentilibus appellati.* 228
Christianis *unde capitis asinini cultus objectus?* 228
Christianorum *Orientalium notabilis superstitio.* 11
persecutiones. 189
sanguine num Judæi mysteria peragant? 225.228
Christus *quare Nazarenus fuerit dictus?* 49
in templi pinnaculum deportatus. 101
num Chrestus per contumeliam a gentilibus dictus? 444
num Eucharistiam a se institutam ipse una cum discipulis usurpaverit? 529
Chronicis *plerisque morbis medetur Cortex Peruvianus.* 489
Chronicon *Saxonicum a Gibsone editum.* 186
Chronologia *vitæ Trajani Imperatoris* 159
Christi. 195
Romanorum Pontificum. 198
Chronologicum *opus Emanuelis a Schelstrate.* 195. sqq.

Chry-

Chryſoſtomi *quæ ſcripta genuina?* 490
Chryſoſtomus *quid per duo πρόσωπα in Chriſto intellexerit?* 107
Chymicorum *ſalium diverſitas unde dependeat?* 402
Ciborum *apud Judæos differentia.* 519
Ciceronis *operum variæ editiones.* 137
Circulatio *ſanguinis in fœtu.* 231
Ciza *num Epiſcopali ſede exciderit?* 215
Clamoris *Iſraelitarum concurſus qualis ad dejectionem murorum Jerichuntos?* 497
Clemens *IV. Romæ Epiſcopus.* 198
Clementis *Romani opera quanam genuina?* 83. 107
X. decreta varia. 166
Clericorum *in Gallia Synodi.* 177
degradationis ritus. 333
Clerus *Gallicus ad decimas Regi obſtringitur.* 177
Cletus *Pontifex ab Anacleto diverſus.* 198
Cluverius *notatus.* 429
Coagulationis *motus* 147
Cochleæ *carent oculis.* 442
Codex *Juris Gentium Leibnitianus.* 141. ſqq.
Cœleſtia *corpora num igne quoque in die extremo corripienda?* 18
Cœleſtium *corporum influxus in inferiora,* 5
Cœlibatus *Sacerdotum a Paphnutio prohibitus.* 463
S. Cœnæ *veſtigia apud gentiles.* 503
Vide Euchariſtia.
Cogitationes *hominum num ab Angelis cognoſcantur?* 320
Columna *nubis & ignis Exod. XIII. quid?* 470
Columnarum *perſpectiva.* 499
Coma *promiſſior multis Gentibus improbata.* 51
virorum quo ſenſu dicatur adverſari naturæ? 51
Commentarii *variorum in Novum Teſtamentum.* 107. 112
Commentarius *in Epiſtolam ad Ebræos.* 413
in Eſaiam & Joſuam. 492
M. Commodi *Ant. Imp. numiſma.* 194
Communione *ſacrilega num impleatur præceptum Chriſti?* 134
Conchylia *in montibus unde?* 41
num cor & ſanguinem habeant? 441
Conchyliorum *teſta utrum omnes ex animalibus, nec ne?* 22
muſea. 441
Concilia *Cleri Gallicani.* 24
Confer Synodus.
Seculi IV. 461. ſq.
Concionum *ſacrarum Eccleſiæ veteris ritus.* 154
Configurationis *motus.* 145
Confraternitates *gregis boni Paſtoris ſuppreſſæ.* 166
Congregationes *Mancipiorum Matris Dei ſuppreſſæ* 166
Conjugum *ſucceſſio.* 337
Conjunctio *Planetarum inferiorum cum Sole.* 59
Satellitis Saturnini cum fixa. 407
Plu-

Planetarum cum fixis rara. 407
Conservatio *hominum num recte dicatur continua creatio?* 501
Constantini M. *duplex baptismus explosus.* 459
Constantinopolitanorum *Patriarcharum novissimorum fata.* 8
Consulares *Fasti emendati.* 159
a Schelstrateno editi. 204
Consules *Romani fasces alternis non mensibus, sed diebus habuerunt.* 161
Contagii *pestis efficacia in ipsos muros.* 183
Controversiæ *inter eruditos plurimæ ad logomachiam revocatæ.* 54
Coranicum *lexicon ab Abr. Hinckelmanno promissum.* 100
Corde *num conchylia gaudeant?* 441
Cordis *vulnus sexto demum die mortem intulit.* 512
structura interior. 436
Corinthii *ordinis perspectiva.* 499
Cornelii *martyrium quando contigerit?* 200
Corona *in nubibus visa, Wilhelmo Auriaco Regni præmuntia.* 94
Corpora *quo motu inter se misceantur?* 145
Corporis *membra omnia ad certos usus creata.* 395
motus num a voluntate mentis dependeat? 321
Corporum *principia tria* 402
textura in quo consistat? 403
moles unde? 402
actio quid? 403. 405
motus. 404
Corpus *quid?* 402
humanum an dignum opus Deo creatore? 395
In Corpus *quomodo agat mens humana.* 321
Corruptionis *motus.* 126
Cortex Peruvianus. *Vide* China Chinæ.
Costa (*Margarita*) *poetria clara.* 308
Cranii *depressio quomodo elevanda?* 341
fissuram num innuant febricula & vomitus capitis vulneri supervenientes? 512
A Cranio *diffracto paralysis.* 182
Creationis *historia Mosaica ad captum vulgi accommodata.* 293. sq.
non Φυσικῶς, sed ἠθικῶς intelligenda. 296
Creatura *æterna num concipi possit?* 291. 296
Crepusculi *Solstitialis observatio.* 411
Ex Creta *cur orti olim crediti Judæi?* 445.
In Criticis *Hæretici Catholicis perspicaciores.* 78
Cruciatæ *expeditiones.* 324
In Crystallorum *superficie, etiam politæ, colores iridis ostendi queunt.* 182
Culicis *forma.* 442
Curva *data invenire aliam, sic ut evoluta vel caustica vel diacaustica unius, sit respectu alterius alia quapiam ex istis tribus.* 247. sqq.

qualis Diacauſtica? 244
Vide Diacauſtica.
aqualis motus in horologiis conciliatrix. 476
Curvæ, *cujus natura* addx = dyq, *conſtructio.* 254
cujus tangens ad abſciſſam a tangente conſtantem rationem habeat, inventio & conſtructio, 255.256
geometricæ quæ cenſenda? 477
tractoriæ Hugenianæ. 476. 477
Curvarum *conſtructio ex tangentium conditione.* 385. ſqq
Curvarum *conſtructio per Dia-Cauſticas.* 247
oſculum ſimplex num pro concurſu duorum contactuum habendum? 249. 250
an per 3 vel 4 radices æqualesſit reperibile? 250
problemata. 234. 235. 398. 425. 387
Cuticulæ *materia.* 434
Cybeles *ſacra apud Gentiles.* 72
Cyſtico-*hepatici ductus cur rectius hepatico-Cyſtici dicantur?* 434

D.

Davidi *quinam Pſalmi aſſerendi?* 72. 73
Dea *triformis, Luna, Diana, Hecate.* 121
Decimæ *Regi Galliæ a Clero præſtandæ.* 177
Decretales *Pontificum, qui ante Siricium vixerunt, ſpuriæ.* 83
Degradationis *Clericorum in Eccleſia Romana ritus.* 333
Dei *providentia aſſerta.* 264.(262)
judicium particulare in homines tempore mortis quale? 266. (264)
providentiæ in regendis hominibus methodi. 501.ſeq.
concurſus ad actiones humanas. 219
exiſtentia mathematice demonſtrata. 220
Deleterium *quid cauſa proxima febrium?* 150. ſeq.
Democriti *philoſophia.* 278
Demonſtratio *mathematica exiſtentiæ Dei.* 220
Demonſtrationi *huic ſuperſtructa phoronomia.* 222
Demonſtrationibus *num Leges nitantur?* 382
Dentes *num habeant teſtacea?* 442
viperarum an perforati? 443
Deiſtæ *eodem in cenſu habendi quo Atbei.* 393. 500
Determinatrix *Geometria qua?* 385
Deus Noctulius. 212
Diabolorum *poſt lapſum ſtatus qualis?* 318. ſeq.
Dia-Cauſtica *qualis Curva?* 244
infinitarum Curvarum Dia-cauſtica eſt. 247
Dia-Cauſticæ *relatio ſimplex ad Evolutam.* 244

rectificatio. 247
Hugeniana schema & constructio. 245
Diametrorum *planetariarum metiendarum ratio.* 412
Diaphragmatis *in inspiratione motus diversus.* 435
Diarium *Eruditorum Parmense, Mutinense, Bononiense.* 45
Diei *extremæ signa.* 17
Dies *natalitii num solenni ritu apud Ebræos celebrati?* 103
Dominicanum a Christo & Apostolis in locum Sabbathi surrogata? 420
Differentialis *calculi Leibnitiani præstantia.* 476
Digestiva *medicamenta quæ?* 486
Dii *penates urbis Romæ.* 161
Germanorum veterum. 429
Diluvium *aliquod universale ex naturalibus causis num metuendum?* 16
universale qua ratione ortum? 20.292
Ante Diluvium *perenne fuit æquinoctium.* 293
qualis mundi status? 293
Dio *Cassius notatus.* 161
Diocletianus *num sponte ab imperio abierit?* 128
Diogenes *Laertius emendatus.* 277
Ad Diognetum *epistola Justino Martyri male adscribitur.* 189
Dionysius *Patriarcha Constantinopolitanus.* 8
Areopagita a Dionysio Gallorum apostolo diversus. 83
Dioptræ *telescopicæ num ab Astronomis adhibendæ?* 3
Diplomatum *usus varius.* 373
Disciplina *arcani inculcata.* 199.200
inscriptionum argutarum. 399.seq.
Disputatio *quid proprie Romanis?* 155
Dissolutionis *motus.* 147
Distantiæ *quomodo telescopio ex una statione dimetienda?* 3
Divinitas *Scripturæ S. ex insitis notis asserta.* 101
Diurna *Acta urbis Romæ.* 161
Dodvvellus *notatus.* 202
Dominicani *inquisitionis sacræ præcipui autores.* 324.seq.
Dominica *dies num a Christo ipso aut Apostolis in locum Sabbathi surrogata?* 420. sq.
Donatistæ *num a Concilio Romano ad Constantinum M. provocarint?* 461
Dordracenæ *Synodi canones omnes a Reformatis in Gallia probati.* 31
Ductus *cystico-hepatici, an hepatico-cystici?* 434
hepatico cystici quot observentur in hepate bovino? 434
Dudaim *quid?* 101

E.

Ebræa *lingua Sorabicæ seu Slavicæ mater.* 305. seq.

ut

ut magis magisque coli cœperit? 464. seq.
Ebræorum *ritus num ex Ægypto petiti?* 362. 445
Ecclesia *novi Testamenti quando cœperit?* 415. 420
Ecclesiarum *Reformatarum in Gallia numerus ut variaverit?* 26
Ecclesiasticum *regimen quale esse conveniat?* 156. sqq.
Ecclesiæ *Græcæ præsens status.* 6
Armenicæ præsens status. 6. 12. 13
num Eutychianismi recte accusentur? 13
Romanæ dissidiis tollendis impar Pontificii tribunalis auctoritas. 130
Ecclesiasticorum *Scriptorum bibliotheca.* 77
Eclipsis *Solis observata.* 383. 447
Edda *Mythologia Septentrionalium.* 273
Effervescentia *frigida.* 182
Eleatica *philosophia.* 278
Electionis & *reprobationis decretum quale?* 501
Electorum *in Germania origo.* 377. sqq. 509
Electrica *attractio.* 147
Eleemosynæ, *sacrificia Deo oblata.* 430. seq.
Ellipseos *Evolutæ expedita constructio.* 246
Eloquentia *linguæ Germanicæ.* 429
Orientalium in literarum exordiis & titulorum splendore. 182. (180.)
Emblemata *varia collecta.* 545
Emplastrorum *epispasticorum usus in petechiis.* 182
In Empyemate *pancentesis thoracis feliciter celebrata.* 512
Ἐντελέχεια *animæ regeneratio.* 431
Enteroceles *chirurgia.* 268
Entis *Veneris virtus.* 182. 153
Ephræmi *Syri opera quanam genuina?* 461
Epicuri *philosophia explosa.* 279
Ἐπιλαμβάνομαι, *idem quod vindico.* 416
Ἐπιφάνεια *quid gentilibus?* 155
Episcopalia *jura unde?* 101
Episcopalis *hierarchia defensa.* 156. sqq.
num juris Divini? 157
Episcopi *primorum seculorum a Christo immediate Episcopatum se accepisse, pro certo habuerunt.* 84
Epispasticorum *emplastrorum usus in petechiis.* 182
Epistolæ *Ægidii Menagii, & ad eum ab aliis scriptæ.* 168
In Epistolam *ad Ebræos commentarius analyticus.* 413
Epistolographica *ars.* 164
Epitaphium *equo conditum.* 237
Equestris *ordo aurei velleris.* 261. (259.)
Johannitarum. 521. sqq.
Equis albis præcedere, *proverbium unde?* 212
Equo *conditum epitaphium.* 237
Eruditorum *logomachia.* 53. 55
In Erysipelatosa *febri maligna sanguis perquam fœtidus.* 153

In

In Esaiam *Commentarius Sebastiani Schmidii.* 492
Ethica *Pythagorica.* 452
Evagrio *Pontico male tribuuntur vitæ SS. Patrum.* 490
Eucharistia *num Christus ipse fuerit autor ejus?* 529.seq.
De Eucharistia *a quibus dogmata sua hauserint Zwinglius & Lutherus?* 457
In Eucharistia *num exemplo Christi tueri se possint Sacerdotes, qui sibimet eam porrigunt?* 530.seq.
num administrans Sacerdos ejusdem participatione possit abstinere? 536
Euclidis *elementum primum artis inveniendi regulis explicatum.* 222
Evolutæ *Ellipseos expedita constructio.* 246
puncta artificio paucis cognito reperiuntur. 249
Europææ *mappa nautica.* 478
Eusebius *illustratus.* 35.36
notatus. 126. 197. 200. 458
S. Eustachii *Acta fide indigna.* 191
Eutychianismi *num recte accusentur Armenii.* 13
Excitationis *motus.* 146
Exfoliativorum *trepanorum utilitas.* 342
Existentia *Dei mathematice demonstrata.* 220
rerum in singula momenta restauratur. 218
rerum finitarum pendet a jussu Entis infiniti. 218
Experimenta *spontaneæ generationis cur nonnullis non succedant?* 440
Extremæ *diei signa.* 17
Extremi *judicii certitudo.* 264.(262.)
tempus. 267.(265.)

F.

A Fabis *cur abstinuerit Pythagoras?* 520
Fabri (*Honoratus*) *notatus.* 2
Fæces *cerevisiæ nec acida, nec alcalina.* 405
Fasces *alternis non mensibus sed diebus penes Consules Romanos fuere.* 161
Fasti *Consulares a Schelstrateno editi.* 204
Favorabilia *& odiosa in jure.* 382
In Febre *maligna erysipelatosa sanguis valde fœtidus.* 153
omni quotidiana venæsectio commendatur. 486
quartana parcius quam in tertiana venæsectio adhibenda. 487
Febrifuga *varia.* 153
inter præstantissimum China China. 152. 153. 487. 488
pericarpia. 486
Febrilis *materiæ focus.* 481
rigoris causa & ratio formalis. 483
Febris *mere algida negatur.* 38
Febris *natura consistit in calore.* 38
causa immediata, sanguinis fermentatio. 38

dele-

Digitized by Google

deleterium quid ſpiritus animales afficiens. 150.151
cauſa procatarctica. 39.40.152
rigor a ſanguine coagulato. 39
materia febrifica carens. 40
remittentis curanda methodus. 152
primo momento ſanguis frigidus 153
intermittentis genius Proteiformis, 152
intermittentis curanda methodus. 151. 485.486. ſqq.
intermittentis ſedes eſt cerebrum & ſyſtema nervoſum. 482
materia ſuccus nervoſus depravatus. 482
ſymptomata. 484
diverſæ ſpecies diverſis anni temporibus unde? 484. 485
Febricula *& vomitus, capitis vulneri ſupervenientes, non certo fracturam aut fiſſuram cranii innuunt* 512
Felicis *Pontificis Romani martyrium dubium.* 201. ſeq.
Femoris *protuberantia carnoſa oſſis carioſi occaſione enata & ſectione ſublata.* 511
Fermentatio *ſanguinis immediata febrium cauſa.* 38
febrilis a particulis igneis, ſive Carteſianorum materia ſubtili. 39
ſtricte accepta quid? 405
Fermentationis *phænomena eſſentialia.* 405. 406.407
finis varius. 406
motus. 146
Ad Fermentationem *quid faciant aqua, aër, calor?* 406.407
Fermenteſcentes *liquores quomodo ab acore præſerventur?* 406
Fermentum *quid & quotuplex?* 405
Ferrarii *plures in republica literaria celebres.* 154
Feſta *num præter diem Dominicum in Eccleſiis Reformatis celebranda?* 540.ſq.
Feſtorum *Judaicorum origo & cauſæ.* 505. ſqq.
translatio. 506
Feſtos *dies anniverſarios inſtituendi poteſtas ſoli Deo vindicata.* 541.ſq.
Fibræ *inteſtinorum carneæ ſunt ſpirales.* 489
Fides *num repugnet rationi?* 503
Figura *mixtorum quid ſit, & unde dependeat?* 402
Filii *Dei cur dicti Judæi?* 444
Filius *num patrem hæreticum prodere teneatur?* 165
Filum *argenteum dentatum abſumendæ caruncula urinaria.* 343
Finitarum *rerum ſubſtantia pendet a juſſu Entis infiniti.* 218
Fiſtulæ *calloſæ quomodo emolliendæ?* 343
Fixæ *conjunctio corporalis cum Satellite Saturnino.* 207. ſqq.
planetis antiquiores. 295

Fixationis & volatiliſationis motus. 147
Ex Fixis Planetæ quomodo facti? 41. 297
Flammæ figura ſpherica. 149
Floccius (Andreas Dominicus) autor libri de Magiſtratibus Romanis Feneſtellæ male tributi. 236
Florentinæ Academiæ. 238
Florentini ænigmatis ſolutio correcta. 42
Fluida poris deſtituuntur. 39
Fluiditas olei unde? 404
ſpirituum unde? 404
Fluiditatis requiſita. 403
Focus materiæ febrilis. 481
In Fœderibus pangendis boves mactandi mos. 200
In Fœtu, ſanguinis circulatio. 231
ſanguis per foramen ovale non tam ex vena cava ad pulmonalem, quam ex hac ad illam defertur. 232
Fonticulum ſuturæ coronali inurendi modus. 341
Fontium origo num ex vaporibus? 21
Fortuito num orti homines? 396
Fortuitus atomorum concurſus num homines produxerit? 396
Fortuna quid? 396
Fouqueti (Nicolai) carmen elegans in carcere compoſitum. 365
Francorum Galliæ a Franconibus Germaniæ origo. 104
Fridericus Barbaroſſa num pedibus ab Alexandro III. conculcatus? 509
Fulberti operum editio prava. 171
Funiculus umbilicalis in fœtu mortuo perquam brevis, ſed ordinario craſſior deprehenſus. 344
non deſtituitur nervis. 434

G.

Gallæi Habeſſinorum olim acerrimi hoſtes, nunc miteſcunt. 284. (282.)
Gallæ; num ſint morboſæ excreſcentiæ arborum? 439
Galliæ Regum jura circa nominationem ad Prælaturas. 177
Gallicum itinerarium. 353
Gallorum vetus idioma. 104
Poëtarum hiſtoria & ſelecta carmina. 105
Gangræna aliquando a ſcirrho arteriam magnam in abdomine comprimente. 512
cur paralyſi interdum ſuperveniat? 512
Garuffii (Joſephi Malateſtæ) opera omnia, edita & inedita. 347
Gaſtroraphiæ ſutura interſciſſa ſimplex præfertur. 268
Gemina objecta quando viſio referat? 4
Gemmæ antiquæ L. Begeri. 120
Genealogiæ Principum Germaniæ. 260. (258.)
Generatio ſpontanea teſtaceorum. 437
defenſa. 437. 19.
vermium. 439
Generationes hominum infinitæ num ſibi invicem ab æterno ſucceſſerint? 395
Genius Principis tutelaris. 160

Digitized by Google

Genii *viris, quod Junones fœminis.* 210
Geographia *universalis.* 114.213.
Geometria *dimensoria & determinatrix quæ?* 385
ultra æquationes Algebræ procedit. 477
Geometriæ *seu Archimetriæ natura.* 221
In Geometriam *recipiendæ lineæ Cartesii mechanicæ.* 386.477
Geometricæ *curvæ quæ?* 477
Geometricis *constructionibus motus tractorius inservit.* 386.sqq.477
Georgiani *nonnisi octennes ad Baptismum admittunt.* 9
Georgii *Principis Anhaltini elogium.* 85
Gentilibus *num accessus ad æternam salutem pateat?* 267.(266.) 500
Gentilium *variorum conversiones.* 508. sqq.
Gentium *Juris Codex Leibnitianus.* 141 sqq.
Germaniæ *Principum genealogia.* 260. (258.)
veteris status. 357
Electorum origo. 377.sqq.509
Germanicæ *Nationis Concordata cum Sede Romana.* 376
Germanorum *antiquorum Dii.* 429
Gerson *(Johannes) autor libri de Imitatione Christi.* 273
Glandulæ *num merus sint vasculorum contextus?* 434
pituitariæ humor quo distribuatur? 435
Glandularum *salivalium tumoris medela.* 342
Globi *perpetui Weigeliani.* 221
Globulus *plumbeus e vesica exsectus.* 513
Gnostici *mysticum Scripturæ sensum venati.* 107
Gordiani *Imperatoris numus rarus.* 194
In Gosselini *(Antonii) Historiam Gallorum animadversiones.* 103
Græca *Historia imperfecta.* 158
Græcæ *ecclesiæ præsens status.* 6
de purgatorio sententia. 10
Granati *quinam a magnete trahantur?* 182
Gravitas *& levitas.* 149
Græci *cur Ægyptum olim frequentarint?* 446
Græcorum *philosophia.* 276
Gregorius VII. *Pontifex hæreseos Berengarianæ reus.* 171
Gratia *universalis num recte a Cameracone & Amyraldo tradita?* 501
cum natura composita. 503
Gruterus *emendatus.* 348
Guimenii *(Amadei) libellus damnatus.* 166.167

H.

Habessinorum *historia.* 280.283
religio. 284.(282.)
erga Ecclesiam Romanam odium. 284.(282.)
Hæreticæ *pravitatis Inquisitores.* 329. sqq.
Hæreticus *proprie quis?* 331.sq.

qua pœna in Ecclesia Romana afficiatur? 332
Halloix *notatus.* 78
Hamburgense *Jus, ejusque interpretes.* 382
Hammondus *notatus.* 15
Harduinus (*Johannes*) *notatus.* 196
Hebræorum *veterum poësis.* 69.74
Musica. 69.76.77
Vide Ebræi.
Heinsius *notatus.* 108
Ex Hellebori *albi radice pessarium mensium per aliena loca egressum cohibet.* 511
Hepschenius *notatus.* 202.203
Hepatico-*Cystici ductus.* 434
Herculi *votum facere apud gentiles sequiori sexui non permissum.* 210
Hermes *Trismegistus.* 275
Herodes *Agrippa junior quando mortuus?* 123.190
Herodis *Antipæ nummus.* 196. 204.205
Herodoti *autoritas in rebus Ægyptiacis exigua.* 363
Hierarchia *Episcopalis defensa.* 157
Hieroglyphica *Ægyptiorum inexplicabilia.* 275
Hieronymi *ad Damasum epistola supposititia.* 202
scripta alia supposititia. 491
Hieronymus *explicatus.* 36
De Hilarii *Pictavienses scriptis judicium.* 460
Hinckelmanni (*Abrahami*) *Lexicon Connicum.* 100
Hippolyti *Portuensis Chronicon.* 204
Hippolyti *Thebani fragmenta.* 204
Hircus *emissarius, Levit. XVI.* 361. sqq.
Hirudinum *in hæmorrhoidibus usus spretus.* 271.(269.)
Hispanicæ *Inquisitionis origo.* 327
Historia *Principum Arausionensium.* 43
Wilhelmi III. Regis Magnæ Britanniæ. 43. sq. 93
Genealogica Domus Spinolarum promissa. 45
Judith sitne liber canonicus? 81
Gentis Judaicæ. 189
Imperatorum Romanorum. 188
Habes sinorum. 280.283
Inquisitionum Romanarum. 323.sqq.
Mosaica ad captum vulgi accommodata. 293. sqq.
Romanorum scriptorum. 307
Westfaliæ. 508.sqq.
Paderbornensis. 507.sqq.
Pacificationis Neomagiensis. 34
Historiæ *Augustæ Scriptores.* 159
Hobbesius *refutatus.* 428.539
Homines *num ex congressu siderum, aut concursu atomorum, aut fortuito orti?* 395.sq.
Hominum *propensio ad idololatriam.* 275.sq.
liberum arbitrium quale? 502
Horarum *distinctio num jam Mosis tempore obtinuerit?* 506
Hornius (*Georgius*) *notatus.* 102

Horo-

Digitized by Google

Horologiorum *æqualis motus beneficio Curvæ?* 476
Hugenianæ *Dia-cauſtica ſchema & conſtructio.* 245
Curvæ tractoriæ. 476.ſq.
Hugenii *quadratrix hyperbolæ.* 476
Hydraſpis *Wagenſeiliana vindicata.* 223
Hydroceles *chirurgia.* 270. (268.
Hygroſcopium *in exhauſto recipiente nullam mutationem paſſum.* 302
Hyperbolæ *quadratura per curvam certam.* 388
quadratrix Hugeniana. 476
In Hypochondriacis *vires Entis Veneris.* 153
In Hyſtericis *vires Entis Veneris.* 153

I.

In Iamaica *arborum ingens magnitudo.* 184
Janſeniſtæ *notati.* 131.135
Ad Idololatriam *propenſio humanæ mentis.* 275.ſq.
De Jejuniis *antiquus Hebræorum liber.* 196
Ignatii *epiſtolæ num genuinæ?* 83
Ignis *ex centro terræ aut montibus igni-vomis erumpens num deſtructurus terram?* 17
& nubis columna quid Exodi XIII? 470
ſacer & perennis in Eccleſia Iſraëlitica. 470
num cœleſtia quoque corpora in die extremo correpturus? 18
Imaginum *cultus qualis apud Græcos?* 11
unde? 504
Imago *quid in opticis?* 246
Immanuel *quid denotet?* 494
Imperatorum *Romanorum hiſtoria.* 188
Incarnatio *Chriſti fuit neceſſaria.* 233
Index *categoricus, inveniendis argutiis ſubſidium.* 401
Indiæ *Orientalis Societas Belgica Hiſtoriæ naturalis pariter ac Religionis propagandæ ſtudioſa.* 208
Infernales *pœnæ num æternæ futuræ?* 20
Infinitarum *ſerierum methodus.* 178
Influxus *corporum cœleſtium in ſublunaria.* 5.303.
Ingravidatio *falſa ab uteri ſcirrho.* 343
Innocentii XI. *Pontificis decreta varia libros recentiores damnantia.* 167
Inquiſitionis *Romanæ proceſſus.* 165.323. ſqq.
miniſtri & autores præcipui Dominicani. 324. 325.329
Ab Inquiſitionis *jugo Neopolitanum Regnum liberum.* 328
Inquiſitores *hæreticæ pravitatis.* 329.ſq.
Inſcriptiones *antiquæ Begeri.* 121
Brixienſes. 209
illuſtratæ. 346. ſqq.515
Inſcriptionum *argutarum diſciplina.* 399. ſqq.
Inſignia *Principum Europæorum aſteriſmis deſignandis adhibita.* 221
Inſtrumentorum *muſicorum varia genera.* 70. 71.76
In Integritatis *ſtatu quale Sabbathum?* 416

Intellectus *humani comparatio cum tabula raſa.* 429
agens quid? 429
& voluntas male diſtinguuntur. 502
Interpres *legum bonus quis?* 381.ſq.
De Interpretatione *legum ſcriptores.* 381
Inteſtinorum *fibræ carneæ ſunt ſpirales.* 489
Inteſtinum *cæcum quale dici debeat?* 434
Inveniendi *ars quousque proceſſerit?* 221
veteribus cognita, ſed tecta. 222
Inundationibus *aquarum num mundus periturus?* 16
Jobi *libro fictæ narrationes inſperſæ.* 80
genealogia. 469
liber quando conſcriptus? 500
Johannitarum *Equeſtris ordo.* 521
Jonicæ *philoſophiæ decus, dogma de Mente omnium rerum præſide.* 277
Jonſius *refutatus.* 446
Jordanis *aqua quomodo ſteterit?* 496
Joſephus *illuſtratus.* 36.37.190
In Joſuæ *capita VIII. commentarius Seb. Schmidii.* 493
Jothami *apologus Jud. IX.* 539.ſq.
Iridis *colores in cryſtallorum & lapidis Lydii ſuperficie polita oſtendi poſſunt.* 182
Irrationalium *quantitatum fons.* 385
Iſchiadicum *malum metu curatum.* 182
Italicum *itinerarium.* 353
Itinerarium *Gallicum & Italicum.* 353
Judæa *Græcis olim frequentata.* 446
Judæi *num ſanguine Chriſtianorum ad myſteria, amuleta, aut medicinam utantur?* 225.ſeqq.
moribundi quas preces fundant? 226
morte ſuamet omnia peccata ſua expiari credunt. 227
Chriſtianorum nomine a gentilibus comprehenſi. 228
cur filii Dei dicti? 444
cur crediti ex Creta orti? 445
unde fingantur coluiſſe aſini caput? 446
Judæorum *orientalium ſuperſtitionis notabile exemplum.* 11
Cabala exploſa. 274
nomen num duodecim univerſis tribubus competat? 444.
in terram Canaam jus unde? 470
Iudaicæ *gentis hiſtoria.* 189
religionis convenientia cum natura. 503
Judaicorum *literarum fata.* 464
Judaicorum *feſtorum origo & cauſæ.* 505.ſqq.
Vide Ebræi.
Judicari *& juſtificari diverſa ſunt.* 268. (266.)
Judicii *extremi certitudo.* 264.(262.)
tempus. 267.(265.)
Judicium *Dei particulare in homines ſingulos tempore mortis quale?* 266.(264.)

d by Google

Judithæ *historia num liber canonicus?* 81
Julius *Capitolinus quorum Imperatorum vitas composuerit?* 159
Junones *fœminis, quod viris Genii.* 210
Jurandi *inadvertenter consuetudo sine peccatum?* 135
Jureconsultus *perfectus.* 380
Juridica *Metaphysica.* 333
Juris *gentium codex Leibnitianus.* 141
naturæ & gentium fontes. 370
methodus Leibnitiana. 372
Jurisdictio *Reip. Venetæ in mare Adriaticum.* 236
Jurisprudentia *metallica.* 517
Jus *Hamburgense ejusque interpretes.* 382
Justificatio *& judicatio hominum quomodo differant?* 268. (266.)
Justino *Martyri epistola ad Diognetum male tribuitur.* 189
Justitia *Dei num punitionem peccatorum extemporaneam exigat?* 38. sqq.
Justitiæ *partes tribus generalissimis juris naturæ præceptis respondentes.* 371

K.

Kethib *& Keri Masoretharum.* 425. sq.
Knorrius (*Christianus*) *L. B. a Rosenroth notatus.* 274
Κωμᾶν *quid græcis.* 51
Κώμη *& πόλις sæpe synonyma.* 50

L.

Lactantius *libri de Mortibus Persecutorum autor genuinus.* 125. 126
Lambecius *refutatus.* 203
Lanæ (*Francisci Tertii*) *magnetica nova hypothesis.* 148
In Laryngotomia *qualis cannula adhibenda?* 342
Laverna *tellus.* 161
Legati *Romanorum Pontificum ut pedetentim invaluerint?* 172
Leges *num demonstratione nitantur?* 382
Vide Jurisprudentia, Jus.
Legis *Mosaicæ usus typicus assertus.* 362
vindices Angeli. 415
Legum *Interpres bonus quis?* 381
Leibnitiana *Juris Methodus.* 372
Lentes *opticas conficiendi ratio.* 442
Lentis *centrum rite se habens quomodo cognoscatur?* 3
Lepus *Armeniis horrori, perinde ac sus Judæis.* 12
Leucippi *philosophia.* 278
Levitæ *Hebræorum musici.* 74. 75. 76
Lexicon *metallicum.* 519
Libertas *arbitrii humani qualis?* 502
Libri *a Romanis Pontificibus nuper damnati.* 166. 167
Librorum *prohibitio in ecclesia Romana.* 331
Lichtfootus *notatus.* 75
Lineæ *Cartesii mechanicæ in Geometriam recipiendæ.* 386
Linguæ *structura quoad planum superius.* 436
Linimentum *emolliens in contracta manu proficuum.* 512

Liquo-

Liquores *fermentescentes quomodo ab acore præservandi?* 406
Lithotomia *quomodo adornanda?* 268
De Liturgia *Gothica judicium.* 170
Liturgiæ *Apostolorum pseudigraphæ.* 82
Livius *illustratus.* 161
Lixivium *unde ortum?* 41
In Locis *duobus visum objectum, nec tamen geminum.* 4
Locus *apparens objecti in majori quam foci distantia a vitro siti, respectu oculi inter basin distinctam & vitrum positi, difficilis determinatu.* 2
Spirituum qualis? 316
Locustis *pellendis quale in Syria remedium?* 11
Logarithmorum *constructio per certam curvam.* 388
Logica *inter præliminaria æstimationis.* 220
Logicæ *compendium.* 220
Logomachiæ *eruditorum.* 53. 54. 55. 56
Logometron *Logicæ compendium.* 220
Lollardorum *in Anglia hæresis.* 175. 326.
Loti *uxoris monumentum.* 469
De Luce *primigenia sententia Burnetii.* 295
Luciani *Capbargamalensis tractatus de S. Stephani reliquiis spurius.* 103
Lucos *cur pro sacris antiqui habuerint?* 446
Lucretii *hypothesis de ortu animalium refutata.* 396
Ludolfi (*Jobi*) *Habessinicarum rerum indagandarum insigne studium.* 281. (279.)
Lumen *quomodo producatur?* 405
num corpus? 3
Luna *cornea sublimati ope præparata.* 183
Lupanarium *publicorum necessitas a Petro Cabier asserta.* 31
Lusitaniæ *tribunal S. Inquisitionis.* 237
Lutheri *de Christo cænato sententia.* 530. sq.
In Lydii *lapidis superficie etiam polita colores iridis ostendi queunt.* 182
Lympha *quomodo sistenda, ubi vasa læsa sunt?* 343

M.

Magistri *Magni Equitum Johannitarum.* 524
Magliabechii (*Antonii*) *elogium.* 237
Magnes *adamantes quoque nonnullos trahit.* 182
quosnam granatos trahat? 182
Magnetica *nova hypothesis P. Lanæ.* 48
Magnetici *motus.* 148
Magnetis, *postquam ignis vim sustinuit, virtus remanens quomodo augeri possit?* 181
solutio spiritu salis facta quo colore sit? 181
Magnitudo *objecti per telescopium visi quanta ad apparentem magnitudinem visi nudo oculo?* 2
Mahumedanorum *superstitionis notabile exemplum.* 11

Maimburgii (*Ludovici*) *Hiſtoria Pontificum Rom. damnata.* 167
Mamma *ob ulcus ſcirrhoſum amputata.* 510
Mammillæ *ſphacelus ex ſubitanea menſium ſuppreſſione.* 511
Manetis *dogma de loco animarum poſt mortem.* 359
Manichæiſmi *num Albigenſes recte fuerint accuſati?* 169.ſqq.
nota num ſit aſſerere Romanum Pontificem eſſe Anti-Chriſtum? 147
Mannæ *genus Grammaticum.* 101
natura quæ? 470.471
Mappæ *nauticæ Europæ.* 478
Marcellini *martyrium quando contigerit?* 200
Marcellus *inter Pontifices Romanos non omittendus.* 200
Mare *magnam aliquando terræ partem, imo altos montes texit.* 41
Margaritarum *analyſis chymica.* 183
Mariana *notatus.* 174
B. Mariæ *Aſſumptio priſcis eccleſiæ ſeculis incognita.* 84
immaculata conceptio. 237
Mariæ, *Tertulli ancillæ, Acta ſpuria.* 191
Maris *ejusque ſalſedinis origo.* 41
Marmora *Brixienſia.* 209
illuſtrata. 7.347.ſqq.
Vide Inſcriptiones.
Marshamus *refutatus.* 445
Martialis *emendatus.* 161
Martis *vitriolum viride in ſpiritu vini ſolubile, ejusque ſpiritus aquæ forti admiſti in aurum efficacia.* 182
Maſoretharum *Kethib & Keri.* 425.ſqq.
Materia *ſubtiliſſima quid?* 404
quomodo amica, vel peregrina? 404
ſecundum mechanicæ motuum leges agitata num homines produxerit? 396
aliqua num præceſſerit originem telluris? 394.ſq.
Matheſeos *natura.* 216.ſqq.
Matronarum *apud veteres honor.* 211. ſq.
Maturationis *motus.* 146
Mauritii (*Erici*) *elogium & opera.* 545
Mechanicæ *Carteſii lineæ in geometriam recipiendæ.* 386.477
Medicamenta *digeſtiva & ſpecifica quomodo differant?* 486
Medicis *num accidat λογομαχεῖν?* 54
In Melanchthonis *epiſtolas clavis.* 359
Melchiſedecus *merus homo.* 418
Melitenſes *Equites.* 522
Mens *humana quomodo in corpus agat?* 324
Menſis *non accumbere, ſed aſſidere Romani antiquitus ſoliti.* 210
Ex Menſium *ſubitanea ſuppreſſione ſphacelus mammillæ.* 511
Menſium *per alia loca egreſſum prohibet venæſectio in pede adminiſtrata.* 512
Menſtrua *per nares & oculos excreta,* 511.512.

Menſtruum *univerſale.* 146
De Mente *omnium rerum præſide dogma Jonicorum.* 277
A Mentis *voluntate num motus corporis dependeat?* 321
Mentium *Respublica univerſalis.* 372
Mercurii *conjunctiones cum Sole corporales, earumque calculus.* 59. ſqq. 66.
nodus & diſtantia a terra. 59. ſqq.
Mercurii *animati ſeu antimonialis effectus.* 187. 147
incaleſcentia cum auro & argento. 183
colores. 184
Meretrices *civiliter tales quæ Judæis?* 496
Metallicæ *rei notitia.* 516
Metallici *Proceſſus ordinatio.* 518
Metaphyſica *Juridica.* 333
Metempſychoſis *Pythagoræ de ſenſitiva & vegetativa anima intelligenda.* 5
Methodi *Tangentium converſæ uſus ad varia problemata.* 390
Methodus *ſerierum infinitarum per ſuppoſitionem ſeriei quæſitæ.* 178
Μετρσιώσεως *vox in eccleſiam Græcam introducta.* 9
Metu *dolor iſchiadicus prompte curatus.* 152
Michaëlis *Archangeli Legenda.* 428
Micographica *machina.* 442
Sub Minois *fabula repræſentatus Moſes.* 445
Miſſa *ſolitaria impugnata.* 531
Mixtionis *motus.* 145
Moles *corporis unde?* 402
Molinoſii (*Michaëlis*) *dogmata damnata.* 167
Monarchia *eccleſiaſtica Regis Siciliæ.* 376
Monaſteriorum *Weſtfaliæ notitia.* 508. ſqq.
Montes *quomodo orti?* 23
quem uſum præſtent? 23
Morales *propoſitiones 65 ab Innocentio XI. damnatæ.* 167
Morborum *omnium curatio cur non eadem?* 37
transplantatio. 148
& minera & periodorum cauſa in nervoſo genere reſidet. 489
Morini (*Stephani*) *de Paradiſo terreſtri diſſertatio.* 98. 99
Moſaicæ *legis uſus typicus aſſertus.* 362
De Moſaica *creationis hiſtoria judicium Burnetii.* 293. ſq.
Moſaicum *mundi ſyſtema captui populi accommodatum.* 293. ſqq.
Moſes *num Pentateuchi autor?* 79
ab Ægyptiis cultus. 103
in hiſtoria creationis non Phyſicum, ſed Ethicum egit. 296
cur in Cosmopœia a veritate phyſica receſſerit? 297
ſub Minois fabula repræſentatus. 445
cum Oſiride comparatus. 446
radiante vultu. 473

Morte *cujusque propria peccata expiari, Judæis persuasum.* 227
Per Motum *effectio generalissima tetragonismorum & quadraturarum.* 385. sqq.
Motus *tractorius constructionibus geometricis inserviens.* 386. sqq. 477
corporum quid? 402
externus & internus ut differant? 404
configurationis, fermentationis, maturationis, mixtionis, &c. 146
Mundanæ *periodi ab Ethnicis agnitæ.* 292
Mundi *finalis catastrophe probatæ.* 15. sqq.
dissolutio subitanea. 17
παλιγγενεσίαν *qui statuerint?* 273. sqq.
status antediluvianus. 293
centrum num terra? 294
systema Mosaicum populi captui accommodatum. 239. sqq.
Mundus *num corrumpatur senio?* 16
destruendus per medium naturale, sed modo supernaturali. 17
quando destruendus? 18. 267. (265.)
utrum in nihilum redigendus, an restaurandus? 18
antiquior fuit terra habitabili. 294
Muscarum *oculi.* 443
pedes pulvillis humore glutinoso plenis instructi. 443
Musica *Hebræorum veterum.* 69. 76. 77
Musulmanni *non iidem qui servati.* 283. (281.)
Musicæ *origo & incrementa.* 69. 70
veteris præstantia. 70. 71
usus in sacris. 72. 76
Musicorum *instrumentorum varia genera.* 70. 71. 76.
Myopibus *num convexa vitra conducant?* 3
Mysteria *sunt de religionis essentia.* 233

N.

Natalitii *dies num solenni ritu apud Ebræos celebrati?* 103
Natium & *testium cerebri usus.* 435
Naturalis *religio qualis?* 499. sqq.
Natura *quo sensu doceat, quod viro probro sit esse comatum?* 51
cum gratia composita. 503
Naturæ & *gentium juris fontes.* 370
Nautica *problemata.* 479
Nauticæ *mappæ.* 478
Nazarenus *cur Christus dictus?* 49
Neapolitanum *Regnum a jugo Inquisitionis sacræ liberum.* 328
Nero *cur in Christianos sævierit?* 128
Nervi *in funiculo umbilicali.* 434
Nervorum *radices in cortice cerebri quomodo laxari queant?* 483
In Nervoso *genere morborum æque minena ac periodorum causa restdet.* 489

Nervosum *systema sedes febrium intermittentium.* 482
quid? 482
Nervosus *succus depravatus febrium intermittentium materia.* 482
nutritionem verum praestat. 482
a cortice Peruviano afficitur. 488
Nicæni *concilii decreta omnia Armeniis probantur.* 12
Nicænum *Concilium num librum Judith pro canonico agnoverit?* 81
Nihili *conceptus in mente qualis?* 216
Noctulius *Deus.* 212
Nodi *ingentis materia.* 511
Nonnus *Panopolita Arianismi immerito insimulatus.* 108
Nubis *columna Exodi XIII. quid?* 470
Numeri *Pythagorici fundamento destituti.* 278
Numismata *in honorem Wilhelmi II. R.M.B. cusa.* 95
antiqua L. Begeri. 119.sqq.
Jac.de Wilde. 122
illustrata. 193. sqq. 210.
Nummophylacium *Celsissimi Comitis Schvvartzburgici.* 193
Nutritio *quid?* 482
a succo nerveo non formaliter tantum, sed & materialiter praestatur. 482
Nutritionis *proxima materia num sanguis?* 483

O.

Ocellus *Lucanus num Pythagoraeus?* 277
Oculos *an habeant testacea?* 442
Oculus *mundi, lapillus, aqua injectus fit diaphanus.* 182
num unicus solum in objectum intentus sit, altero otiante? 4
Oesophagi *humani structura.* 435. 437
tunicæ. 435. 437
Olei *particulæ constitutivæ.* 404
Oleorum *fluiditas unde?* 404
Oleum *per deliquium unde ortum?* 41
Omphacium *præstantissimum quomodo præparetur?* 407
Ophir *Salomonis.* 214
De Optato *Milevitano judicium.* 461
Ordinatio *processus Saxonici.* 337
metallici.
Ordo *equestris Johanniticus.* 521. sqq.
aurei velleris. 261. (259.)
Organorum *pneumaticorum origo.* 70
Orientalium *eloquentia in inanibus titulorum.* 182.(180.)
Orphei *Philosophia.* 276
Orpheus *num revera extiterit?* 276
Osculum *curvarum simplex num pro concursu duorum contactuum habendum?* 249.250
an per 3. vel 4. radices æquales fit reperibile? 250
Osiridis *cum Mose comparatio.* 464
Osius, *Episcopus Cordubensis, excusatus.* 459
Ovalium *Cartesianarum constructio, Problematis generalioris casus*

ſus tantum ſimplicior. 248
Ex Ovo *num omnia generentur?* 438
Ozænæ *magnitudo ſpeculo narium appropriato inquiri debet.* 342

P.

Pacis *inter Proteſtantes ineundæ conſilium.* 456. ſqq.
Paderbornenſes *Annales.* 507. ſqq.
Pagius (*Antonius*) *notatus.* 198
Palladius *vitæ Chryſoſtomi autor.* 491
Panis *ſpiritualis in deſerto.* 470
Pantometriæ *ſeu Arithmeticæ naturæ.* 221
Papebrochius (*Daniel*) *refutatus.* 198. 202
Papilionum *alæ pennis inſtructæ.* 442
roſtrum bifidum. 443
Paracenteſis *thoracis in empyemate feliciter celebrata.* 512
abdominis quibus inſtrumentis peragenda? 268. 343
thoracis quomodo adornanda? 268. 342
Paradiſi *locus.* 214. 239
De Paradiſo *terreſtri variorum ſententiæ.* 99
Paralyſi *cur ſuperveniat nonnunquam gangræna?* 512
Paralyſis *ex cranio diffracto.* 182
a terrore. 182
Parmenidis *philoſophia.* 278
Paſchalis *riſus Pontificiorum.* 428
SS. Patres *plerique Chiliaſmum profeſſi.* 84
SS. Patrum *de ſtatu animæ poſt mortem ſententia.* 84
commentarii in Novum Teſtamentum ſub examen vocati. 107
Græcorum Catenæ in Novum Teſtamentum. 108. ſqq.
Partus *cæſareus. Vide* Cæſareus *partus.*
Patriarcharum *Conſtantinopolitanorum noviſſimorum fata.* 8
Pearſonius *notatus.* 202
Peccata *morte peccatoris expiari, credunt Judæi.* 227
Inter Peccati *formale & materiale diſtinctio rejecta.* 502
De Peccato *philoſophico dogma damnatum.* 167
originis paradoxa ſententia. 504
Pelagius *num autor Expoſitionum in Epiſtolas Paulinas?* 108
Penates *urbis Romæ.* 161
Pentateuchus *num Moſen autorem agnoſcat?* 79
quoad urbium aut alia quædam nomina immutatus. 80
Peregrinantibus *quænam ſint obſervanda quoad Hiſtoriam naturalem?* 258. (256.)
Pericarpium *antifebrile.* 486
Periodi *mundi ab Ethnicis agnitæ.* 292
Perralti (*Claudii*) *problema ſolutum.* 387

Perſpectivæ *præſtantia & uſus.* 498
Peruvianus *cortex. Vide* China Chinæ.
Peſſarium *ex radice hellebori albi menſium præternaturalem per alia loca egreſſum cohibet.* 511
Peſtis *contagii efficacia in ipſos muros.* 183
In Petechiis *emplaſtrorum epiſpaſticorum uſus.* 182
De S. Petri *Pontificatu 25. annorum opinio unde nata?* 127
S. Petrus *quando Romam venerit?* 126 ſqq.
De Petronio *Arbitro varia variorum judicia.* 90
Petroniana *fragmenta num genuina?* 91
Philaſtrius *notatus.* 461
Philautia *veritati inimica.* 315
ordinata amoris erga Deum & proximum regula. 504
Philo *explicatus.* 36
Philoſophia *Scytharum, Chaldæorum, Arabum &c.* 273. ſqq.
Ariſtotelis, Epicuri, explo-ſa. 279
Barbarorum a Noacho derivata. 280
in naturalibus Scripturæ interpres. 298
meditatio mortis. 428
Philoſtratus *emendatus.* 103
Phœnicum *coloniæ.* 97
philoſophia. 274
Photius *illuſtratus.* 37
notatus. 107
emendatus. 123. 190
Phyſiologia *Ariſtotelis, Stoicorum, aliorumque veterum.* 273. 278. ſqq.
Pico de Tenariffa, *mons deſcriptus.* 303
Pictorum *Perſpectiva.* 498
Pili *in porrigine capitis verminoſi.* 512
Du Pin *(L. Ellies) notatus.* 459. 460. 461
Pinckeri *(Chriſtophori) obitus.* 46
Piſces *ſonum percipiunt.* 182
Piſini *(Andreæ) Lucenſis liber damnatus.* 166
Planetæ *ex fixis lucidis opaca corpora per deflagrationem facta.* 41. 295. 297
Planetarum *diametri quomodo menſurandæ?* 412
corporales cum fixis conjunctiones raræ, & cum fructu obſervandæ. 407. 408. 412.
inferiorum viſibilis conjunctio cum Sole. 59
Plantarum *reſuſcitatio.* 183. 149
Platonis *phyſiologia.* 279
Plenilunio *intumeſcens cerebrum.* 182
Plinius *emendatus.* 161
Pœna *infernalis num æterna futura?* 20
Pœnitentiæ *ſolennis vetuſtus ritus* 428
Ad Pœnitentiam *num ſufficiat attritio ex metu gehennæ?* 132. 166. 167
qualis amor Dei requiratur? 132. ſq.
Poëſis *Hebræorum veterum* 69. 74
Poëtarum *Gallicorum ſelecta carmina* 105

Digitized by Google

Polycarpi *ad Philippenſes epiſtola genuina.* 83
Pontificalis *libri autores diverſi.* 203
num autor Anaſtaſeus Bibliothecarius? ib.
Pontificiorum *in Anglia molitiones.* 156
riſus Paſchalis. 428
S. Pontii *Martyris Acta num genuina?* 199
Pontificum *Rom. qui ante Siricium vixerunt, Decretales ſpuriæ* 83
autoritas impar diſſidiis in Eccleſia tollendis. 130
recentiſſimæ Conſtitutiones. 165. ſqq.
Legati ut paulatim invaluerint? 172
Chronotaxis. 198
antiqui catalogi. 202
Poſſinus *(Petrus) editor Catenarum in Novum Teſtamentum.* 108. ſqq.
refutatus. 197
Præcipitationis *motus.* 147
Prædicatorum *ordo Inquiſitioni ſacræ præfectus.* 325. 329
Præſcriptionis *exceptio litis conteſtationem impedit.* 338
Principum *juventutis titulus.* 160
Europæorum arma gentilitia aſterismis deſignandis adhibita. 221
Prioratus *Ordinis Equitum Johannitarum in Germania.* 524
Problema *Perralti ſolutum.* 387
quadratumrum generale. 390
Carteſii ſolutum. 234
Bernoullianum. 235
ſolutum. 255. 398. 475
De Proceſſione *Spiritus S. controverſia logomachia multum continet.* 54
Proceſſus *tribunalis ſacræ Inquiſitionis.* 333
Saxonici ordinatio. 337
metallici ordinatio. 518
Projectiones *optica columnarum & ædificiorum.* 499
Prophetiæ *per traditionem propagatæ.* 49
Per πρόσωπα duo in Chriſto quid intellexerit Chryſoſtomus? 107
Providentia *Divina aſſerta.* 264. (262.) ſqq.
Providentiæ *Divinæ in regendis hominibus methodi.* 501. ſqq.
Pſalmorum *præcipuorum autor David, aliorum alii.* 72. 73
in quinque libros diſtributio unde? 72. 74
Θεοπνευσία. 74
melos deperditum. 77
Ptolemæus *Hephæſtio apud Photium explicatus.* 37
Pulicis *aculeus.* 443
Purgatorium *quale ſtatuant Græci?* 10
Purpura *oculos habet prope baſin cornuum?* 442
A Putredine *cur præſervent ſpiritus ardentes & vernices?* 403
Putrefactionis *motus.* 146

Pydnen-

Digitized by Google

Pydnenſium *nummi in honorem Amyntæ & Philippi Macedonum cuſi.* 122
Pythagoræ *metempſychoſis de ſenſitiva & vegetativa anima intelligenda.* 5
abſtinentia a carne & fabis unde? 6. 520
philoſophia. 177
tetractys fundamento deſtituitur. 278
Ethica. 452
docendi methodus. 453
carmen aureum illuſtratum. 455

Q.

Quadrati *duo.* 191
Quadratrix *hyperbolæ Hugeniana.* 476
Quadratura *hyperbolæ per curvam certam.* 388
Quadraturæ *omnes motu tractorio conſtrui poſſunt.* 477
Quadraturarum *generaliſſima effectio per motum.* 385. ſqq.
problema generale. 390
Quæſturæ *apud Romanos ineundæ tempus.* 160
Qualificatores *quinam in Eccleſia Romana?* 330
Quantitas *triplex, rationalis, algebraica & tranſcendens, harumque fons.* 385
quid? 216
Quantitatum *irrationalium fons.* 385

R.

An per 3 vel 4 Radices *æquales oſculum curvarum ſimplex ſit reperibile?* 250
Rahab *quo ſenſu dicatur meretrix?* 496
Rappolti (*Friderici*) *elogium.* 286. (284)
Rationi *num conſentanea religio?* 502. ſqq.
Redus (*Franciſcus*) *notatus.* 441
Reformationis *in Gallia origo & incrementum.* 25. 26
autoritas unde? 31
neceſſitas. 85
Reformatis *num alia præter diem Dominicum feſta celebranda?* 540. ſqq.
Reformatorum *in Gallia Synodi.* 24. 27. 30
numerus non omni tempore idem. 26
approbatio decretorum Dordracenæ Synodi. 31
Refractionis *menſura ſecundum Newtoni experimenta.* 1
Refractorum *radiorum progreſſus quomodo trigonometrice ſupputandus?* 1
Regeneratio *animæ, ἐντελέχεια.* 431
Regiminis *eccleſiaſtici indoles.* 157
Regulæ *Reſiſtentiarum in fluido.* 252. ſqq.
Religio *Habeſſinorum.* 284. (282)
Chriſtiana per vim non propaganda. 323

Digitized by Google

naturalis. 499
num rationi consentanea? 502. sqq.
Religionis *utilitas.* 393
Reprobationis *decretum quale?* 501
Requies *Novi Testamenti in quo consistat?* 416
Resistentiæ *solidorum in fluido calculo subjectæ.* 252. sqq.
Respublica *universalis Mentium.* 372
Reticulationes *theatrorum scenicorum & testudinum.* 499
Rhadamanthus *idem cum Aarone.* 445
Ricaltus (*Paulus*) *notatus.* 12
Ricardus *Rex Angliæ apud Lucenses in Italia sepultus, quis?* 355. 356
Ridicula *in Rhetoricis quænam?* 401
Rigoris *febrilis causa & ratio formalis.* 483
Risus *Paschalis Pontificiorum.* 428
Rivini (*Tilemanni Andreæ*) *obitus.* 46
Romæ *urbis natalis millesimus quando celebratus?* 199
Romani *Pontifices. Vide* Pontifices.
anni veteris ratio. 161
Romanarum *inquisitionum historia.* 323. sqq.
Romanorum *scriptorum historia.* 307

S.

Sabbathi *prima institutio unde & quando?* 35. 506
in locum num successerit dies Dominica ex Christi aut Apostolorum præcepto? 426
Sabbathum *periodicum num Gen. II. institutum?* 416
quale in statu integritatis? ibid.
Sacra *operto alibi, alibi aperto capite peracta.* 52
Sacramenti *usus absque præparatione debita num licitus?* 133
Sacramentorum *vestigia apud gentiles.* 503
Ad Sacramentum *num indigni admittendi?* 134
Sacrilego *baptismo & communione num impleatur præceptum Christi?* 134
Sal *ex spiritu aruginis & sale tartari in spiritu vini solubile.* 183
aeris quale? 302. 303
condimentum sacrificiorum, quale? 474
Salis *particulæ constituentes.* 402
armoniaci quantum solvant aquæ destillatæ? 183
Salhusius (*Joh.*) *testis veritatis Evangelicæ.* 428
Salium *chymicorum diversitas unde?* 402
actionis diversitas unde? 404
alcalium volatilium & fixorum differentia unde? ibid.
Salivalium *glandularum tumoris medela.* 342
Salsedinis *maris origo.* 41
Sanguiferorum *vasorum anastomoses in fœtu.* 231

Salus *eterna num & gentilibus ſperanda?* 268. (266.) 500
Sanguinis *fermentatio immediata febrium cauſa.* 38
circulatio in fœtu. 231
in fœtu ex vena pulmonari ad cavam per foramen ovale delatio. 232
maſſa quibus particulis conſtet? 483
Sanguis *dura matri incumbens quomodo removendus?* 269
quomodo ſiſti debeat, ubi vaſa læſa? 343
num proxima nutritionis materia? 483
num tribuendus conchyliis? 441
Chriſtianorum num a Judæis ad myſteria, amuleta, aut medicinam adhibeatur? 225. ſqq.
Sarcoma *auris amputatum.* 511
Sardicum *marmor illuſtratum.* 7
Sarpii (*Pauli*) *Servitæ liber de jurisdictione Reipublicæ Venetæ in mare Adriaticum.* 236
Satellitis *Saturni conjunctio corporalis cum Fixa.* 407. ſqq.
Saxonicum *Chronicon a Gibſone editum.* 186
Scabinorum *Metallicorum Collegium Freibergenſe in Miſnia.* 518
Scholaſticorum *controverſiæ multæ nonniſi logomachiam continent.* 54. 55. 56
A Scirrho *arteriam magnam in abdomine comprimente gangræna.* 512
Scripturæ *S. Divinitas ex inſitis notis aſſerta.* 101
ſtylus duplex, arcanus & popularis. 293
interpres in rebus naturalibus philoſophia. 298
ad captum vulgi accommodatio. 297. ſqq.

Loca illuſtrata. p.

Geneſ. I. 1. ſqq. 100.
II. 2. 3. 416. 506.
8. ſqq. 293.
III. 20. 422.
IV. 4. 5. ibid.
21. 70.
IX. 20. ſqq. 468.
X. 10. ibid.
XI. 1. ſqq. ibid.
XVIII. 2. ſqq. 424.
XIX. 26. 469.
XLVI. 13. ibid.
Exod. XIII. 21. 22. 470.
XVI. 4. ſqq. ibid.
XVII. 12. 472.
XXXII. ibid.
XXXIV. 29. 473.
Levit. IX. 24. 422.
XI. 2. ſqq. 519.
13. 474.
XVI. 5. ſqq. 361. ſqq.
XVIII. 6. 468.

	XIX.	19.	101.
Numer.	XI.	7. 8.	470.
	XX.	8.	472.
Joſ.	II.	1.	496.
	III.	13.	ibid.
	IV.	9.	497.
	VI.	20.	ibid.
	VII.	1.	ibid.
		25.	498.
Judic.	IX.		537. ſqq.
1. Reg.	XII.	34.	542.
2. Reg.	XIV.	26.	104.
4. Reg.	V.	18.	101.
	XVI.	20.	104.
Job.	III.	8.	ibid.
Pſalm.	X.	3.	404. 406.
	XVII.	ult.	430.
	XVIII.	1. ſqq.	393.
		8. ſqq.	292.
	XXXIII.	7.	496.
	LXXII.		73.
	XCVII.	8.	411.
	CX.	3.	104.
	CXIV.	3. 5.	496.
Proverb.	I.	7.	430.
	VIII.	27.	292.
	XV.	15.	430.
Cant.	I.	14.	
	II.	1.	104.
Eſa.	VII.	14.	493.
	XXX.	4.	104.
	LIII.	9.	494.
	LXIII.	3.	495.
	LXVI.	24.	496.
Jerem.	XVIII.	22.	426.
Thren.	IV.	3.	ibid.
Dan.	IX.	18.	ibid.
Jon.	IV.	4.	104.
Hagg.	II.	7.	423.
Zach.	III.	9.	364.
Matth.	II.	23.	49. 81.
	IV.	4.	466.
		5.	101.
	VI.	22.	429.
	VII.	22.	266. (264.)
	VIII.	29.	269. (267.)
	IX.	49.	474.
	XXV.	44.	266. (264.)
	XXVII.	6.	225.
Luc.	I.	1.	189.
	II.	1.	196.
		10.	319.
	III.	1.	197.
		23.	ibid.
	IV.	9.	466.
	XVII.	32.	469.
	XXII.	18. ſqq.	530. 533. 536
Joh.	IV.	31.	430.
	VIII.	1. ſqq.	110.
Act.	X.	35.	268. (266.)
	XVII.	27.	349.
		31.	264. (262.)
	XX.	7.	421.
Rom.	III.	25.	419.
	VIII.	16. ſqq.	291.
		15.	416.
	XIV.	5. 6.	542.
1. Cor.	X.	3.	470.
		4.	472.
	XI.	14.	52.
	XV.	29.	ibid.
2. Cor.	III.	7.	473.
	XII.	10.	52.

Gal.	IV.	10. 11.	542.
Coloſſ.	II.	16.	ibid.
2. Theſſ.	II.	2.	267. (265.)
1. Tim.	III.	16.	233.
	IV.	1.	520.
1. Petr.	I.	22.	430.
	II.	11.	429.
	III.	5. 6.	292.
		18. ſqq.	52.
2. Petr.	II.	4.	316
		14.	269. (267.)
	III.	11.	15.
Hebr.	I.	1. ſqq.	414.
	II.	1. ſqq.	415.
	III.	14.	416.
	IV.	4.	ibid.
	V.	12. 14.	417.
	VII.	1.	418.
	VIII.	2. 6. 11.	ibid.
	IX.	4.	419.
		27.	266. (264.)
	X.	2. ſqq.	420.
		26. 27.	421.
	XI.	4. ſeq.	ibid.
		30.	497.
	XII.	8. ſqq.	423.
	XIII.	2. ſqq.	424.
		16.	430.
Jacob.	II.	19.	269. (67.)
Jud.	v.	6.	318.
Apoc.	I.	8.	424.
	III.	14.	267.
		20.	532. 535.
	VIII.	1.	364.
	XIII.	8.	519.
	XIX.	14.	212.
	XXI.	1.	300.

Scytharum *philoſophia.* 273. ſq.
A Seckendorf (*Viti Ludovici*) *obitus.* 47
Sectio *Cæſarea. Vide* Cæſarea ſectio.
Selah *quid in Pſalmis?* 77
Senſus *num competant brutis?* 394
num plures aut acutiores nobis neceſſarii? 395
Sentiendi *& percipiendi facultas ſoli ſpiritui convenit.* 394
Sepulcra *apud Romanos olim in viis publicis collocata.* 347
Seres *num at bei fuerint?* 273
Serierum *infinitarum methodus per ſuppoſitionem ſeriei quæſita.* 178
Serpens *primorum parentum ſeductor qualis?* 100
Serpentis *productio ex capillo humano.* 249
Severi *Antiocheni fragmenta.* 110
Siciliæ *Regis monarchia eccleſiaſtica.* 376
Siderum *ex congreſſu num homines orti?* 395
Sidus. *Vide* Aſſeriſmus.
Signa *Diei extrema.* 17
Simon *Magus num fuerit Anti-Chriſtus?* 102
Simonis (*Richardi*) *de Pentateuchi auctoribus ſententia refutata.* 79. 80
Singultus *remedium* 150
Sirenes *non in piſcem, ſed in avem deſinunt.* 213
Slavica *bibliotheca.* 304. 305
Slavicæ *linguæ origines.* 304
Societas *Indiæ Orientalis Belgica hiſtoriam*

riam naturalem & Christianam religionem promovet. 280
Societatis *Jesu Collegium Romanum.* 308
Sodomitarum *adversus Lotum furor unde?* 460
Soliditas *quid sit?* 403
Solidorum *resistentia in fluido, calculo subjecta.* 252. sqq.
Solis *eclipsis observata Lipsiæ.* 383. 447
cum Mercurio & Venere conjunctiones corporales, earumque calculus. 59. sq.
ab exstinctione num terra aliquando peritura? 16
cum Venere visibilis conjunctio. 66
Soporosus *affectus vulneri capitis superveniens lethalis.* 510
Sorabicæ *linguæ origines.* 304
Sortes *Virgilianæ illustratæ.* 160
Soter *quot annis cathedræ Romanæ præfuerit?* 199
Spatium *ubicativum nihil.* 217
perpetuum Cartesio corpus creditum. 217
temporis nihil. 217
Spectilli *flexilis usus.* 343
Spencerus (*Job.*) *refutatus.* 35. 362. 445. 501. 519
Sphacelus *mammillæ ex subitanea mensium suppressione.* 511
Spinæ *urticarum an fistulosæ?* 443
Spira *mirabilis sui ipsius Dia-Caustica.* 246
De Spiritus S. *processione controversia multum habet logomachiæ.* 54
Spiritus *ardentes cur a putredine præservent?* 403
balsamici descriptio. 403
ardentes & salini quid? 405
Spirituum *fluiditas unde?* 404
Spirituum *operationes in corpus asserta.* 311. sqq.
locus. 316
Spontanea *insectorum generatio asserta.* 437. sqq.
Statius *emendatus.* 161
Stellæ *fixæ planetis antiquiores.* 295
in planetas converti possunt. 297
Stephanus *Byzantinus notis illustratus.* 100
Stoicorum *physiologia.* 278
Strabo *illustratus.* 411
Strumis *non tam sectio, quam remedia emollientia & resolventia adhibenda.* 342
Struvii (*Georgii Adami*) *obitus.* 46
Successio *conjugum ex statuto Wittebergensi.* 339
Succus *nervosus. Vide* Nervosus succus.
Suetonius *illustratus.* 444
Suidas *illustratus.* 228
In Sumatrensibus *littoribus affluxus æquæ inusitatus.* 184
Suturæ *quanam Chirurgis utilissima?* 267
coronali fonticulum inurendi modus. 341
Syllogismus *unum idemque tribus propositionibus effert.* 20. 212
Symbola & *emblemata collecta.* 545

Symbolum *Apoſtolicum ab Apoſtolis non compoſitum.* 82
Sympathiæ & *Antipathiæ motus.* 147. 148
Synodi *Reformatorum in Gallia.* 24. 27. 30
Romano-Catholici Cleri in Gallia. 177
Syſtema *nervoſum quid?* 482
Vide Nervoſum ſyſtema.

T.

Tacitus *illuſtratus.* 445
Tangentium *conditione data Curvæ conſtruuntur.* 385. ſqq.
methodi converſæ uſus ad varia problemata. 390
Teleſcopia *4. vitris convexis inſtructa cur objecta repræſentent erecta?* 3
Per Teleſcopium *viſi objecti magnitudo quanta ad apparentem magnitudinem viſi nudo oculo?* 2
quomodo ex una ſtatione diſtantiæ dimetienda? 3
Templi *Hieroſ. ala, in qua Chriſtus collocatus.* 466
Templorum *origo.* 504
Tempus *quid?* 219
Terra *num olim alterius fuerit formæ, quam hodie?* 291
num centrum mundi? 394
habitabili num mundus antiquior? 294. 295
cur altior, quam aqua? 298
num peritura ab extinctione Solis? 16
num peritura per ignem ex centro ejus erumpentem? 17
cruſta olim circumdata. 41
num aquarum inundatione aliquando peritum? 16
Teſtacea *num ſponte naſcantur?* 437
num dentes & oculos habeant? 442
Teſtæ *conchyliorum num omnes ex animalibus?* 22
Teſtamenti *Novi initium.* 414-415-420
requies in quo conſiſtat? 416
verſio Gallica Montenſis damnata. 166
Exegeta. 107. 112
Teſtamenti *veteris fideles quo ſenſu habuerint ἄφεσιν peccatorum?* 419
fidelium ſtatus. 417. ſqq. 423. 424
Teſtamentum *vetus, novum, æternum.* 418. ſq.
Teſtamentum *vetus quo tempore defierit?* 414. ſq. 420
Teſticuli *caſtratio quando locum habeat?* 268
Teſticulus *unus cur interdum altero major?* 512
Teſtium *cerebri uſus.* 435
Tetractys *Pythagoræ fundamento deſtituitur.* 278

Tetra-

Tetragoniſmorum *generaliſſima effectio per motum.* 385.ſqq.
Theodori *Mopſueſteni fragmenta.* 110
Theologia *naturalis num ad ſalutem ſufficiens?* 500
Theologorum *Nihil, Aliquid, & Omnia.* 345
Tholoſanus (*Petrus Gregorius*) *notatus.* 207
Thoracis *paracenteſis in empyemate feliciter celebrata.* 512
quomodo adornanda? 268.342
Thymi *uſus.* 435
Tiberii *initia Imperii a quo tempore petenda?* 189
Tinctura *auri.* 183
Titus *Boſtbrenſis num commentarii in S. Lucam autor?* 461.110
Togæ *virilis apud Romanos ſumendæ ætas.* 160
Tohu Va Bohu *Moſaicum idem quod chaos.* 291
Tonſillæ *dextræ excreſcentia aliquoties poſt amputationem repullulans.* 511
Toppius (*Nicolaus*) *emendatus.* 310
Torcularis (*tourniquet*) *uſus in aneuriſmate aperiendo & artubus amputandis.* 269
Tractoriæ *curvæ Hugenianæ.* 476. ſq.
Tractorio *motu quadraturæ omnes conſtrui poſſunt.* 477
Tractorius *motus conſtructionibus geometricis inſerviens.* 386.ſqq.477
Per Traditionem *propagata Prophetiæ?* 49
Trajani *Imperatoris duplex adverſus Parthos expeditio.* 191
vita univerſa ad Chronologiæ leges exacta. 159
Transcendentium *quantitatũ fons.* 385
Transplantatio *morborum.* 148
Transſubſtantiatio *corporis Chriſti S. cœna impugnata.* 531
Trepanorum *exfoliativorum uſus.* 342
Tribuni *ærarii quinam apud Romanos?* 161
Trithemius *notatus.* 175
Tunicæ *æſophagum humanum contexentes.* 435. 437
Turcæ *Chriſtianam uxorem ducere prohibiti.* 10.11
Turundarum *ex charta pergamena uſus.* 343
Typhonum *quos Orcan vocant, ingruentium ſigna.* 182. 184
Typicus *Legis Moſaicæ uſus aſſertus.* 362

V.

Valeſius (*Henricus*) *notatus.* 35.463
E Vaporibus *num producantur fontes?* 21
Ubicativum *ſpatium, nihil.* 217
Velleris *aurei Ordo Equeſtris.* 261.(259.)
Velum *vultus Moſaici.* 474
Venæſectio *in pede adminiſtrata p. n. menſium per alia loca egreſſum coërcet.* 512
in omnibus febribus quotidianis commendatur. 486
parcius ſuadetur in quartana quam in tertiana. 487

S. Venan-

S. Venantii *Martyris vita.* 513. ſqq.
Veneris *conjunctiones cum Sole.* 59. 66
Ventoſarum *uſus ſpretus.* 269
Vermium *ſpontanea generatio.* 439
Vernicis *balſamicæ deſcriptio.* 403
E Veſica *exſectus globus plumbeus.* 513
Veſicæ *colli inverſio ſeu procidentia in fœmina.* 343
Victorianus *non Pictavienſium, ſed Patavienſium Epiſcopus.* 169
De Vigilantio *judicium Allixii.* ibid.
Viperarum *dentes num perforati?* 443
Virgilianæ *ſortes illuſtratæ.* 160
Vis *agendi naturalis quæ?* 219
Viſio *quomodo gemina referat?* 4
Vitæ *humanæ ſpatium cur contractum poſt diluvium?* 22
Vitæ Patrum *num Evagrii Pontici?* 490
Vitale *commune principium quod?* 5
Vitrioli *oleo imbuta & exſiccata charta inſigniter adſtringit.* 343
Vitriolum *Martis viride in ſpiritu vini ſolubile, ejusque ſpiritus aquæ fortis admiſti in aurum efficacia.* 182
Vitrum *malleabile.* 183
planum refractione ſua objecta majora exhibet. 2
Vitulus *Iſraëlitarum in deſerto.* 472. 506
Umbilicalis *funiculi nervi.* 434
Unctio *Reges Iſraëlitarum a Judicibus eorundem diſtinxit.* 539
Univerſi *totius origo num coæva origini telluris?* 295
Volatiliſationis *motus.* 147
Voſſius (*Joh. Gerh.*) *notatus.* 276
Urinarii *meatus caruncula quomodo abſumenda?* 343
Ab Uteri *ſcirrho ingravidatio falſa.* 343
Uterus *prolapſus quomodo in ſitu retinendus?* 343
Vulcatius *Gallicanus notatus.* 192

W.

Wagenſeiliana *Hydraſpis vindicata.* 223
Wagneri (*Chriſtiani*) *obitus.* 383
Waldenſes *num iidem cum Albigenſibus?* 172. 314
Waltheri (*Michaelis*) *obitus.* 46
Weigeliani *globi.* 221
Weſtfaliæ *Hiſtoria.* 508. ſqq.
Whelocus (*Abrahamus*) *notatus.* 186
Wicleſi *elogium.* 175. ſq.
Wilhelmi *III Regis M. Britanniæ Hiſtoria.* 43. ſq. 93
Wilhelmo *Auriaco corona in nubibus viſa Regni prænuntia.* 94

Z.

Zahnius *notatus.* 2
De Zona *torrida inhabitabili unde orta fabula?* 293

ERRATA.

Pag. 100. lin. 22. pro *Gen. II.* lege *Gen. III.* P. 133. l. 4. pro *Arnlado* lege *Arnaldo.* P. 167. l. 23. ſupple lacunam, & lege *pag. 132.* Poſt pag. 256. usque ad pag. 289. corrigendus eſt numerus paginarum. P. 264. (aut, ut mendoſe notata eſt, 262.) lin. ult. pro *lumanis* lege *humanis.* P. 422. l. 1. pro *Gen. III. 24.* lege *Gen. III. 20.* In Præfatione ad Lectorem, Actis A. 1691. præmiſſa, pag. 2. lin. 4. dele τὸ *non.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z16578610X
Digitized by Google

Digitized by Google